
MATTHAEI SUTLIVII DE PONTIFICE ROMANO, EIUSQUE...

Matthew Sutcliffe, Roberto Bellarmino




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 I
6 M

MATTHÆI SVTLIVII

De

PONTIFICE ROMANO, EIVSQVE

INIVSTISSIMA IN ECclesia dominatione,

ADVERSVS ROBERTVM BELLARMINVM, *& uniuersum Iebusitarum sodalitium*,

LIBRI V.

2. Thess. 2.

Iam peragitur mysterium iniquitatis huius: tantùm quod nunc obstat (*obstabit*) donec è medio sublatum fuerit.


Et tunc reuelabitur impius ille, quem Dominus conficiet spiritu oris sui, & illustri aduentu suo abolebit.

Apocalyps. 18.

CECIDIT, CECIDIT BABYLON MAGNA, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & odibilis.

spes mea christus





Ex libris Herrici Guisardi

HANOVIÆ

Apud Guilielmum Antonium,

M D C V.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI,

ac Domino suo plurimum obseruando, D. *Ioan. Whitgifto*, Archiepiscopo Cantuariensi, *& totius ecclesiæ Anglicanæ Primati amplissimo & dignissimo, salutem & pacem in Christo Iesu.*

CVM de variis Synagogæ Romanæ errorib. & hæresibus, amplissime Præsul, scribere statuissem; non aliunde me cõmodiùs exordiri posse putaui, quàm à pontifice Rom. qui omnium errorum & hæreseωn, quibus multos iam annos ecclesia laborat, caput & fons, ab omnibus rectè existimare volentibus, meritò iudicatur. Neq; enim facilè exsiccantur riui, nisi obstructis fontibus; nec prorsus confici possunt errorum portenta, quæ ab hoc vno capite & fontę profluxerunt, nisi fonte hoc, seu puteo potiùs omnium malorum infernali obstructo, & capite hoc scelerum & hæreseôn amputato.

Scripsi itaque, vt vides, aduersus pon-

tificis Rom. iniquissimam dominationem, eiusdemq; à Bellarmino aliisq; eius assectis contextam defensionem, libros quinque: Herculeumque, vt videtur, laborem suscepi, qui aduersus huius hydræ multiplicia capita depugnare, & varios venenorum inde profluentium riuulos exsiccare aggressus sum. Quis enim non citiùs vel hydram illam multicipitem, vel aues *Stymphalicas* confecerit, quàm vel hoc multorum malorum caput, & circa hoc caput circumuolitantes Iebusitas, qui tanquam aues *Stymphalicæ*, molesti sunt, & velut [1] locustæ ex puteo infernali prodeuntes, impios velut furię ad insaniam adegerunt, omnemque veræ Ecclesiæ agrum, suis turpitudinib. & corruptelis fœdarunt?

[1] *Apocalyps.* 9.

Libros autem istos, licèt multis multa deberem, quorum ego summam erga me beneuolentiam libentissimè agnosco, & profiteri soleo; nemini tamen potiùs quā tibi, cuius nomen & mihi dulcissimum, & reliquis amplissimum habetur, inscribendos censui. Neq; enim cōsentaneum erat, scriptum hoc, quod aduersus errorum omnium magistrum instituitur, alteri quàm summo ecclesię

nostræ

noſtræ epiſcopo, & Chriſtianæ pietatis magiſtro & doctori vigilãtiſſimo, virtutiſque & pietatis rariſſimo exemplari offerre.

Præterea, ſi quid vtilitatis, aut commodi ex iſtis meis vigiliis & laborib. vel ad domeſticos fidei, vel ad eos q adhuc extra ſunt, & quos intra ouile Domini reiicere ſummè concupiuimus, redundarit; hoc omne tu pro tuo iure tibi vẽdicare potes. hæc enim non magis noſtra ſunt, quàm tua. tuo namq; magiſterio & diſciplinâ multos annos inſtitutus, hæc didici: & quod à te didici, hoc nunc alios docere poſſum. neq; ſine tuo auxilio, operâ, gratiâ ea adipiſci potui, vnde liberiùs iſtis ſtudiis vacare poſſem. tuâ deniq; authoritate ad iſtas religionis cõtrouerſias tractãdas inductus ſum.

Accipe ergo, ampliſſime Domine, mihiq; multis nominib. chariſſime Mecenas, hoc amoris, & obſeruantiæ noſtræ erga te, quem ego mihi patris loco duco, amo, colo, exiguũ teſtimonium; & nos, vt ſemper feciſti, ama, defende, tuere. hoc opus noſtrum pro veritatis cauſa ſuſceptum, non potes, cum tãtus ſis veræ & Chriſtianæ religionis patro-

nus, nõ tueri. neq; ſanè quod tuâ authoritate inductus ſuſcepi, & quod tuũ quodammodo dici poteſt, aſpernari debes.

Quid præſtiterim amplius, quàm qui ante me de hac re ſcripſerunt, quòd iſta tuo patrocinio nõ indigna putarim; nihil attinet multa dicere: malo enim alios audire; & ſpero rem ipſam loquuturá. Reliqui verbis nimis tenaciter inhæſerũt; nos res tantùm, eaſq; maximè neceſſarias, omnib. inutilibus quæſtionib. omiſſis, perſequuti ſumus. Illi argumentis aduerſariorum nõ omnibus, ſed illis tantùm, in quib. aliquid erat momenti, reſpondendum cẽſuerunt: nos nullum argumenti genus cõtempſimus. Illi noſtras rationes & argumenta nõ multum exornarunt, & eis vt plurimum contẽti, quæ aduerſarii attigerũt, in aduerſariorum argumentis refellendis, quàm in noſtris confirmandis, diligentiùs verſati ſunt: nos, ſtatu controuerſiæ propoſito, & omnibus noſtris copiis, quantum tam exiguo ſpatio licuit, contractis, cauſam pontificiam aggredimur. vnde ſpero, aduerſarios, ab inſano nos oppugnandi ſtudio ad cauſæ ſuæ defenſionem retractos, ſatis habituros quod domi

mi agant, ne foris necesse sit quærere. Illi denique Conciliorum & Patrum sæpe authoritates negligunt, vnis vt plurimum scripturis, tanquam petræ immobili inhærentes: nos, etsi non dubitemus scripturas inuictum esse aduersus omnes hæreses propugnaculum; Patrum tamen & priscæ Ecclesiæ adiunximus testimonia, eaq; tam certa & fide digna, vt omnes intelligere possint, pontificis Rom. monarchiam non modò cum sacris Scripturis, sed etiam cum veteris ecclesiæ moribus, imò cum legibus meliorum pontificum Rom. & populi Christiani libertate pugnare.


Erunt tamen fortasse aliqui, quibus breuitas nostra; alii, quibus diligentia in omnib. aduersariorum argumentis refellendis, & nostris vndique confirmandis, displicebit: & sanè cum diligenter omnes aduersariorum ineptias cōsiderabam, facilè intelligebam, nihil opus fuisse pontificum Rom. & aliorum recentiorū, qui partes eorum propugnarunt, dictis & propè nugis respondere. sed volui omnibus, qui non planè obduruerunt, & conscientias cauteriatas habent, satisfacere, nec quicquam inta-

ctum relinquere, quod vel ſpeciem aliquã argumenti habere viſum eſt. Quicquid autem alii exiſtimarint; ſi tibi noſtrum ſtudium, & labor iſte non ingratus erit; aliorum morſus & reprehenſiunculas, quas nulla diligentia vitare potuimus, non reformidabimus. ſed hæc tu legens melius cognoſces. Deus te Eccleſiæ ſuæ, & huic regno, & tuis, diu ſeruet incolumem; vt quod antea feciſti, illud diu facias; atque vt ſemper, ſic poſthac magis magiſque eccleſiam & remp. ornes, & vtramq; à nefariis pontificum Roman. & Iebuſitarum, & aliorum meretricis Babylonicæ emiſſariorum molitionibus, & proditionibus illæſam conſerues. Vale.

Tuæ Amplitudinis ſtudioſiſſimus,

MATTHÆVS SVTLIVIVS.

AD



AD LECTOREM PRÆFATIO, IN QVA BELLARMINI in libros ſuos de pontifice Romano præludium perſtringitur.



VOD *Dionyſium ſeniorem olim dixiſſe* [1] *ferunt*, Tyrannum non equo inſidentem, ſed pedibus tractum regno cedere oportere; *illud pontifex Rom. cuius tyrannidem, truculentiam, & immanitatem aliquot iam ſecula pertulit eccleſia Chriſti, & probaſſe, & faciendum apud ſe ſtatuiſſe videtur. Nam etſi multis documentis hoc ipſius ſæuum & violentum in eccleſia Dei imperium, & abſq; lege Dei introductum, & contra Eccleſiæ canones partim vi, partim fraude arreptum fuiſſe, & nunc iniuſtiſſimum eſſe demonſtrarint; & hoc & pontificum Rom. leges iniquiſſimæ, & impietates nefandæ, & mores turpiſſimi clament: hæret tamen in regno, armorumq; violentia, omniq; aſtutia tyrannidem ſuam propugnat, & malè poſſeſſa, quod prædones ſolent, malè & violenter defendit; neque ſe antè ceſſurum oſtendit, quàm ipſum* Deus ſpiritu oris ſui [2] confecerit, *tyrannumque hunc de ſede ſua ſublimi detraxerit.*

[1] Apud Liuiū lib. hist. 24.

[2] 2. Theſſ. 2.

Nihil ipſum authoritas verbi Dei, quæ apud omnes Chriſtianos ſumma eſſe debet; nihil conſuetudines eccleſiæ antiquiſſimæ; nihil teſtimonium priſcorum eccleſiæ patrum; nihil totius orthodoxæ eccleſiæ conſenſio; nihil denique populi Chriſtiani vtilitas aut neceſſitas commouit. Imò, quantò luculentiùs & apertiùs viri pii & docti hanc Antichriſti tyrannidem, & iniuſtiſſimam eius occupatio-

nem & vsurpationem demonstrant, & refellunt; tanto ille acriùs resistit, & truculentiùs sæuit, & contra leges diuinas & humanas furiosè ruit. Viros enim pios vbiq; ferro & flammis persequitur; bello principes Christianos oppugnat; insidias optimo cuiq; struit; Christianam remp. vexat; Turcico bello neglecto in nos omnes suas vires confert; cœlum deniq; terræ miscet, vt has terrenas suas opes defendat. Sedet, inquam, [1] meretrix Babylonica in bestia septicipiti, hoc est, in Roma septicolli; & copias aduersùs agnum colligit; nec alia ratione, quàm Spiritu Dei; nec ab alio, quàm agno vinci potest.

[1] Apoc. 17.

Nunc etiam, vt non minùs se astutum quàm violentum ostendat, conduxit homines loquaces & lingua promptos, qui causam suam qualemcunq; scriptis publicè editis defenderent. nouit enim neminem vnquam violenta tenuisse imperia diu. quare vt quod vi tenet, iustè acquisiuisse & possedisse videatur; nouos nuper in orbem emisit, sed non stultos oratores; qui omni acumine & artificio causam hanc ruentem & propè deploratam suffulciant. Illi ergo verba Christi ad Petrum Matth. 16. & Ioan. 21. memorant; Petri successionem iactant; leges antiquas proferunt; ad patrum scripta prouocant; nec quicquam intentatum relinquunt, quod huic causæ propugnandæ inseruiat.

Inter reliquos autem pontificiæ causæ actores, Iebusitæ, quos Antichristus in senecta sua circa annũ Domini 1540. velut vltimum fœtum peperit, & propterea maximè diligit, palmam obtinent; homines cati, callidi, astuti, versipelles, audaces, loquaces, sophistæq; strenui. Inter eos Bellarminus egregiam pontifici nauauit operam, & propterea maximè eminere videtur, vtpote, qui deficiẽtibus reliquis, humeros papatus ædificio ruenti supposuit, & totam negotii molem sustentaturus videtur; disputator versutus, & fidum pontificis sui mancipium.

Hic ergo causam pontificis, licèt variè ab aliis tractatam, ad nouum examen reuocat, & per longas ambages orationem circumducens, nouum & insolens molitur pontificiæ monarchiæ fundamentum. Ex Aristotele enim & philosophis sperat se eam nobis probaturum, quam alii hactenus in Apostolorum scriptis frustra quæsiuerunt.

Prolixè

Prolixè etiam multa nobis politica de rerump. formis præcepta tradit. at nos euangelicas traditiones exspectabamus. Excurrit deinde in longam contra eos disputationem, qui populo & principibus politicis in ecclesia tribuerunt principatum. at nihil hoc ad pontificem. nam vt non illis debeatur, non tamen protinus ad pontificem negotium hoc deuoluitur. Postea Petri iactat apostolatum sed & Petri apostolatus à pontificis causa alienus est. Præterea ille aliena admiscet, & falsis nonnulla adiungit vera, vt verus controuersiæ status lateat, atque vt sub specie veri faciliùs recipiatur mendacium. Tandem ergo ad suum pontificem, eiúsq; negotium deuenit; sed suspenso gradu, ne lectores facilè discordiam partium huius controuersiæ, & maximam inter Petrum & pontificem Rom. discrepantiam animaduertant.

Hic [1] res asperas & confragosas dicit molliter: & vbi de pontificis monarchia decertatur, omnes suas copias proponit, & quanto potest artificio instruit. In dextro cornu detortas scripturarum authoritates; in sinistro, patrum malè intellecta testimonia locat. in mediam aciem turbam inutilem decretalium pontificiarum, & omne genus testium confert, & cateruatim ponit. Post aciem verò & copias armatas, varia congerit mendacia & corrupta instrumenta, tanquam in insidiis. Sed quid verbis opus est? si omnes eius astutias perspexeris, Annibalem dixeris Iebusiticum. Punica enim fraude & fide causam hanc agit, omnésq; pontificu sui non iura, (quid enim ille iure habet?) sed furta, rapinas, iniurias, flagitia, scelera defendit, pontificemq; Rom. velut meretricem Apocalypticam omnibus lenociniis exornat, eumq; ab omnibus amandum prostituit, leno sanè vaferrimus, & Ballione comico magis turpis, mendax & versipellis. Ita sanè Papistis placuit, vt vel hoc duce victoriam se consequuturos sperent, vel prorsus animum despondeant, & se victos fateantur.

[1] τὰ σκληρὰ μαλθακῶς.

Aduersus hunc ergo argutum & confidentem declamatorem, de pontificis Rom. iure & potestate disputandum censuimus. Præliabimur etiam aduersus vniuersum Iebusitarum sodalitium, omnesq; synagogæ Rom. copias. non sanè quod apud aduersarios plus meam, quàm superiorum nostrorum doctorum orationem valituram sperem: sed vt

eorum fusis & fugatis copiis, tyrāni huius in nos impetum propulsemus, eumque procul à finibus veræ ecclesiæ arceamus: deniq; vt oues Christi ab huiusmodi mercenariorū fallaciis illæsas, & à faucibus luporum incolumes custodiamus, & seruemus. Illi ex eorum numero sunt, qui vitam potiùs, quàm malitiā amissuri, quiq; ad pontif. Rom. quē semel adamarunt, adhærentes, de toto vitæ statu potiùs quàm de sententia decessuri videntur. At multos tamen alios eius sectæ homines futuros non diffido, qui veritatis tantæ luci oculos non occludent, nec tàm locupletibus & fidis testibus contra pontif. Rom. loquentibus, omnem fidem abrogabunt. Atq; vt apud istos non tantum proficiamus, quantum cupimus & speramus, quia omnes nostri libri apud Papistas publicè prohibentur, & quia veritati & libertati illi omnem aditum præcludere solent: at os impiorum, aduersus veritatem perpetuò gannientium occludetur, & pii viri in vera fide quam profitentur, confirmabuntur, & arma semper parata erunt, quibus omnibus aduersariorū molitionibus & fraudibus & maturè occurramus, & fortiter resistamus.

Omnes etiam ego viros doctos & pios, qui in scholastica palæstra vsum, & arma habent ad hostes ecclesiæ debellandos idonea, hortor & moneo, vt coniunctis copiis communem piorum hostem aggrediantur, atque vt istos Iebusitas prælium redintegrantes fortiter pellant, fundant, fugent. Acies aduersariorum iampridem inclinare cœpit, & terga vertere: hi soli suos pugnam detrectantes in aciem reduxerunt, præliumq; se restituturos sperant. si hos vincamus; & Christus honorem suum, & ecclesia libertatem, & nos omnes ius nostrum recuperabimus. Fortiter itaq; agite; & si non alium habeatis in hoc certamine promptiorem, me ducem sequimini ostendam ego vobis quomodo Iebusitas istos facilè vincere possitis. Christi Iesu auspiciis pugnamus: signa sequimur apostolorum & prophetarum: nobiscum aduersus antichristum omnes ecclesiæ patres militant: omnes orthodoxi fausta precantur. Aduersarii verò, licèt Petri & apostolorum successionem, patrumq; consensum iactent; omnibus tamen his præsidiis destituuntur; neq; nisi corrupta scripturarum sententia, & ementita ecclesiæ historia, & malè detortis & deprauatis patrum scriptis, stare possunt.

Neq

Neq; sanè quicquam attulit Bellar. vnde vel aduersarii sperandi, vel nostri metuendi occasionem sumant. In hac de pontif. Rom. controuersia, domino suo nullum tulit auxilium, sibi magnum peperit praiudicium: nusquam enim suo praeconio plures testes audaciae, impudentiae, & impiae blasphemiae sibi comparauit. In praefatione magnificè se infert, & planè Thrasonicè. Profitetur enim se in has controuersia de summa rei Christianę agere. *quasi verò in pontif. Rom. res christiana posita esset: quod quidem nullus, nisi qui Christo relicto se antichristo addixit, affirmarit. nam christiana resp. fide Christi continetur. at in antiquissimis symbolis nihil est de pontifice. Praeterea, primis temporibus ecclesiae nulli erant vel apud Israelitas summi sacerdotes, vel apud Christianos summi pontifices. imò, episcopi Rom. quamdiu in apostolorum vestigiis inhaeserunt, pro summis pontificibus se non gesserunt. Gregorius 1. non dubitauit eum pro Antichristi praecursore habere, qui se vniuersalem episcopum diceret.* [1] *Ioannes Gerson etiam in crassis errorum tenebris vidit, Papam sine vllo incommodo ex ecclesia tolli posse. Nos sanè talem pontif. non desideramus, & aduersarii saepissimè pontifice carent. At sine iis in quibus summa rei christianae consistit, ne ad momentum quidem temporis carere potest ecclesia. Verius ergo affirmare licet, hic agi de labe & peste ecclesiae & religionis, & omnis iniquitatis & turpitudinis compendio.* Sedes bestię, *inquit episc.* [2] *Chemensis,* i. ecclesiae peruersae, est curia Romana. *Idem dicit Romam esse* gurgitem flagitiorū. Olim, *inquit* [3] *Christus apud Brigittam*, habitauit in Roma iustitia, & principes eius principes pacis: nunc autem versa est in scoriam, & principes eius homicidae. *Petrarcha propter pontificum Rom. impietates, Romam* Babyloniam *vocauit. Platina quosdam pontifices monstra appellauit. Certum est ex priscis episcopis plures fuisse haereticos: ex recentioribus nullus non fuit haereticus: plurimi sanè scelerati & nequam erant. Ab istis etiam* [4] *aduersarii fatentur bella & calamitates plurimas in christianam rempub. manasse. nos & haec à pontificibus Rom. & multa praeterea scelera & impietates profluxisse videmus. Mirum est ergo, si ecclesia non possit absque Babylone consistere, & si tanta sit hominum haereticorum, impiorum, & sceleratorum necessitas.*

[1] De Auferib. Papae ab eccl.
[2] Onus eccle. c. 19.
[3] 3. c. [illegible] 21.
[4] Machiauel. hist. Florent. ad Clem. 7.

[1] In præfat. Bellar in lib. de pontif. Rom.

At, inquit Bellar.[1] quādo quæritur de pontif. Rom. ab ecclesię gubernaculis remouendo, quid aliud quęritur, quàm, an oporteat ab ædificio fundamentum, à grege pastorem, ab exercitu imperatorem, solem ab astris, caput à corpore remouere? *quasi verò in hac arena, seu potiùs cœno, ædificata sit ecclesia; aut hic lupus, aut dominici gregis mactator, pastoris nomen mereatur; aut eius probandum sit imperium, qui*[2] omnes christianos secum ducit in Gehennam, *vt inquit Brigitta,* qui ad eius curiam veniunt; *aut in opaco & tenebroso Antichristi regno & sede, sol iustitiæ luceat; aut caput sit ecclesiæ, quod cerebro & sensu caret. Hæc ergo omnia validis argumentis priùs erant probanda, quàm affirmanda: hæc enim nos voce quantum possumus maxima negamus: hæc bonus iste vir, licèt multa per somnium viderit, nunquam tamen vera esse reperiet.*

[2] 4 Birg. 142.

[3] 1. Cor 3.

[4] Apoc. 13.

[5] Apoc. 21.

[3] *Apostolus docet, præter Christum, propriè* nullum aliud fundamentum poni posse. *at pontifex Rom. caput esse regni Antichristi demonstrabitur. hic enim* similis est agno, *vt*[4] *Antichristus, &* oritur ex terra, & loquitur vt draco, *omnesq; habet antichristi proprias notas. Præterea, ædificata est quodammodo ecclesia super apostolos.*[5] *Habet enim ecclesia* fundamenta duodecim, & in his scripta sunt nomina duodecim Apostolorum agni. *ideo autem fundamenta dicuntur, quia super eorum doctrinam fundata est ecclesia. At pontifex Rom. non habet nomen suũ in hoc fundamento scriptũ: nec potest ille edere scripturas quæ sint regula fidei. imò nos hoc agimus hoc loco, vt doceamus ipsum fundamentum & ædificium ponere, quod cum doctrina Apostolorum prorsus repugnat.*

[6] 1. Pet. 2.

[6] *Deinde hoc Christi est proprium, vt sit summus* episcopus, & pastor animarũ nostrarum. *ipse etiã est summus imperator, qui se pro fidelium salute consecrauit, & morte sua illis vitam acquisiuit. Ipse deniq; sedentibus in vmbra mortis lucem ostendit, & verè est sol iustitiæ. At pontifex Roman. nec pascit gregem, nec curat, sed tantùm deglubit; nec Petro successit in prædicando & pascendo, sed Constantino, seu potiùs Iulio Cæsari in sede imperiali,* reddens vitam bestiæ, quæ mortua videbatur, *& Romæ erigens imaginem veteris imperii. Ille etiam à se reiiciẽs mu-*

nius pascendi, mercenarios præficit gregi, & cum iis partitur prædam. non ducit gregem, nec ante oues vadit, vt bonum pastorem decuit; sed suas res agit, & ab officio pastorali alienas. ille denique superstitionum, & impietatum nebulis ecclesiam obtenebrauit. In eum ergo quadrat quod dixit [1] *Bernardus in quosdam, qui se apostolorum esse successores iactabant,* vos estis tenebræ mundi. *lux certè, & sol nullo modo dici potest, cùm in tenebris ambulet, & opera faciat tenebrarum.*

[1] Serm. 66. in Cant.

Postremò, Christus propriè & solus dicitur Caput ecclesiæ vniuersæ, vt Gregorius [2] *docet: & ab eo gratiæ multiplices & virtutes manant in vniuersa membra corporis mystici. At à pontif. Rom. nihil præter virus & venenum dogmatum peruersorum, & morum corruptelam, & perniciem rerump. manare videtur: quæ nos dicemus vberiùs, vbi ad eum locum ventum erit.*

[2] Lib. 4. epist. 38. ad Ioan. Cõstantinop.

Hæc ergo Bellar. nec pudenter affirmauit, nec satis prudenter. Quid enim impudentius, quàm illud sumere ante congressum & pugnam, quod nulla cõtentione obtinere potuit? quid stultius, quàm res tantas sine omni argumento affirmare, & tanta promittentem nugas agere? Quæ autẽ sequuntur, non tantùm impudenter, sed etiam impiè & blasphemè dicuntur. Pontificem enim suum lapidẽ esse dicit in fundamentis Sion positum, eundemq; lapidem esse probatum, angularem, pretiosum, in fundamẽto fundatum credit, *atq; hæc* [3] *Isaiam prophetam de pontif. Rom. vaticinatum esse, scribere non est veritus:* hæc enim non ineptè in Christi vicarium quadrare. *At apostolus* [4] *Paulus de Christo solo hæc verba interpretãda docet. & huic etiã* [5] Petrus *suffragatur, quem authorẽ sui pontificatus fuisse iactant. Præterea, res ipsa ostendit nullo modo hæc posse ad põtificem Rom. rapi. Quomodo enim lapis erit in Sion, qui velut stipula omni leui flatu perturbationum sustollitur, & in grauissimos incidit errores, à Christo, qui est solidissima petra excidens, &, vt inquit Lyra,* [6] sæpè à fide apostatans? *Quomodo potest ille vocari lapis fundamenti eius ædificii quod nunquam ruet, cùm ipsi* [7] *Papistæ ostendere soleant aliquot suos pontifices apud inferos cruciari; nec dubium sit, quin multi fuerint hæretici & athei, super quos nõn est credibile ecclesiam ædificatam esse?*

[3] Isai. 28.
[4] Rom 9.
[5] 1 Petr. 2.
[6] In Matt 16.
[7] Dantes da l'inferno. & Plat in Benedicto 9. & alii in aliis.

At, inquit Bellar. Christus Petro petræ nomen indidit. *Sed quid hoc ad pontifices Romanos? quæ enim propria erant apostolorum & singularia priuilegia, ad alios nō transierunt. Præterea non est Simon dictus* petra, *sed* Petrus: *atq; ita Spiritus sanctus scriptum reliquit. Frustra ergo confugit ad cōiecturas Bellar. & quia Christus Syriacè loquutus videtur, Simonem simpliciter dictum* Petram *existimat. nam nec illud certū est, an Syriacè loquutus sit, nec temere deserendi sunt codices originales propter tam leues & futiles coniecturas. Præterea, non rectè potest Papa Rom. dici* lapis probatus. *nam hunc & Deus & homines improbarunt. nos eum in verbi diuini statera expendentes, leuem esse reperimus: omnesq; vident eum velut pumicem aridum esse, & propterea ab omnibus peritis architectis, velut materiam inutilem, fuisse reprobatum. Angli, Germani, Scoti, Dani, Getæ, Galli, & omnes ex aliis nationibus fideles christiani hominem hunc insulsissimum, qui non plus sapit quàm lapis, reiiciunt: Græci iampridem eum exploserunt. Asiatici & Africani incipienti huic tyrannidi se opposuerunt, pontificumq; Rom. superbiā semper contempserunt. Quis autem non meritò hæc ipsis contigisse videt? superbiam .n. eorum Luciferianam, qui se supra omne quod colitur exaltarunt, & diuinos honores sibi deferri passi sunt, nemo pius ferre potuit. ipsorum hæreses, impietates & scelera nullus probat. At, inquit Bellar.* omni genere probationis tentata est hæc Petra. *quasi verò non & Turcæ suum regnum & impietatem variè tētatam fuisse dicere possint: qui tamen extra lapidem probatū positi sunt. eos enim & interni & externi hostes oppugnarunt, & schismata & sectæ Mahometi legem lacerarunt. stat tamen regnum Turcicum, & quotidie augetur. At regnum pontif. quotidie magis magisq; labascit. nomen quidem & vmbra manet pontificatus, qui fuit temporibus Ioan. 22. sed opes eius valdè accisæ sunt, vt ipsi agnoscunt, & stomachantur. Veri christiani iugum tyrannidis pontificiæ excusserunt, & nisi armorū metus obstaret, non est dubium, quin eorum exemplum plurimi sequuturi essent. Quod ergo dicit Bellar.* petram pontificatus Romani (*nullā enim aliam petram intelligit, aut curat*) à Domino roboratam, & angelorum custodiis septam esse, *ipsius est commentum.*

tum. quotidie enim magis magisq; labefactatur, & nunc non tam lege aut ratione, quàm armis & fraudibus suffulcitur.

Quis autem ferat hanc Bellarm. non assentationem, sed blasphemiam, vbi pontificem suum vult dici lapidem ecclesiæ angularem, quo Iudæi & gentes simul coniunguntur? *Hoc enim Christi adeò proprium est, vt nusquam apostolis tributum legatur, vt dicerentur lapides angulares. illi tamen & Iudæos & gentes ad Christum adduxerunt. At pontifex Rom. nullos ad Christum adducit. imò ipsum non tantùm externi, sed domestici fidei execrantur. sed monachus iste dum istas scripturas contra sententiam Spiritus sancti detorquet, obduruit in errore, & non plus sentit, quàm lapis. quis autem lapidem feriat? reliqui verò Papistæ, dum pontificem suum in Vaticano regnantem venerantur, & pro lapide angulari & fundamentali colunt, ad priscorum Rom. mores rediisse videntur, qui lapidem in Capitolio coluerunt, eúmq; Deum Terminum vocarunt. Absurdè etiam homo iste nullius pretii* lapis *dicitur* pretiosus. *quis enim illum pro* Petri *successore habeat, qui* Petri *dissimilimus est? quis episcopum esse putet, qui non facit opus episcopi, sed tyranni? quis non talem hominem, vnde tot mala originem habuerunt, ex toto terrarum orbe exterminandum & eradicandum censeat? At, inquit Bellarm.* infinitus bonorum thesaurus à Petri sede in omnem ecclesiam copiosissimè deriuatur. *Inde ille* prędicatores missos, ibi episcopos orthodoxos è sedibus pulsos receptos fuisse, & non aliunde nos habere dogmatum explicationem, ritus sacramentorum, & indulgentiarum communicationem *dicit. Sed primò multum interest inter primos episcopos Rom. & hos posteriores. illi enim vt pii pastores gregem pauerunt, ecclesiam ædificarunt: isti gregem mactant, ecclesiam destruunt.* Primitiui theologi, *inquit* [1] *Petrus de Alliaco*, ecclesiā ædificarunt: at nunc barritatores quidam eam destruxerunt. *Illi asylum aperuerunt viris piis: isti viris impiis & sceleratis. Illi docti erant, & orthodoxi: isti indocti & hæretici sunt.*

[1] De reform. ecclef.

Deinde vt illi tales essent; non tamen dici possunt lapides pretiosi, nec Christi honores cum eis communicandi

sunt. multò autem minùs posteriores pontifices, qui superioribus nec pares erant, nec similes.

Tertiò falsum est, nos ab istis pōtificibus accipere dogmatum fidei explicationem. quomodo enim tradere possunt, quod ipsi nō intelligunt? aut qui verisimile est, eos rectè dogmata tradituros, quos à recta & orthodoxa fide discessisse constat? Postremò, etsi propter indulgentiarum venalitatem, quas magno pretio diuendunt vbi stultos emptores reperire possunt, pretiosi homines dici possunt, nos tamen istas indulgentiarum merces ne vnius quidem assis æstimamus. Græci semper contempserunt. Pontificum Rom. quæstores, & synagogæ Rom. mercatores ferè nihil valere sentiunt & dolent. Hinc etiam Bellar. haberi putat cōsensionem in doctrina, vinculum pacis, vnitatē fidei & vitam religionis. *Sed hæc omnia nihil aliud sunt, quàm aut Papistarum somniantium deliramenta, aut hominū ebriorum, qui* [1] ex poculo aureo meretricis magnæ multum biberunt, & de vino prostitutionis eius inebriati sunt, *allucinationes. Quomodo enim habeatur cōsensio in doctrina à pontif. Rom. cùm vnus pontifex alterius decreta eneruet & abroget, & aliquando contraria decernat? ideo episc.* [2] *Chemēsis sola* euangelia inuiolabilia esse *dicit, decreta autem pontificum figi & refigi significat. Idem ostendit* Christum esse indiuisum, papam diuisum. *Præterea, nullum est religionis dogma, de quo Scholastici in cōtrarias partes nō disputent. ipsi deniq; pontifices doctrinam Christi non intelligunt. quomodo ergo efficere possunt, vt sui cum apostolica ecclesia, & inter se consentiant? Præterea, non pacis sunt authores, sed seditionum, coniurationum, bellorum. eorum enim opera christianus orbis bellis ardet, Turcarum opes creuerunt, oues Christi perierunt: quod & Papistæ fatentur.* Dum te amat papa, *inquit* [3] *Catharina Senensis*, & se propter se, perimus nos miserè oues eius. *Valla pontif. Rom. pacatis populis bellū inferre* [4] *dicit. Sed quid opus est verbis, cum ab hoc fonte omnia nostrorū & superiorū temporum bella profecta videamus? nec sanè mirum est, istos non sapere ea quæ sunt pacis, cum* [5] *duobus gladiis accincti in mundum prodeant, & nō minùs quàm Mahometus gladiorem gerant, & decreta sua & dogmata vi propugnent. Nihil est deniq; cur Bellarm. vel vnitatem fidei, vel vitam religio-*

[1] Apoc 17.

[2] Onus eccle. c.19.

[3] Orat. Cath. Senen.

[4] Contr donat. Const.

[5] c. vnam sanctam. de Maior. & obed.

religionis pontifici acceptam ferat. Pleriq; enim ita viuunt, vt omnes intelligant eos nec fidem, nec religionem, nec pacẽ curare: quod & bella ab eis gesta, & in religionis summis capitibus summa ignorantia, & turpitudo morum insignis, & eorum fœdus atheismus docet.

Pontifices *inquit*[1] *Paling.* nunc bella gerunt, sunt cætera nugæ.
Nec præcepta patrum, nec Christi dogmata curant.

[1] In Capricorno.

Atq; hoc infinitis exemplis & argumentis confirmare licet, sed illud non agitur hoc loco: & ista satis ostendunt præfationis huius Bellarminianæ vanitatem & ineptias.

Asserit præterea põtifices Rom. intra 800. annos celebrasse decem generalia concilia. *At ex eis nonnulla inuitissimi celebrarunt, vt ex actis concilii Constantiensis, & Basiliensis constat: nec reliqua alibi nisi intra sua præsepia, vbi omnis loquendi contra pontificem libertas adempta erat, cogere ausi sunt. Verùm, vt istud Bellar. gratificemur, multa ab illis coacta fuisse concilia; hoc tamen non consensionis, sed dissidiorum & dissensionum potiùs est argumentum. ideo enim coacta sunt concilia, vt schismata & contentiones de doctrina tollerẽtur. Quod ergo à suis dicit multa fuisse concilia coacta; à nostris, quos vbiq; hæreticos hic monachus trihæreticus vocat, nulla: partim alienum est, partim falsum. neq; enim ad causam pontificiam pertinet, quod nos concilia non celebramus: nec verum ẽst, nos concilia nõ celebrare, cum intra 40. annos in vna Anglia multas synodos indixerimus, maximaq; hominum doctorum & piorum frequentiâ celebrauerimus.*

Atq; ita Bellarminus dum multa de suo pontifice fabulatur, eumque velut lapidem pretiosum & probatum, imò & angularem, & Deum Terminum celebrat; non plus sapit quàm lapis. Præterea, dum eum dicit esse lapidem in fundamento fundatum, & fundamentum super fundamentum positum; *absq; omni fundamento meras super somnia sua inædificat nugas, & ineptias. Quis enim vnquam audiuit pontificem Rom. dictum fuisse fundamentum ecclesiæ? aut quid hoc est aliud, quàm in cœno & sabulo ædificare, & ecclesiæ fundamentum constituere momentaneum & mobile? Pontifices enim Rom. crebrò occidũt, & velut luna mutantur nonnulli eorum in grauissimas hæreses inciderunt. pleriq; in infernum demersi iacent, quò non*

dicet (credo) Bellar. ecclesiæ Christi fundamentum pertingere. Præterea, insulsum se ostendit architectum, vbi fundamentum ponit supra fundamentum, & plurima constituit vnius ædificii fundamenta.

Nec obstat quod ecclesia super Apostolos superstructa dicitur. nam hoc ideo dicitur, quòd doctrinam Christi scripserunt, quam nos pro fundamento fidei habemus, & seruamus. At nihil hoc ad pontificem Rom. cuius decretales & constitutiones nec fundamentum continent, nec doctrinam supra fundamentum fundatam.

Non obstat præterea, quod Petrus *quodammodo dictus sit* Cephas, *& à patribus nonnunquam fundamentum. nam hoc ipsi cum aliis Apostolis erat commune, & ad successores Apostolorum transmitti non potest, si propriè loqui velimus: Pontifex verò Rom. nec pascit gregem, nec* Petro, *aut vlli Apostolo successit, cum nec mores colat, nec doctrinam apostolicam. Quod ergo dicit* [1] *Leo,* exortes esse mysterii diuini, qui à Petri soliditate recesserunt; *prorsus Bellarmini causam iugulat. nam cùm certum sit, omnes pontifices Rom. recentiores à soliditate* Petri *recessisse; ostendit eos exortes esse mysterii diuini, & à Christi corpore mystico alienissimos.*

[1] Epist. 89.

Postquam verò ostendisset Bellarm. suos homines pontificem Rom. pro lapide probato, angulari, pretioso, & in fundamento fundato agnoscere *& venerari, vnde omnes facilè etiam ex Papistarum confessione intelligere possunt, ipsos ad veram Christi ecclesiam, quæ præter Christum nullum habet lapidem angularem, nec præter Christum & Apostolos vllum agnoscit ecclesiæ fundamentum, non pertinere; asserit* eundem aduersariis suis esse lapidem offensionis & petram scandali. *Sed si* Papistis *dixisset, licèt non rectè Christi propria priuilegia ad Antichristum detorqueantur; multò tamen dixisset aptiùs & veriùs. Nos enim lapideum hunc pontificem sine vlla offensione aut scandalo virorum piorum missum fecimus; at illi hoc lapideum idolum tanquam Deum Terminum, vbi omnia eorum dogmata terminantur, & velut fidei suæ fundamentum adorantes, in grauissimas inciderunt hæreses & errores.*

Hoc scandalum ergo, & religionis dehonestamentum, &

Luthe-

Lutherus & Caluinus, *& alii docti & pii episcopi & doctores amoliri & tollere conati sunt; idque* non probris, aut calumniis, aut conuitiis, *vt Bellarminus calumniatur; sed argumentis solidissimis, & scripturarum testimoniis verissimis, & modo agendi planè Christiano:* non deniq; furiis agitati, aut malo Dæmone pleni, *vt hic furiosus & dæmoniacus Iebusita clamat; sed à spiritu veritatis inducti & impulsi. Atq; ita negotium hoc successit, Deo benedictionem suam eis impendente, vt Babylon ruere iam cœperit, & pontificis regnum iam nutet, & ad interitum vergat. nam ex Anglia, Scotia, Dania, Noruegia, Suecia, multisq; Germania, & Galliæ partibus, cum omnibus suis hæresibus & superstitionibus eiectus est; neq; ex istis vel tantum pecuniæ corradi potest, quantum ipsi ad oleum pro luminibus ædis diui Petri, vt vocant, & Iebusitis ad vestes sibi emendas sufficiat. Nullus nunc indulgentias mercatur: missæ viles sunt: nec rescripta pontificum vllo in pretio habētur. itaq; filii meretricis Babylonicæ in luctu & squalore iacent, mercatores animarum flebiles voces edunt, & pontifex Rom. licèt caute omni durior & immanior, vlulat, & in consistorio suo sæpe lachrymatur, & flet synagogæ Rom. iacturam. Idem etiam bella concitat, emissariosq; suos ad res nouandas, & optimos quosq; iugulandos per orbem circummittit. ab eo etiam locustæ Iebusiticæ euolantes, omnes rerump. Christianarum angulos repleurunt, omnemq; doctrinæ salutaris fructum præcidere conati sunt. Iis succenturiantur ex seditiosis pontificis seminariis, sacrifici, quos in omnes partes ad pacem & fœdera populi Christiani turbanda & dissoluenda nuper missos videmus. Principes etiam ad eius nutum bella contra pios gesserunt. Sed Deus pro salute suorum pauperum & fidelium vigilat, omnesq; eius machinationes irritas fecit. capti sicarii & venefici pœnas dederunt; sacrifici & Iebusitæ seditiosi aut capite pœnas luerunt, aut exulatum abierunt; fracta & disiecta memorabilis illa Hispanorum classis, quæ Papistarum opibus aduersùs nos magnâ inflata iracundiâ venit, ingloria rediit. Istis ergo, qui à pontifice in fraudem inducti sunt, & qui ipsi obsequentes pœnas dedêre, pro* petra scandali *fuit. omnibus etiam, qui idola venerantur, & errores papisticos sequuntur, reuera est* lapis offensio- Luc. 17.

nis & petra ſcandali: *eiq; hoc nomine Chriſtus* væ *accinit. Melius ſanè ipſi fuiſſet, vt lapis molaris collo ipſius appenderetur, & ſic in mare deiiceretur, quàm vt tot continuò ſcandala populo Christiano præberet.*

At, inquit Bellar. qui ceciderit ſuper lapidem hunc, hoc eſt, ſuper pontificem Rom. confringetur: ſuper quem verò lapis ceciderit, conteret eum: *& ex Leonis epiſtola oſtendit*, eos ſe in infernum demergere, qui ſedi pontificis exiſtimant principatū denegandum. *At illa verba, niſi impiè & blaſphemè, ad pontificem Rom. detorqueri nō poſſunt.* Leo *autem de ſede Rom. loquutus eſt, quo tempore adhuc epiſcopi Rom. fidē Chriſti profitebantur & propugnabant. At nunc mutata eſt & eius ratio, & rerum conditio. itaq; videmus Deum multas illis benignè contuliſſe benedictiones, qui hanc pontificū Rom. ſuperbiā cōtundere voluerūt. Henricus quartus, hoſtis pontificū Rom. perpetuus, multas clariſſimas de hoſtib. tulit victorias. Inter omnes imperatores nulli erant illuſtriores, quàm Henricus, Fridericus, Ludouicus Bauarus, & alii, qui pontifices R. oppugnarunt. Zizca Bohemus antiquis imperatorib. Rom. par, in quinq; præliis pontificiorū copias fudit. Hēricus octauus, qui ex Anglia pontificē pepulit, omnes ſuos maiores gloria & potentia ſuperauit. Caſimirus, & Auranienſis, aliiq; noſtri principes, feliciter ſæpe aduersùs tyrāni huius copias maximas pugnarūt. Nihil eſt ergo quod Bellar. ſuum pōtificem lapidem eſſe immobilem & inuictum putet, quem tot homines obſcuri & imbecilli vicerunt & loco mouerunt.*

Hinc facilè videre licet, falsò Bellar. credidiſſe pontificem ſuum eſſe lapidem in fundamentis Sion, & lapidē probatum, pretioſum, angularē, & in fundamēto fundatum. *Præterea, impiè & blaſphemè hæc ad pontificem Rom. detorquentur. verba enim hæc Spiritus ſanctus de Chriſto Ieſu loquitur, Iſaia 28. & non aliunde referenda eſſe docet & Paulus Rom. 9. & Petrus 1. Petr. 2. quibus nefas eſt non credere. Poſtremò. nullus patrum verba hæc de alio intelligunt, quàm de Chriſto Ieſu ſummo angulari lapide eccleſiæ ſuæ. at quæ Chriſti propria ſunt, ea ſine impietate neque ad Antichriſtum, neq; ad alium quemuis hominem detorqueri & rapi poſſunt. Neq; ſanè ſine blaſphemiæ ſuſpicione vocauit Bellarm. ſuum pontificem lapidem offenſionis &*

petram

petrã scandali. Christus, *inquit Theophylactus*, [1] lapis offensionis, & petra scandali à fine & euentu eorum, qui non crediderunt, nominatus est. *At in pontificem Rom. nemo credere tenetur. quomodo ergo non impiè ad se Christi transferat honores? num aliquis patrum, aut aliquis bonus Scripturæ sacræ interpres hæc de pontifice Rom. intelligenda putauit? nullus sanè. Quando ergo Papistæ patrum iactant interpretationes, rogandi sunt, vt ad has pulchras Bellar. interpretationes oculos suos retorquere velint. sic nobis aut parciùs, aut verecundiùs patrum nomina & interpretationes obiicient.*

[1] In Rom. 9.

Atq; hæc ad lapideam Bellar. de suo lapide põtifice Rom. præfationem respondenda censuimus prolixius, vt hinc periculo facto, quàm non sit metuenda militis huius gloriosi & stercorei iactantia & magniloquẽtia, discatis. Nunc autem vniuersam Bellar. de pontifice Rom. disputationem aggrediemur, vt vniuersas pontificũ Rom. copias, quas omnes in hoc certamine effuderunt, contemnendas esse intelligatis: vnde etiam insignis Bellar. audacia & insania deprehendetur. Quo.n. ore ausus est ille põtif. Rom. velut lapidẽ ecclesiæ angularem iactare, quem nos nullo iure regnũ in ecclesia occupasse ostendemus? Iactant quidem Papistæ scripturas, & patres, & historias. at nos pontificatum Rom. non tantùm scripturis & patrum scriptis, sed etiam veteris ecclesiæ moribus aduersari docebimus.

Adeste ergo, & animum aduertite. neq; enim parua res agitur: nec tantùm de pontifice Rom. sed de fide & vera religione, quæ hactenus pontificis Rom. tyrannide oppressa iacuit, disceptatur. Præterea, de principũ Christianorum authoritate, de ciuium libertate, & omnium ecclesiæ pastorũ iure, quod tyrannus iste ad suum arbitrium reuocauit, tractatur. Neq; enim vel fides Christiana suum splendorem, nec principes christiani suam authoritatem, nec ecclesiæ pastores & ciues ius suum obtinere possunt, quamdiu iste, vt antea fecit, sublimis in sede sua regnabit, & inde oracula fundet, & fulmina aduersùs pios episcopos, & alios Christianos, & summos principes iaculabitur.

Ne autem quæstionum multitudo & varietas, quas in hac causa multas inducit Bellarm. & in eis quasdam non necessarias, vobis molestiam & tædium gignat, controuer-

ſiaq; & cauſa cognitionem impediat; nos omnes huius cõtrouerſiæ quæſtiones ad quinq; ſumma capita reducemus. Aut enim quæritur, Quis ſit optimus eccleſiæ ſtatus, quæq; reip. eccleſiaſticæ forma: aut, Vtrùm Petrus ſummus fuerit eccleſiæ monarcha, & apoſtolorum rex, ſeu ſaltem ſummus Sacerdos: aut, Vtrùm pontifex Rom. Petro in vniuerſali eccleſiæ adminiſtratione ſucceſſerit: aut, Quod ius epiſcopi Rom. olim vel in eccleſia vel repub. habuerint: aut deniq;, Vtrùm ſit antichriſtus ille, de quo Apoſtolus 2. Theſſ. 2. & Ioan. Apocal. 13. & 17. & aliis in locis. Intra iſtos fines omnis, quæ inter nos & Papiſtas verſatur, cõtrouerſia concluditur. Nam ſi nec ſumma eccleſiæ vniuerſalis poteſtas penes vnum ſit; nec Petrus conſtitutus fuerit ſummus eccleſiæ Monarcha; nec pontifex Rom. Petro vel in apoſtolatu, vel in vniuerſali eccleſiæ regimine ſucceſſerit, nec vllo iure habeat, quam nunc arrogat in legibus & iudiciis, & gratiis, & aliis rebus omnibus, eamq; ſupra Imperatores & ſummos principes, & omnes Chriſtianos poteſtatem: tunc nos planè vicerimus, aduerſariorum cauſa profligata iacet. Multò verò magis, ſi pontificem Rom. caput eſſe regni antichriſti demonſtrauerimus. nos autem omnia hæc molimur, nec dubitamus quin effecerimus.

Vos ergo, quicunque hoc inter nos certamen ſpectabitis, per Chriſtum Ieſum oro, vt hæc noſtra & aduerſariorum ſcripta æquo animo legere, & attentè conſiderare velitis. Deumq; patrem per Chriſtum Ieſum veneror & oro, vt detectis omnibus & tyrannorũ & ſophiſtarum fraudibus & inſidiis, veritatem ſuam omnibus Chriſtianis patefacere velit. Valete.

DE



DE PONTIFICE ROMANO LIBER I.

In quo, controuersia de optimo Reip. & Ecclesiæ statu tractatur.

Diuersam esse reip. & ecclesiæ administrandæ rationem & formam, CAP. I.

TOTIVS huius de optima politeiæ ecclesiasticæ forma controuersiæ fundamentum in eo positum est, quod non dubitat Bellar. *quin vna & eadem sit reip. & ecclesiæ administrandæ ratio.* Nam si ita se res habeat; tum necessariò sequetur, optimam reipub. formam, etiam in ecclesia gubernanda optimam esse: & si Monarchia sit optima reip. forma, tum ecclesiæ administrationem esse Monarchicam. At hoc fundamentum Bellarminus aut nō aduertit, aut quia difficile erat fundamentum hoc solidis argumentis confirmare, summo silentio pretermisit: vnde omnes intelligunt, omnem hanc eius de regimine optimo & forma reip. Monarchica disputationem fundamento carere, & vel plumâ esse leuiorem, quæ in aëre volitans omni flatu differtur, & nullum locum habet vbi consistat. Nos autem, ne postea quisquam putet hoc argumentum alterius melioris artificis manu resarciri posse; fundamētum hoc funditus euertemus, & ostendemus longè diuersam & discrepantem esse reipub. & ecclesiæ administrandæ rationem. Præterea, quoniam hoc pro indubitato principio futuræ pontificis Monarchiæ, quam ille sophistico potiùs quàm Architectonico artificio extructurus est, sumit & ponit, quòd *Monarchia est optima reip. forma*; nos, quæcunque nostra sententia est, hoc viros doctissimos & maximè politicos aut negasse aut dubitasse ostendemus. Vtrumuis autem horum ob-

tinuerimus, omnis Bellarmini, & Sanderi, & Stapletoni de formis rerump. & earum differentia cadit nugacissima & verbosissima disputatio. Præterea, omnis eis aditus ad futurum pontificis Rom. regnum ex similitudine hac rerump. fundandum præcludetur. Nam si aliter resp. aliter ecclesia gubernetur; tū ad hoc negotium non multum interest, quę sit reip. forma optima. Si autem dubium sit, an monarchicus reip. status reliquis præstet; tum fundamētum papatus super arenam & incertum principium positum est. Si autem alia sit reip. forma præstantior; tum certum est pontificis Rō. monarchiam non esse à Deo institutam. fatetur enim [1] Bellarminus, & certissimum est, Iesum Christū optimum & commodissimum modum gubernationis ecclesiæ suæ præscripsisse. Postremò, vt Deus voluerit ecclesiæ regimen esse monarchicum, & hoc præstantissimum esse politeiæ ecclesiasticæ genus iudicarit; nihil tamen hoc ad pontificem Rom. Deus enim perpetuus est ecclesiæ monarcha & rex, neque eius gubernandæ summam potestatem deserit, aut cum aliis communicat. Nos ergo, ambagibus omissis, quas aduersarii hoc loco studiosè persequuntur, cursum institutum tenebimus.

[1] *De pontif. Rō. lib. 1. c. 1.*

Non esse vnam & eandem reip. & ecclesiæ gubernandæ rationem, probatur *primò*, quia ecclesia est corpus mysticum. hoc enim nos docet apostolus, hoc patres confirmant, & ipsi aduersarii non negant. [2] *Multi*, inquit Apostolus, *vnum corpus sumus in Christo*; & [3] *omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.* at Christo non coniungimur, nisi per nexus corporis mystici: nec alteri corpori nos adiungit baptismus, quàm corpori mystico. Respub. verò corpus est politicum, quod legibus & magistratibus ciuitatum continetur. *In reip. corpore*, inquit [4] Cicero, *vt totum saluum sit, quicquid est pestiferum amputetur.* hîc necesse est corpus ciuitatis externum intelligi. Inter hæc autē duo corpora multum interest; eaq; differentiæ insignes separant. Nam primò, mystici corporis caput in cælis est, licèt eius pars in terris versetur. Christus enim qui *caput est corporis ecclesiæ*, vt inquit [5] Apostolus, & præter quem vniuersa

[2] *Rom. 12.*
[3] *1. Cor. 12.*
[4] *Philip. 8.*
[5] *Coloss. 1.*

uersa

uersalis & catholica ecclesia, & corpus mysticum nullum agnoscit caput, in cælis est. *Totus Christus*, inquit [6] Augustinus, *caput & corpus est, caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius ecclesia.* At longè alia reip. ratio est. capita enim corporis reip. seu magistratus, in terris versantur, & ciuibus præsentiam suam exhibent, eisq; decedentibus alii succedunt: nec viuis defuncti, mortalibus immortales, sed homines mortales & vitam hanc agentes viuis præsunt.

[6] *Cōtr. epist. Petil. cap. 4.*

Præterea, corpus mysticum fide & sacramentis connectitur; & ad Ecclesiam eandem pertinent, qui eandem fidem, eademque habent sacramenta, licèt in locis longo interuallo disiunctis degant, & varios habeant externos in diuino cultu ritus; & alii atque alii episcopi & pastores eis præsint. Postquam enim Apostolus [1] dixisset, *vnum corpus, & vnus spiritus*: statim subiungit, *vnus Dominus, vna Fides, vnus Baptismus.* vnde intelligimus vnitatem Ecclesiæ consistere in vnitate fidei, & sacramentorum, & vnius Dei cultu. At contrà, respub. magistratibus & legibus continetur, & coniungitur, vt [2] homines docent politici: & illi dicuntur eiusdem ciuitatis, seu reipub. qui eisdem parent magistratibus, & leges & loca publica habent communia. qui autem in diuersis locis sub diuersis magistratibus & legibus viuunt, ad diuersas pertinēt ciuitates & respublicas.

[1] *Ephes. 4.*

[2] *M. Cicer. de legib. 3. & Arist. Polit. 3.*

Huc adde, quod corporis mystici partes sunt omnes filii Dei, vel qui nunc sunt, vel qui fuerunt, vel qui futuri sunt. *Corpus eius*, inquit [3] Augustinus, *est ecclesia: non autem ista vel illa, sed toto orbe diffusa; nec ea quæ nunc est in hominibus, qui præsentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus etiam his, qui fuerunt ante nos, & his, qui futuri sunt post nos vsque ad finem seculi.* Hieronymus etiam *populum veteris Testamenti ad hoc corpus pertinere* [4] dicit. At ciuitatis alia ratio est. ad eam enim nulli pertinent, nisi qui præsenti vita fruuntur. multum autem interest inter illud politeiæ genus, quod ad viuos & defunctos & futuros pertinet, & illud, quod præsentis vitæ finibus terminatur.

[3] *In Psal. 56.*

[4] *In epist. ad Galat. cap. 4.*

Nec leue est huius discrepantiæ indicium, quod

corpus hoc mysticum dicitur etiam domus spiritualis. *Ipsi*, inquit [5] Petrus, *tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis.* At ciuitas corpus est temporale, & non spiritus motibus, sed præmio, & pœna continetur.

[5] 1. Pet. 2.

Corpus mysticum denique vinculo spiritus cōiungitur, vbicunque eius membra dispersa latent. omnesque Christiani licèt diuersos colant mores, magnamque habeant in ritibus, & cæremoniis diuersitatem, ad vnam pertinent ciuitatem Dei. Nam vt inquit [6] Apostolus, *vnum corpus, & vnus spiritus.* & [7] Augustinus *alienos esse dicit ab ecclesia, qui spiritu non coniunguntur.* Externos autem mores non semper eosdem vbique seruari docet. *Nihil sanè*, inquit [8] ille, *pertinet ad istam ciuitatem, quo habitu vel more viuendi, si non est contra diuina præcepta, istam fidem, qua peruenitur ad Deum, quisque sectetur.* At reip. corpus non spiritus, sed legum vinculis externis coniungitur, & continetur; & easdem leges omnes ciues, qui eiusdem sunt ciuitatis, seruare tenentur.

[6] Ephes. 4.
[7] De corr. Donatist. cap. 10.
[8] Lib. 19. de ciuit. Dei. c. 19.

Probatur *secundò*, quia vna est quæ vbique est ecclesia, & omnia ecclesiæ membra vnius sunt ciuitatis, licèt magno locorum interuallo disiuncta sint: Ecclesia enim catholica omnes vbique fideles complectitur. *Credimus*, inquit [1] Augustinus, *Ecclesiam catholicam. ipsa est ecclesia sancta, ecclesia vna, ecclesia vera, ecclesia catholica.* At in orbe terrarum multa sunt regna, multæ respublicæ, eæque nullo legum aut magistratuum vinculo aut nexu coniunctæ. Quantum ergo inter totius orbis procurationem, & alicuius partis regimen; tantum administratio ecclesię catholicæ, à regni aut reip. alicuius particularis procuratione differt.

[1] Lib. 1. de symbol. c. 5.

Probatur *tertiò*, quia sicut vnus est ecclesiæ summus [2] pastor, & princeps Iesus Christus, qui easdem omnibus vbique hominibus leges & præcepta dedit: sic vna est ecclesiæ vera & essentialis forma. vnus est enim pastor, & vnum ouile: & illum vnum pastorem omnes gregis Dominici oues sequuntur. At rerump. vt varii sunt magistratus; sic variæ reperiuntur formæ. nam hæc à rege, illa ab optimatibus, alia à potentioribus & locu-

[2] Hebr. 13.

locupletioribus è populo regitur: omnesque istæ formæ bonæ sunt. At secus fit in ecclesia. nam vt vnus est summus ecclesiæ rex, qui etiam rex est regum, & Dominus dominantium; ita vna est fidei formula, vnaque ecclesiasticæ politeiæ ratio: à qua qui discedũt, in labem gubernationis ecclesiæ incidunt, & Christi leges transgrediuntur. Nec obstat, quod variæ sint, quoad externos mores, particularium ecclesiarum cęremoniæ, & ritus. rituum enim diuersitas non mutat ecclesiæ formam, quæ principaliter in Christi regno, & apostolico sub Christo ministerio cernitur.

Probatur *quartò*, quia perpetuò manet ecclesia, licèt multæ in reb. humanis mutationes accidant. fundata est enim supra petram immobilem, *&* [3] *portæ inferi aduersus eam non præualebunt*. Præterea, Christi mandata non mutantur, nec antiquantur: eaq; huius architecti sapientia est, vt eius ædificium nulla hominum vis, aut consilium euertere possit. neque enim, vt alii architecti, opere inchoato, aut absoluto, discedit; sed [4] promisit *se tum suis futurum vsque ad seculi consummationem*. At Monarchiæ, & optimæ quæque respub. varias mutationes accipiunt, imò aliquando funditus intereunt, & ad nihilum recidunt. Nam & regnum populi Israelis, & *Assyriorum*, & *Persarum*, & *Macedonum* imperia potentissima euersa sunt; & vrbs Roma dominaque mundi, quæ olim orbi terrarum leges dedit, & reges sibi seruire coëgit; nunc seruo seruorum, & Domino impuro seruit, & ceruices eius iugo submisit. Cicero, vt ætatis varios [1] flexus, *sic rerumpub. dicit plures esse conuersiones*. Ineptissimè ergo faciunt aduersarii, qui in ecclesiæ forma constituenda, à rebuspub. humanis exemplar capiunt, & politicis principiis insistunt, & ad humanas leges formam ecclesiæ exigunt, quæ nullo humano consilio erigitur, nec legibus hominum subiacet.

[3] *Matth.* 16.

[4] *Matth.* 28.

[1] *Epist. fam. lib.* 1. *& ad Attic.*

Probatur *quintò*, quia ecclesia nullis locorum aut temporum finib. circumscripta, aut definita est. Hinc illud [2] vaticinium de Christo: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et ecclesia [3] dicitur *regnum, quod in æternum non dissipabitur.*

[2] *Psal.* 2.

[3] *Daniel.* 9.

Eadem complectitur omnes sanctos præteritos, præsentes, & futuros, vt diximus. hinc Catholica dicitur, quia per omnem terram diffusa est, & non tantùm intra limites obedientiæ pontificis Rom. vt [4] Bellar. cogitat; & quia omnium temporum sanctos complectitur: quod [5] *Vincentio Lirinensi* verè Catholicum dicitur. At respub. certos habet fines & terminos. ἔστι τι καὶ πόλεσι, inquit [6] Aristoteles, μεγέθους μέτρον, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων πάντων ζώων. hoc est, *sua omnibus ciuitatib. certa & definita est magnitudo seu mēsura, vt aliis animalib. omnibus*. certis etiā limitib. ciuitas omnis definita est. *Nullum regnum*, inquit M. [7] Tullius, *fuit vnquam, quod nō, si minus iure aliquo, at regionib. tamen certis contineretur.* Neq; .n. fieri potest, vt vniuersus orbis eisdem legib. & eisdem magistratib. & imperiis gubernetur. Resp. præterea multas habet conuersiones & periodos: eademq; ad præteritos & futuros eiusdem loci incolas non extenditur. Magna ergo insania est, & non modò stultitia, formam reip. certis terminis & finib. locorum & temporū circumscriptam, ecclesiæ, quæ nullis limitibus definitur, nullis personis certis alligatur, aptare.

[4] *De eccles. milit. cap.* 3.
[5] *In commonit.*
[6] *Lib.* 8. *Polit cap.* 4.
[7] *In Orat. Agraria contr. Rullū.*

Probatur *sextò*, quia Ecclesia catholica & Vniuersalis, non nisi Christi summi ecclesiæ moderatoris legibus necessariò tenetur. Est enim ciuitas Dei & domus Dei, & corpus Christi: & propterea non alias habet leges certas & immutabiles, præterquā à Deo latas. hoc enim disertè dicit propheta: *Dominus,* [8] inquit ille, *iudex noster, Dominus legislator noster, Dominus rex noster.* Huic etiam sententiæ attestatur Apostolus Iacobus. *Vnus*, inquit [9] Iacobus, *est legislator & iudex, qui potest perdere & saluare.* Hoc etiam nos docent politica præcepta & reip. ratio. nam corpus capiti tantùm suo paret, & connectitur obedientiæ vinculo, & nō aliis impositītiis capitibus. Et regis, & summi est principis & moderatoris, leges ferre. neque sanè animas potest legibus ligare, nisi qui animas potest saluare & perdere, & in eas habet potestatem. At longè aliter se habet in regnis huius seculi. nam pro gubernatorum & principum diuersitate diuersæ sunt leges, eæq; pro arbitratu magistratuum mutantur, & abrogantur. sunt etiam

[8] *Esai. c.* 33.
[9] *Iacob.* 4.

multi reges & gubernatores. longè ergo aliter ecclesia regitur, aliter regnum & respublica.

Probatur postremò à finium diuersitate. nam in Ecclesia salus animarum spectatur: in repub. pax externa, & ciuium vtilitas. Veri ecclesiæ ciues non curant quæ sunt huius mundi, sed mentem suam in vnius Dei amore defixam habent. At ciues salutē ciuitatis, & singulorum externam spectant, & in eum finem parant arma & opes, & alia rerump. præsidia. In ecclesia non tam externæ cæremoniæ, quàm fides & aliæ internæ virtutes ad rectam ecclesiæ administrationem requiruntur. omnis enim ecclesiæ splendor & ornatus internus est, & in ea Christus spiritu suo internè operatur. At in repub. alia est ratio. ibi enim externa obedientia, & externa pax, & vtilitas ciuitatis, quoad res externas, quæritur. ibi denique magistratus gladio coercent improbos, honoribus ciues vtiles & benemeritos cumulant. Frustra ergo quærit Bellar. *quæ sit optima Reip. forma*. aliter enim resp. aliter ecclesia regitur, aliterque de bono ecclesiæ & reipub. statu iudicatur. quod & ipse tacitus fatetur. nam si non ita esset, tum ille hoc suæ argumentationis fundamentum aliquot argumentis roborasset, & confirmasset. Frustra etiam longam instituit de Monarchia, & aliis rerump. formis disputationem. non enim Aristotelicam, sed apostolicam quærimus Ecclesiæ formam. nec magnopere laborandum censemus, quid homines politici de rebusp. sed quid Christus de Ecclesia sua præceperit. Sed quoniam isti homines mirificè sibi in rebus politicis placent, & Monarchiam suam visibilem tantopere admirantur; non alienum erit, quid homines sapientissimi olim de Monarchia existimarint, ostendere; & Bellarmini philosophicam de ea disputationē, ne posthac nobis hac in re molestus sit, refellere.

An Monarchia sit optima reip. forma, veterum, aliorumq; doctorum virorum sententiæ, & argumenta proponuntur, Cap. II.

QVàm nihil sapiat Bellarmin. in rebus politicis, quid nos argumenta aut testes quæramus? cum in ipso disputationis suæ principio tam gra-

[1] *Lib.* 1. *de pontif. c.* 1. — [2] *Ethic.* 8. *c.* 10 *& Politic.* 3. *c.* 5.

uiter impegerit, & quasi arcem politicæ scientiæ euerterit. [1] Asserit enim *tres esse formas bonæ gubernationis: Monarchiam, Aristocratiam, & Democratiam.* At [2] Aristoteles, & omnes rerum politicarum magistri, *Democratiam* inter labes rerumpub. & non inter laudatas formas numerant. Neque sanè multò meliùs de Monarchia existimat, si vera sit antiquissimorum, & maximè politicorum hominum sententia. illi enim monarchiæ alias formas prætulerunt, & hoc variis documentis ostenderunt.

[3] *Lib. Polit.* 3. *c.* 5. — [4] *Ibidem.*

Primò, ostendunt tyrannidem monarchiam esse. ἡ μὲν τυραννὶς, inquit [3] Aristoteles, ἐστὶ μοναρχία πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τοῦ μοναρχοῦντος. Et ne hoc impropriè vel æquiuocè dictum putemus; idem æquè tyrannidem dici monarchiam significat, ac regnum. καλεῖν δὲ εἰώθαμεν, inquit [4] ille, τῶν μὲν μοναρχιῶν τὴν πρὸς τὸ κοινὸν ἀποβλέπουσαν συμφέρον, βασιλείαν. Sed & nominis notatio hoc indicat. est enim Monarchia, si verbum interpretari velis, nihil aliud, quàm vnius principatus seu imperium. & sic tyrannis propriissimè *Monarchia* dicetur; & Bellarminus stultissimè pro regno dixit *monarchiam*, & monarchiam aristocratiæ præposuit.

[5] *Arist. Polit.* 3. *c.* 11. — [6] *Arist. Polit.* 3. *c.* 12. — [7] *Daniel.* 6.

Deinde, quinque illi monarchiæ regię species [5] enumerarunt. Harum prima est, quæ heroicis temporibus obtinuit, & nunc nusquam cernitur. nusquam enim populo permittitur, vt regnum deferat ei, quem virtute præstantissimum iudicarit. Altera apud barbaras nationes locum habuit. Tertia dicebatur αἰσυμνητεία, & nihil aliud erat quàm tyrannis spõte probata, & ciuium suffragiis confirmata. Quarta dictatura erat perpetua, seu imperium à ciuibus sub certis legibus delatum; quod genus Lacedæmonii probarunt. Quinta παμβασίλεια [6] dicebatur, in quâ rex legibus solutus, cuncta pro arbitratu suo administrabat. huiusmodi monarcham se esse existimauit ille, qui licèt nouercam per leges ducere non posset, non dubitauit tamen illud facere, quia per leges cuncta posset. & talem monarchiam *Persæ* probasse videntur, qui omne regis verbum pro lege [7] coluerunt. At prima monarchiæ species, vt virtutes heroicæ, & heroûm sobo-

soboles, rarò aut nusquam reperitur. secunda meram tyrannidem sapit, & nõ tam homines liberos & Christianos, quàm Turcas & barbaros decet. tertia ab Alcæo grauiter [1] reprehensa est, & meritò: erat enim nihil aliud quàm tyrannis spõtanea. quarta nimis angustos fines imperii regi præscribit. Quinta omnium est deterrima. neq; .n. vllus ibi locus est virtuti, vbi omnis voluntas, imò & libido est pro lege. Cum ergo nulla harum monarchiarum species reliquis præstaret, non dubitarunt illi Monarchiæ Aristocratiam anteferre.

[1] *Arist. Polit. lib. 3. c. 10.*

[2] Hoc autem fecisse videntur, *primò*, quia hoc genus imperii antiquissimum fuisse videtur, & ordini naturæ maximè consentaneum: deinde, quia populus Dei illud primùm probauit: tertiò, quia Deus nõ regnum, sed optimatũ regimen populo Israelitico præscripsit: quartò, quia ratio hãc formam optimam esse suadet: postremò, quia diuina & humana testimonia illam omnibus anteponendam esse docent. Eorum verò argumentationes nos ipsorum verbis reddemus, nihil de nostro apponentes.

[2] *Cur veteres Aristocratiam elegerint.*

Post creationem Adam, inquiunt illi, nulla diu alia erat hominum coniunctio, aut societas inter se, præter œconomicam, siue domesticam. Patres .n. & maiores natu liberis, patresfamiliâs toti familiæ imperabant. atq; hoc illi Abrahami, Isaaci, & Iacobi exemplis confirmãt. nam licèt illi potẽtes essent, vt illis temporib. nulli tamẽ ciuitati, aut regno præpositi videntur: imò nulli populo imperabant, præterquã domesticis suis & liberis. Similiter Hemor princeps [3] Heueitarũ liberis & seruis suis præfuit. eademq; erat reliquorum principũ illis temporib. ratio. [4] Quod autẽ dicit Bellar. *patriarchas regia potestate præditos fuisse*; ipsius arguit insignẽ stultitiam & imperitiam, qui patrisfamiliâs & regis iura; domũ & remp. distinguere non potuit. inter hæc .n. magnũ est discrimẽ: nam ex variis domib. vicus; ex plurib. vicis, seu saltem domib. resp. & ciuitas cõflatur. ἐκ πλειόνων κωμῶν, inquit [5] Aristoteles, κοινωνία τέλειος πόλις. vbi autẽ non est nisi vna domus, ibi non est ciuitas aut regnum, sed ius tantùm domesticum. Nec obstat quod dicit Bellar. *Abrahamum bellũ gessisse ad-*

[3] *Genes. 34.*

[4] *Lib. 1. de pontif. c. 2.*

[5] *Polit. 1. c. 1.*

uersus quatuor reges; & Iudā nurū suā stupri accusatā igni adiudicasse. nā Abrahamus domesticis copiis hostē fu-
6 *Genes.* 14. dit. *cū.n.* [6] *audiuisset captū Loth, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos & octodecim, & persequutus est hostes.* Et similiter Iudas, vt omnes alii patresfamiliâs, in suos habuit vitæ & necis potestatem, idq; non ex iure publico seu regio, sed priuato & domestico. hoc ergo
7 *Genes.* 38. iure aduersus nurum suam vti [7] voluit, quando eam produci iussit, vt combureretur. Postquam verò propter potentiorum iniurias, infirmiores in ciuitates coire cœperunt; tum plurib. patribusfamiliâs consentientib. vt aiunt, electi sunt magistratus, à quib. reliquis
1 *Genes.* 34. ciuibus leges & iura data sunt. Ita Hemor & Sichem [1] sperarunt icto cum Iacobo fœdere, se & suos cum illo & eius liberis pacificè habitaturos, & omnes in vnum populum, aut ciuitatē coalituros. Post obitū verò Iacobi, duodecim patriarchæ in vnam remp. coalescentes toti populo Israelitico præfuerunt: eisq; filii natu maiores succedentes, eodem iure vsi sunt. Moses enim & Aaron cum mandata ad populum Israeliticū à Deo haberent, *congregarunt cunctos seniores filiorum Israel*, vt
2 *Exod.* 4. inquit [2] Moses. at hoc non fecissent, nisi apud seniores & optimates imperium fuisset. Hinc illi colligunt ex formis rerump. diuersis primam & antiquissimam, & maximè secundùm naturam fuisse optimatum gubernationem. illud autem optimum quod primum, & naturæ incorruptæ maximè est consentaneum.

3 *Lib. hist.* 1. Nec obstat quod [3] Iustinus ait, *principio rerum, gentium, nationumq; imperium penes reges fuisse.* ille.n. legem Dei & veteris populi Israelitici historiam non legerat, nec antiquissimorum populorum, ante tempora Cyri Persarum regis statum, & remp. nouit. nam post pauca de Nino verba à Cyro, qui nō ante inclinationē regni Israelitici regnauit, historiam exorditur. non mirum ergo si de antiquitate regnorum falsum scripsit.

Deinde non est dubiū, vt ipsi loquuntur, quin Deus populo suo pr[illegible]tissimam reipub. formam præscripserit. quis enim ei sapientia vel par est, vel secundus?
4 *Deut.* 4. Moses [4] dicit populum Israeliticū propter præcepta & leges sibi à Deo datas, reliquis nationibus admirationi

tioni

tioni futurum. At isti Deum populo suo non regnum, sed optimatum statum præscripsisse autumant. nō regnum, quia legem [5] præscripsit de rege, qui posteaquā Israelitæ in terram promissionis venturi erant, constituendus esset. at Aristocratiam constitutam credunt, quia nihil egit Moses, aut Iosua, aut quisquam è ducib. populi, nisi ex consilio & authoritate principum & seniorū populi. Præterea, summa potestas leges ferendi, iudicandi, belliq; & pacis, negotiorumq; publicorum, penes summum [6] erat consessum Hierosolymitanum, quem Iudæi *Sanedrin* dixerunt. quod inde etiam constat, quia post reges constitutos, hic [7] consessus regem & summum sacerdotem iudicabat. Hanc sententiam suam etiam Iosephi testimonio confirmant. *Aristocratia*, inquit [8] Iosephus, *& vita quæ ex ea degitur, res optima est, nec vos capiat desiderium alterius reip.* Carolus etiam Sigonius ostendit, reip. Hebræorū formā primam fuisse Aristocraticam *Sūma rerū*, inquit [9] ille, *primùm penes optimates posita fuit, deinde penes reges, quorū principatuum illum* Aristocratiam, *hoc* Regnum *Græci vocarunt.* Nec obstat, *quod Moses, & Iosua, & Iudices, regiam in quibusdam reb. potestatem haberent*, vt existimat Bellarminus. nam & iudices, qui sceleratos vltimo supplicio afficiunt, & belli duces habent quādam regiam potestatem: sed eam illi ab iis qui summum habēt imperium acceperunt. Quare, nisi docere possit, Mosem, Iosuam, & reliquos duces & iudices summum ius in administratione reipub. Israeliticæ habuisse, nihil agit. Quod autem Deus non præscripserit Israelitis reipub. monarchicæ formam, sed potiùs Aristocratiā, inde confirmari putant, quia illis, qui contempto Samuele, regem sibi more aliarum gentium dari postularunt, grauiter succensuit. *Non te*, inquit [1] ille ad Samuelem, *abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* At non est ille censendus optimus reip. status, qui Deo displicet, & Aristocratiæ posthabetur, vt illi aiunt.

Respondet [2] Bellarminus, *Non displicuisse Deo statum regium, sed quod talem regem populus peteret, qui regnum vt suum & proprium possideret, & ad filios & nepotes transmitteret.* Sed hanc responsionē Aristocratiæ pa-

[5] *Deut.* 17.

[6] *Sigon. de rep. Hebr. lib.* 6. c. 7. & *Petrus Galat.*

[7] *Ibidem.*

[8] *Lib. antiquit.* 4. c. 6.

[9] *De repub. Hebr. lib.* 1. c. 5.

[1] 1 *Sam.* 8.

[2] *Lib.* 1. *de pontif. Rom.* c. 2.

troni rident. nihil enim magis ſtultum, quàm illud in regno reprehenſum putare, quod eſt optimum. hæc enim regni eſt ſumma laus, quòd iure ad proximum agnatum deuoluto, omnis de regno contentio & diſceptatio tollitur. Præterea, aſſerunt hanc eius reſponſionem ſacris literis aduerſari. docent enim illæ ideo reprehenſum fuiſſe populum Iſraeliticum, quod regem petiiſſet, non quod tyrannum. Quam etiam ſententiam confirmat [3] Ioſephus. *Impiè nimis*, inquit ille, verba Samuelis populo accommodans, *egiſtis in Deum petentes regem*. Poſtremò, oſtendunt hanc Bellar. interpretationem rationi repugnare. abſurdum enim fuiſſet alium regem poſtulare, ſi quem antea habuiſſet. & facilè reſpondere populo Samuel potuiſſet & dicere; cur regem quæritis, cum iam regem habeatis? illud verò inſanum fuiſſet, ſi rege optimo abiecto tyrannum petiiſſent, quod tamen Bellarminus putat. ſed diſcere potuit à [4] Ioſepho, Iſraelitas vſque ad Saulis tempora ab optimatibus gubernatos fuiſſe, & hunc primùm regem habere cœpiſſe.

[3] *Lib. antiquit. 6. c. 5.*

[4] *Vbi ſupra.*

Præterea, multas afferunt rationes politicas, cur ipſis optimatum ſtatus optimum reip. regimen videatur. Nam ſi vnius boni viri laudabile ſit imperium; tum multorum virorum bonorum imperiũ multò laudabilius erit, & præſtãtius. [5] *ἓν δ' ἑνὸς οἱ δύο ἀγαθοὶ βελτίους*, inquit Ariſtoteles. plures enim omnia rectiùs inſpiciunt & curant, quàm vnus: iidemq; pluribus in locis adſunt, ſibiq; mutuum auxilium ferunt. Ariſtoteles abſurdum eſſe dixit, putare aliquem plus vno oculo videre, quàm duob. & plus vna aure audire, quàm duab. aut vnũ plus poſſe, quàm duos. Vnde etiã Agamemnon ille, licèt ſummo iure omnia ageret, plures tamen ſibi conſentientes adiungi optauit. *τοιοῦτοι δέκα*, [1] inquit, *μοι συμφράδμονες εἶεν*. at in optimatũ ſtatu nõ decẽ, ſed plurimi in vtilitate & ſalute reip. procurãda cõſentiunt.

[5] *Lib. 3. Polit. c. vlt.*

[1] *Homer. Iliad.*

Secundò aſſerũt, optimatum ſtatum eſſe & virtutis templum. ibi enim honores bene merentib. exhiberi; & virtuti præmia dari. Hîc commemorãt remp. Rom. vbi ſumma ingenia & virtutes eximiæ tempore ſtatus Ariſtocratici apparebant, & eo tempore fundamenta

iacta

iacta eius imperii putant, quod postea amplissimum populus Rom. adeptus est. iidem optimatibus rerum potiuntib. existimant aurea secula fuisse tempore Saturni. *Tunc ciuitates bene ordinatæ*, inquit [2] Rabanus, *tunc sanctæ ecclesiæ res rectè aguntur, cum & fortiores viribus necessariis insistunt operibus, & seniores maiore prudentia præditi de iis, quæ agenda sunt, salubriter consulunt.* At in regno nec eximiæ virtuti locum esse, nec mediocri præmium tribui contendunt. atque hoc exemplo Romanæ ciuitatis confirmant, quæ sub imperatorib. decus omne amisit, quod virtute optimatum acquisitum est. Poëtæ etiã narrant Iouem, qui pulso Saturno primus regnum inuasit, iustitiam è terris etiam pepulisse. [2] *In gloss. Prou.* 20.

Deseruit, inquit Poeta *prope è terras iustissima virgo.*

A Ioue *iustitiam pulsam, & seruitutem, & bella, & omnia mala introducta* narrat [3] *Lactantius.* Adeo verò multas narrant principum cupiditates, iras, libidines, vitia, impietates, ineptias, vt facilè non sit reges bonos & sapientes inuenire. Bonorum omnium principũ facies, in vnius annuli pala facilè describi posse, dixit Claudii Neronis mimus. Hesiodus sui temporis reges vocat νηπίους καὶ δωροφάγους. rarò enim Deus summas opes, & summas virtutes vni conferre solet. Regis autem mores optimè omnium descripsit Spiritus sanctus: *Filios vestros*, inquit [4] Samuel, *tollet & ponet in curribus suis. filias quoq; vestras faciet vnguentarias, & focarias, & panificas: agros quoque vestros, & vineas, & olivueta optima tollet, & dabit seruis suis: sed & segetes vestras, & vinearũ reditus decimabit.* Respondent aliqui, non regum, sed tyrannorum mores ibi describi. sed Spiritus sanctus hoc *ius regium* appellauit. & sanè adeo facilis est è regno in tyrannidem lapsus, vt propterea isti ipsum regnum, quod alioqui bonũ est, optimatum statui postponant: & difficillimum iudicent in summa potentia seruare modum. *Rex*, inquit [5] Augustinus, *cum est iniquus, tyrannus est.* huiusmodi se reges esse ostendunt pontifices Rom. non enim populi vtilitatem, sed opes & honorem proprium quærunt: & eius generis rex erit Antichristus, de quo Daniel: *Faciet*, [1] inquit, *iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur, & magnificabitur ad-* [3] *Lib. instit.* 5. *c.* 6. [4] *1 Sam.* 8. [5] *De ciuit. Dei.* [1] *Dan.* 11.

uersus omnem Deum, & aduersus Deum deorum loquetur magnifica.

Tertiam rationem à duratione optimatum status sumunt: *Venetorum* enim, & *Romanorum*, & *Lacedæmoniorum*, *Carthaginensium*, *Massiliensium*, *Thebanorum*, *Rhodiorum*, & *Syracusanorum* ciuitates sub optimatib. diu, multumq; floruisse. Quod etiam rationi consentaneũ videtur. Optimates enim non occidunt, nec recipiunt mutationẽ, nisi euersa rep. at reges sæpe mutantur & occidunt, vt isti aiunt, & regnum multis mutationib. est obnoxium. multi enim regno infidi, vt olim dixit Atreus. & reges in summa potentia rarò abstinent ab iniuria. ibi rarò fides, iustitia & reliquæ virtutes reperiuntur. *Si autẽ fides & iustitia & reliquæ virtutes exulant, non centuplex murus reb. seruandis* [2] *sufficit.*

2 Plaut. in Persa.

Proferunt postremò philosophorum & hominum politicorum testimonia, qui hoc genus reip. præstantissimum esse existimarunt. *Aristocratia*, inquit [3] Iosephus, *& vita, quæ ex ea ducitur, res optima est, nec vos capiat desiderium alterius reip. sed hanc amate leges habentes dominas, ex eis omnia facientes: satis enim est, vt Deus præsit.* Idẽ Samuelem introducit obiurgantem Israelitas, quòd regem vellent, abiecto Aristocratiæ statu, & ita [4] loquẽtẽ: *Quæ vos tenuit stultitia, vt fugeretis à Deo, & hominibus velletis esse sub iugo?* quasi iugum esset Regnũ præ Aristocratia. dicit [5] deniq; regem subditis, *velut iumentis*, onera impositurum pro arbitratu suo.

3 Lib. antiq. 4. c. 6.

4 Lib. antiq. 6. c. 5.

5 Ibid. lib. 6. c. 4.

Aristoteles, enumeratis omnib. bonis rerũp. formis, reliquis statũ Aristocraticũ præponit. ἐπεὶ δ', [6] inquit, τρεῖς φαμὲν εἶναι τὰς ὀρθὰς πολιτείας, τούτων δ' ἀναγκαῖον ἀρίστην εἶναι τὴν ὑπὸ τῶν ἀρίστων οἰκονομουμένην. h. e. Cũ tres sint rectarũ rerũp. species, necesse est optimã esse, quæ ab optimis administratur. hoc etiã ille aliquot rationibus confirmat. Quòd autẽ Ethic. 8. c. 10. regnũ reliquis rebusp. anteponit; hoc ideo factũ dicunt, quia ad iungendas amicitias, de quib. eo in loco agitur, hęc forma longè præstat; quia bonus princeps est instar patris, & pastoris. simpliciter verò non credunt hanc formã esse optimam, si Aristotelis iudicio standum esset.

6 Lib. Polit. 3. c. 3.

Demosthenes non aliter de Philippo Macedonum

rege

rege [7] existimauit, quam de tyranno. erat tamen ille rex optimus. Prætereà ipsi & amici inuidebant, & subditi ipsum oderât. ἀλλὰ μισεῖ τις ἐκεῖνον, inquit [8] Demosthenes, καὶ δέδιεν, καὶ φθονεῖ, τῶν πάνυ νῦν δοκούντων οἰκείως ἔχειν αὐτῷ. Idem etiã optimis principib. sæpe cõtingere solet: quod tamē nõ fieret, si reliquis omnib. hic reip. status antecelleret. Cicero cũ ciuitatis statũ optimum esse existimauit, vbi viri optimi dominarētur, secundũ leges: *Vbi,* vt ipse [9] loquitur, *magistratib. leges, & populo præessent magistratus.* ad hanc etiã reip. formã leges suas accõmodauit. regnum verò ille nullo modo probauit: *velle enim regnum miserum esse* [1] *putauit.*

[7] *In Olynth.* 1.

[8] *Philip.* 1.

[9] *De legib.* 3.

[1] *Lib. 7. epist. ad Attic.* 11.

Regnum deniq; omnes improbant, qui in repub. libera vixerunt, Aristocratiãq; ei longè anteponũt, vt ex Patricii Senensis tractatu de repub. & multis exemplis, & ipsa rerũ euidentia constat. Si vera sit ergo istorum hominũ sententia; tũ falsum est quod Bellar. pro fundamento sumit ædificii sui pontificalis, & non est monarchia simpliciter optima reip. forma: si autē probabilis sit, quod necesse est videri; tum dubium erit an monarchia sit optima reip. forma. Vtrũuis nobis concedatur; Bellarmini demõstratio de suo optimo reip. & ecclesiæ statu procedere nõ potest. nihil autē magis ipsius causam suspectã facit, quã mucida, & eneruata, & inepta ipsius pro monarchiæ præ aliis rerump. formis excellentia, disputatio; de qua nunc dicendum est.

Ad Bellarmini, pro simplici Monarchia, aduersus simplicem Aristocratiam, simplicissima & ineptissima argumenta, Aristocraticorũ responsiones accõmodantur, CAP. III.

MOnarchiam *optimam esse, & præ cæteris rerump. formis sine dubio eligi debere* [2] asserit. At dubia, demonstrationum euidentiâ, & non verborũ magniloquentiâ tolluntur. Videamus ergo, quomodo ille omnem nobis dubitationē eximit. *Conueniunt,* inquit, *in hanc sententiã veteres omnes scriptores Hebræi, Græci, Latini, Theologi, Philosophi, Oratores, Historici, Poetæ.* Sed Aristocratici nostri hanc eius iactantiam rident, & ipsum magnificè mentiri dicunt. Primò n. negãt, ipsũ omnes istos Hebræos, Græcos & Latinos scriptores legisse: nec credo ipsũ, si modò sobriè sapit, hoc affir-

[2] *Lib. 1. de pontif. c. 2.*

maturum. quomodo autē sciat ille ita sensisse & scripsisse ipsos, qui nec omnes authores vidit? tantū abest vt legerit, & intellexerit. Deinde negāt, omnes scriptores vel meminisse Monarchiæ & Aristocratiæ: tātum abest vt Monarchiā Aristocratię antetulerint. Quærūt enim, vbi ipse Bellarminus vel apud Euangelistas, vel apud Apostolos hoc inuenerit; quos tamen nō esse cōtemnendos scriptores cōcedet. Negant postremò, eos omnes qui de rebusp. scripserunt, *in hanc sententiā conuenire.* multos .n. nominant, quorum nos testimonia priùs descripsimus, qui prorsus contrariā sententiam defendunt. adeo vt nec omnes Hebræos, nec omnes Græcos, nec omnes Latinos ex suis partib. stare, facilè videre possit. [1] Patricius Senensis inter præclaros scriptores hanc controuersiā disceptari testatur. *Vetus,* inquit, *disceptatio est inter præclaros philosophiæ scriptores, quid præstantius sit, quidque ad bene beateque viuendum aptius: Ab optimo principe gubernari, eique iusté imperanti parêre, an, In libera ciuitate optimis legibus ac morib. constituta degere.* Quid autē ipse Patricius Senensis? ille certè Aristocratiam Regno præponit. Tyrannide verò, quæ monarchiæ species est, omnes qui res politicas tractant, præstantiorē esse cōcedunt. Hinc ergo constat ex hac summa scriptorum magnum numerū, multosq; viros insignes & graues esse deducendos. Imò asserunt ex testib. quos pro se produxit Bellar. aut nullos aut paucissimos Monarchiā Aristocratię anteferre.

[1] *De instit. reip. lib. 1. c. 1.*

Philonis testimonium ab hac causa alienum esse docent: Vbi enim [2] dicit, *malum esse multorum imperium, & vnicū esse regem debere:* non loquitur de rerump. formis, sed de totius mundi administratione, quæ non ad plures, sed ad vnū Deum pertinet. Neq; obstare videtur, quod Homeri de vnius imperio sententiā laudet. nā nec Homerus, nec ipse *Philo* per *vnius imperiū*, monarchiā; aut per πολυκοιρανίην, Aristocratiā; sed potiùs per imperiū eo in loco belli præfecturā; per πολυκοιρανίην, multitudinē imperatorum in bello parum secum consentientium intelligit. Vidit .n. Agamemnon imperatorū multitudinem in bello gerendo cōfusionem parere. & ex calamitate ex ducum discordia ad *Veios* accepta,

[2] *In lib. de confus. linguar.*

accepta, vt est apud [1] *Liuium*, experti sunt Romani *multorum imperium rebus gerendis inutile esse.* non itaq; loquuntur testes isti ad propositum. Verùm, vt Bellarmino hoc gratificemur, & concedamus, *Malum esse multos imperare, & vnum regem esse debere*; & Philonem de republ. & non de mundi gubernatione; & Homerum de monarchia, & nō de imperio militari loquutum putemus: non tamen propterea, inquiunt Aristocratici, sequitur Regnum præstare Aristocratiæ. nam in regno sæpe plures imperant, vt Constantinus & Licinius, & alii eius collegæ, Constantius & Constantinus Cōstantini magni F. Valētinianus & Theodosius, Arcadius & Honorius, & alii multi. In Aristocratia verò, licèt summa potestas sit penes plures, magistratus tamen eliguntur, qui singuli vel bella gerunt, vel ius dicunt, vel alias reipubl. partes procurant.

1 *Decad.* 1.

[2] Iustinus de optimatū statu ne cogitasse quidem videtur, vbi dicit, *vnius principatum à bellis, dissidiisq; solutum & liberum esse solere.* tantùm reprehendit idololatriam gentilium, qui plures Deos, eosque inter se discordes, esse putarūt. Hoc ergo rectè aduersùs synagogæ [illegible] idololatriā pugnat. illa enim multitudinem colit sanctorum, & diuinos eis ascribit honores, dum eos inuocat, & templis, aris, diebus festis, missis, suffitu & aliis cæremoniis colit. Verùm vt laudasset ille vnius imperium; non tamē sequitur illud omniū esse optimum. habet enim sua commoda; sed multi incommodorum maiorem esse summam credunt, à quibus libera est Aristocratia.

2 *In exhortat. aduers. gentes.*

[3] Athanasius non tam optimatum statum, quàm perturbationem reipubl. & confusionem in imperio reprehendit. *Vt*, inquit ille, *multitudo deorum nullitas est deorum: ita quoq; necesse est multitudinem principum id efficere, vt nullus esse princeps videatur. vbi autem princeps non est, ibi prorsus disturbatio nascitur.* Hinc facilè videre licet, ipsum loqui de confusione, quæ sequitur ex hominum ambitione principatum cupientium: de Aristocratia certè eius verba exponi non possunt. nam vbi ea rectè cōstituta est, ibi non est aliqua per-

3 *In orat. aduers. idola.*

turbatio, sed summa potiùs consensio: ibique non omnes, sed pauci magistratum gerunt. At in regno sæpe hoc fit, quod ille reprehendit. Nam dum vnus esse debet rex, multi sæpe regnum affectant: & vbi certum non est ad quem ius pertineat, ibi summa sequitur ex ambientium contentione discordia.

[1] *De idolor. vanitate.* [1] Cyprianus nihil habet, quod aduersùs optimatũ statum quisquam sanus dictum existimet. Tantùm duos aut plures negat esse posse deos, vt nec duos aut plures reges: *Regni enim societatem nunquã aut cum fide cœpisse, aut sine cruore desiisse.* atq; hoc ille exẽplo *Eteoclis* & *Polynicis* in regno Thebano, & Romuli & Remi in vrbe Roma probat. At licèt non possint esse plures reges in vno regno pari potestate; at possunt esse in Aristocratia plures optimates, magistratibus & legibus sine discordia obtemperantes. cõtra nos ergo ne verbum quidẽ proloquutus est Cyprianus. at Papistarum idololatriã sauciat, vbi vnum Deum colendũ esse docet. Cum Cypriano etiam sentit [2] Hieronymus. *Vnus*, inquit, *imperator, iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est, simul duos reges habere non potuit.* de regno ille loquitur diuiso, & non de Aristocratia, quæ nec vnum, nec plures habet reges. omnes enim optimates, licèt coniuncti summã habeant potestatem; tamen singuli parent magistratibus & legibus. vituperat ergo potiùs Regnũ, quod tam facilè in partes dissilit, & diuiditur, quàm Aristocratiam, cuius nec verbo vno meminit.

[2] *In epist. ad Rusticum.*

Thomas Aquinas rerum Politicarum author leuis est. quis enim à monacho aut fratre mendicante leges de rebusp. exspectet, cum huiusmodi homines de nugis in circulis & scholis garrire deceat, potiùs quàm rẽp. tractare? se enim seculo renuntiasse, & religioni addixisse fatentur. In hac tamen causa neq; Thomas Aquinas, quẽ in sua causa Bellar. testẽ producere sine summa impudẽtia nõ potest, Bellarmini sententiã confirmat. nam 1, part. q.103. art. 4, loquitur de Dei imperio & dominio. libro autem quarto cõtra gentiles, regnũ Oligarchiæ potiùs, quàm Aristocratiæ anteponit.

[3] *Polit.* [3] Plato non loquitur de regno simplici, sed legibus temperato. *Vnius*, inquit, *dominatio bonis instructa legibus,*

bus. Præterea, Regnum nõ optimatum statui, sed paucorum & populi dominationi comparat. quid ergo mirum, si rectam reip. formam peruersis rerump. statibus antecellere putarit? vbi autem de optimis legibus [1] loquitur, ibi optimatum statum præcipuè laudasse & probasse videtur. nã magistratus & suffragiis eligendos, & ad rationem reddẽdam teneri dicit: quæ cum Regno stare non possunt.

[1] *De legibus, lib.6.*

[2] Aristoteles tribus rerump. formis enumeratis, Regnum reliquis anteponit: sed hoc Aristocratici respondent eum non simpliciter, sed respectu conciliandæ amicitiæ, de qua eo in loco agitur, scripsisse. nam lib. polit. 3. c. 3. primas ille defert Optimatum statui, vt antè dictum est.

[2] *Lib. 8. ethic. c. 10.*

Cæsaré non rectè à Marco Bruto cæsum dicit [3] Seneca. & quid mirum? vixit enim sub Nerone, qui illũ aliter sentiẽtem omni cruciatu interfecisset. idem etiam *optimum esse ciuitatis statum*, dixit, *sub rege iusto*. Sed hoc etiam temporibus adductum nostri Aristocratici dixisse putant. ipsum enim in libro declamationum, vbi loquitur de præmiis tyrannicidarum, & in ludo in mortem Claudii Cæsaris longè aliter sensisse. Præterea simpliciter loquitur de regno, & non per comparationem ad Aristocratiam.

[3] *Lib. 2. de benefic.*

Plutarchus Monarchiam nõ cum Aristocratia, sed cum Oligarchia, & Democratia comparat. hæc est enim libri inscriptio: περὶ μοναρχίας, καὶ δημοκρατίας, καὶ ὀλιγαρχίας. vnde videre licet Bellar. aut librum non inspexisse, aut dolo malo sententiam eius corrupisse. In vita etiã Solonis dicit Plutarchus, post tumultus & seditiones, *vnam superesse ad salutem viam, si ad dominatũ res delatæ essent*. Sed hæc ostendunt Tyrannidẽ præstare Democratiæ, potiùs quàm Monarchiam Aristocratiæ. nam de hac forma ne verbum quidem vnum facit, at certum est ipsum loqui de Atheniensium ciuitate, quæ ex seditione populi in tyrannidem incidit.

Ad [4] Isocratis & Stobæi testimonia respondent, multum se mirari Bellarmini audaciam, qui [5] Isocratem *suam sententiam multis rationibus probare* dicit, & ex Stobæo præsidium suæ causæ quærit. neque enim

[4] *In orat. ad Nicoc.*
[5] *645.*

Isocratem vel vnam rationem, aut verbum habere, quod pro ipso faciat; nec Stobæũ pro ipso suffragium ferre. Habet quidem ille caput hoc titulo, ὅτι κάλλιστον ἡ μοναρχία: sed eius sententiam aduersarius non intellexit. hoc enim ideo dixit Stobæus, quia & tyranno, & infimo cuiq; videtur pulchrum dominari. nullus autem apud ipsum dixit Monarchiam esse optimam reipubl. formam, aut eam Aristocratiæ præstare.

[1] *Lib. 3. hist.* Ex verbis [1] Herodoti intelligere licet, Persas regnum reliquis rerump. formis prætulisse. Sed Aristocratici respondent hoc à proposito alienum esse. non enim quęri quid illis placuerit, aut fortasse optimum fuerit; sed quid absolutè, & simpliciter in repub. cõstituenda optimum sit. ipsi enim Tyrannidem pro Regno probarunt, quam tamen nec Bellar. dicet esse statum reipub. vel optimum, vel bonum.

[2] *Iliad. 2.* [2] Homerus in rebus gerendis vnius imperiũ multorum imperio vtilius esse censuit. sed omnes vident nihil hoc ad formas reipub. attinere, sed potiùs ad rerum bellicarum administrationem, vt antea admonuimus. Atq; ita videre licet, hunc gloriosum sophistam, qui omnes scriptores Hebræos, Græcos, Latinos, Theologos, Philosophos, Oratores, Historicos, Poëtas in aciem producere visus est, nunc ab omnibus desertum, nudum & solum ex prælio fugere.

Secundum ipsius argumentum ab authoritate diuina ductum videtur. Sed mirum esset, si Deus Monarchiam omnibus rebusp. prætulisset, cum & ipse aliam probarit, & tot homines sapiẽtes aliud reip. genus elegerint. produxit quidem Deus ex vno omnes: sed ineptè tamen inde concludit Bellarm. formam reip. præstantissimam esse Monarchiam. [3] Chrysostomus sanè non ita colligit, sed potiùs omnes amoris vinculo coniunctos esse debere, vtpote ab vno principio profectos. Idem dicit *in domo debere esse Regnum & non Democratiam*; non autem *inter omnes homines*, vt falso asserit Bellarminus. Respondent præterea, falsum esse quod dicit Bellarm. *Deum omnibus hominibus naturalem ad monarchiam propensionem in-*

[3] *Homil. 34. in epist. 1. ad Cor.*

seuisse:

seuisse: primas enim in mūdo resp. Aristocratiæ, quàm monarchiæ fuisse similiores. Præterea, dicunt neminem se alterius imperio sponte subiicere: esse enim omnes naturâ ad libertatem propensos, pro qua retinenda multi mortem oppetere non dubitarunt. illud deniq; maximè esse naturale, quod est æquissimū. at nihil iniquius, quàm vt meritis pares honorib. sint inæquales. *ἐν τοῖς ὁμοίοις καὶ ἴσοις,* inquit [1] Aristoteles, *οὔτε* [1] *Lib.3.pol*
συμφέρον ἐστὶν, οὔτε δίκαιον ἕνα κύριον εἶναι πάντων. si autem *c.12.*
homines non appetunt naturaliter monarchiam, absurdè dicit Bellar. *omnibus penè rebus inditam esse hanc naturalem propensionem.*

Ab exemplo verò apum, gruum, armentorum, & animantium rationis expertium, dicunt absurdissimū videri, exemplum petere rerump. & propterea existimant armentum hoc Iebusitarum, qui antichristum sibi in regem elegerunt, non plus sapere quàm pecora campi. [2] Aristoteles asserit *solum hominem animal esse* [2] *Lib.1.po-*
politicum: quod omnem hanc Bellar. argumentationē *lit.c.2.*
iugulat. Præterea, experientia nos docet, nec apes, nec grues, nec boues, nec porcos, nec alia animantia vlla certa lege sociari. nam nec omnes apes suum habent regem, nec grues, aut boum armenta eundem sequūtur ducem. reperiuntur etiam multa animantium genera, quæ absq; duce liberè vagantur.

At, inquit Bellarm. *gubernatio Hebræorum planè monarchica fuit:* & inde colligit hanc formam reip. etiam diuina authoritate roborari. Sed hoc somnium & Iosephi, & Sigonii authoritate refutatum est. Præterea, & sacris literis, & rebus gestis Hebræorum aduersatur, vt antea diximus. hic autem homo ineptissimus, rempubl. à domestica potestate secernere non potuit. Præterea, idem existimauit, Mosem, Iosuam, Samuelem, & Iudices fuisse reges. sed si Moses fuisset Rex, nō
[3] dixisset, *Non facietis in terra Canaan, quæ nos hic fa-* [3] *Deut.12.*
cimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. Præterea, si ipse & alii regiam habuissent potestatem; tum non
tanta fuisset principum populi potestas in [4] fœderi- [4] *Iosu.9.*
bus percutiendis, in [5] terra diuidēda, & legatis [6] mit- [5] *Iosu.14.*
tendis; nec opus fuisset potestatem ab illis mutuari, [6] *Ios.22.*

vt fecit Ioſua, aliiq; Iudices. Deniq;, ſi antè reges habuiſſet; deliraſſet planè populus Iſraeliticus, qui 1. Samuel. 8. regem petebat. Quod ergo Caluinum reprehendit, qui dixit *Rempub. Hebræorũ Ariſtocraticam fuiſſe, & non Regnum*; ſuam potiùs prodit inſcitiam, quàm alterius conuincit errorem.

Poſtremum Bellar. pro Monarchia ſua argumentũ, à proprietatum enumeratione, quæ optimo regimini conueniunt, ductum eſt. Idcirco enim dicit præſtare Monarchiam Ariſtocratiæ, *quia magis eſt ordinata, & paci conſeruandæ aptior; quia deniq; potentior eſt, & diuturnior, & facilior.* Sed hæc omnia ille optarit potiùs, quàm probarit. Ariſtocratiæ enim patroni iam planè contrarium demonſtrarunt.

Præterea, nihil eſſe in hoc argumento ponderis aſſerunt. Illa enim reſp. maximè ordinata eſt, nõ vbi alii parent, alii imperant, vt putat Bellar. ſed vbi magiſtratus parent legibus. illud enim in omni fit rep. hoc nõ
1 *Polit. lib.* 3. *c.* 12. ſemper fieri ſolet. Ille rectiſſimè iudicat, inquit [1] Ariſtoteles, *qui ſecũdùm leges ius dicit.* κρίνει ἐκεῖνος ἄρχων πεπαιδευμένος ὑπὸ τῶν νόμων καλῶς. at nemo negarit, quin in Ariſtocratia leges ſeruentur accuratiùs, quàm in Re-
2 *L. princeps. ff. de legibus.* gno. nam rex, vt aiunt, [2] *ſolutus eſt legibus*: multaq; ille facit contra, aut ſaltem præter leges.

Præterea, ciues in Ariſtocratia eò meliùs ſunt morati, quantò minus pro delictis ſperent veniam. Contra verò fit in monarchia. in pontificis enim regno omnia peccata, imò & ſcelera, pro pecunia redimuntur. pontifex Rom. nullis legum vinculis aſtrictus tenetur: religio & authoritas ſcripturarum ab ipſo pendet, vt aiunt, *quoad nos.* plebi præficiuntur paſtores cæci, & canes muti; paſtoribus præſunt epiſcopi indocti, inſulſi, & nequam: in Cathedras doctorum non vocati correpunt fraterculi loquaces: os obſtruitur viris piis, & doctis. Nihil ergo erat, cur huius monarchię papalis ordinem Bellar. intempeſtiuè prædicaret.

Ariſtocratiam etiam minùs obnoxiam eſſe ſeditionibus oſtendunt, quàm Regnum. Nam cùm propter honores homines ambitioſi, & propter egeſtatem plebeii res nouas quærere ſoleant: vtriſq; in Ariſtocratia

præclarè

præclarè consultum est, cum honores omnibus viris bonis patent, & reliquis nulla onera nō necessaria imponuntur, nec iniuriæ inferuntur. Præterea, cùm legū summa sit in Aristocratia potestas; quis non æquo animo legibus se submittat? At in regno toties tumultuandi occasionem dari aiunt, quoties vel ius regium incertum est, vel contra ius bona priuatis eripiuntur, vel iniuria infertur. Atq; hoc illi exemplo vrbis Romę confirmant. quousq;.n. mansit optimatum resp. nulla exorta est inter ciues seditio, aut bellū ciuile. regibus rerum potiuntibus, nunquam ferè cessarunt bella ciuilia. *Galbam Otho, Othonem Vitellius, Vitellium* oppugnauit *Vespasianus*; aliique alios. Venetorum etiam remp. paucissimis seditionibus iactatā esse videmus. vbi regna vicina grauissimè afflicta fuerunt.

Eandem præterea firmissimam & robustissimā esse contendunt. ibi enim & consilium optimum, & summam ad remp. propugnandam consensionem haberi. Quare si fortissimæ sunt resp. *vbi maxima est ciuiū cōcordia, & summus erga remp. amor*, vt Bellar. fatetur; tū necesse est firmissimā & potētissimam esse Aristocratiam: quod exemplum imperii Rom. clarè docet. Nā quo tēpore senatus & optimi cuiusq; maximè viguit authoritas, hoc est, post Punica bella; tum & armorum gloria respub. & legum æquitate maximè floruit. summa etiam tum ingenia Romæ fuerūt. At oppressa semel libertate à Caio Cæsare & Augusto, imperium illud maximum retrò ferri, & paulatim minui cœpit, idemq; tandē euersum est. At, inquit Bellar. *ex quatuor amplissimis imperiis, tria sub regibus creuerunt: Romanum verò imperium, licèt sub Senatus & populi auspiciis creuerit; tamen sub Augusto maximè floruit.* Sed hoc Aristocratici aliter se habere iam ostenderunt: illud parum valere dicūt. Nam vt amplissima essent tria illa imperia prima; nulla tamen in eis erat firmitas, si vel arma, vel leges spectes. quod autem tam diu stetissent, hoc vicinorum potiùs infirmitati, quàm regnorum illorum potentiæ ascribendum erat.

Negant deinde vllam remp. Aristocratiâ stabiliorem aut diuturniorem fuisse. nam & Venetorum ciui-

taté multa secula stetisse, & vrbem Romam, Massiliã, & alias ciuitates Galliæ, & Italiæ, & Græcię, sub Optimatum imperio diutissimè floruisse. est enim hæc reipub. forma & aduersùs vim externam, & intestinam seditionem tutissima. Nec obstat quod dicit Bellarm. *Regnum inter se diuisum facilè desolari: & vbi multitudo, ibi diuisionem esse solere.* nam illud pro Aristocratia facit, & Regnum facilè diuidi & desolari ostendit. hoc autem vnum tantùm incommodum Aristocratiæ attingit, cui satis tamen & legibus, & magistratuum diligentiâ prouideri solet. In Regno autem non tantùm ab hostibus externis, sed etiam à ciuibus & domesticis maius imminet periculũ, quàm in Aristocratia. nam faciliùs vnus, quàm multi, expugnatur: multæq; contra principes struuntur insidiæ. διά τε γὰρ ἀδικίαν, inquit [1] Aristoteles, καὶ διὰ φόβον, καὶ διὰ καταφρόνησιν, ἐπιτίθενται πολλοὶ τῶν ἀρχομένων ταῖς μοναρχίαις. Multi prętere a vel auaritia, vel cupiditate imperii inducti, aduersùs reges coniurant; pauci autem regno fidi sunt. Præterea, in interregno, quod sæpe accidit, & quando sine liberis decedunt principes, maximi tumultus oriri solent: adeò vt regna paucissima diuturna sint. atq; hoc nos Persarum & Macedonum regnum, & Romanum imperium satis docent. Cyri enim posteris regnum citò ereptum est. & post mortem Alexandri, regnum ipsius in multas partes diuisum est, & non ita multò pòst interiit. Romanumq; illud ferreum imperium, postquam summa potestas ad vnum peruenit, paulatim diminutum, & tandem funditus à Gallis & Germanis euersum est. neque dubitandum est, quin multæ in regno Scytharum & Assyriorum euenerint mutationes, licèt propter vetustatem, & scriptorum summum silentium eas ignoremus.

[1] *Lib. poli. 5. c. 10.*

Postremò, quod dicit Bellarm. *Faciliùs ciuitatem ab vno regi, quàm à multis:* hoc Aristocraticis absurdum videtur. nam, vt inquit [2] Aristoteles, plures oculi plus vident, quàm vnus: & omnium difficillimum est vnũ omnia videre. neq; enim potest vbiq; adesse, & res domi & foris administrare: nec ita omnia nouit, vt non possit in errorem induci. Difficilimum deniq; est regem ex

[2] *Lib. 3. polit. c. 12.*

gem ex hac vita discedentem ita res constituere, vt nõ sæpe post eius obitum multæ accidant contentiones, & calamitates : quæ omnia nec tam facilè, nec tam sæpe contingere solent, vt ipsi putant, in Optimatum statu.

At, inquit Bellar. *facilius est vnum hominem bonum reperire, quàm multos; & faciliùs populi vni parent, quàm multis.* Quasi verò nõ essent rarissima & difficilia præstantissima. Præterea dicunt Aristocratici facilius esse reperire multos, qui simul possint remp. rectè administrare, quàm vnum, qui omnia. & absurdum esse putant, vt populus bene moratus regibus potiùs seruire, quàm in rep. libera versari cupiat.

Obiicit secundò, *melius eos, qui perpetui sunt magistratus, quæ facienda sunt intelligere & præscribere, quàm qui per vices & breue tempus imperant.* At respondent isti, eos optimè imperare, qui rectè parêre didicerunt: & optimates, licèt non semper magistratus gerant, plus tamen experientiâ edoctos scire, quàm adolescẽtes, & homines imperitos, nuper ad regni gubernacula assumptos.

Obiicit tertiò, *Optimates cõmunia, quasi aliena, tardiùs & negligentiùs curare: regem verò velut propria curantem, omnibus locis & temporibus occurrere.* At respondent Aristocratici, nõ quæri, vtrùm rex strenuus multis hominibus tardis & ignauis; sed vtrùm multis viris strenuis, & communis salutis studiosis præponendus sit. Si autem de rebusp. quę nunc sunt sermonem instituit; valde illis iniuriam faceret, si existimaret eos nõ meliùs curare & sapientiùs rebus futuris prospicere, quàm solent nonnulli reges.

Obiicit quartò, *vix contingere posse, vt ab optimatibus absit æmulatio & contentio.* quasi verò non legibus, istis incommodis occurri posset, & non eadem, aliaq; grauiora mala in regnis contingerent.

Dicit postremò, *vbi multi curant remp. ibi nullũ rectè curare. ita enim fieri in amplis familiis, vbi multi sunt serui.* Sed hoc antea dixerat, & huic Aristocratici responderunt, non deesse in optimatum statu magistratus, qui singula curent : contra verò, multos esse reges, qui

remp. parum aut nihil curent, suasq; potiùs res agant, quàm publicas.

Atq; hæc illi, qui Aristocratiam probant, & nos ex ex eorum sententia. Verùm vt concedamus Monarchiam esse optimam reip. formam: nihil tamen lucri ex eo ad Bellarm. perueniret: nam, vt ostendimus, alia est ecclesiæ, alia reip. administrandæ ratio. Præterea, vt Monarchiam pontificis optimam esse reip. formam demonstret; ostendere debet optimum esse, vt totus mundus ab vno rege administretur. neq; enim monarchia in vno regno aut ciuitate satis respondet monarchiæ pōtificiæ, quam ille in vniuersum orbem terrarum vendicat. At talis totius mundi monarchia nec fuit vnquam nec esse potest; neque, si talis existeret, optima esset illa administrationis forma. quis enim vel pluribus prouinciis rectè imperarit? totius autem mundi prouincias & negotia nemo procurare potest.

Monarchiam pontificis Rom. quàm Bellar. probat nihil ferè habere cum bene institutis Monarchiis commune, aut simile, CAP. IV.

ETsi satis antea diximus ad prolixam Bellarmini de Monarchia & aliis rerumpubl. formis disputationem conuellendam; tamen aduersùs pontificis Rom. Monarchiam infinitam alias plures, easque iustissimas habemus exceptiones. Primò, nullum est, neque fuit vnquam in orbe terrarum regnum, quod non certis quibusdam finibus definiretur. Hoc Cicero in oratione Agraria contra Rullum disertè affirmat: hoc amplissima *Assyriorum, Persarum, Græcorum* & *Romanorum* imperia, quæ certis inclusa erant finibus confirmant; Hoc deniq; ratio ita fieri debere docet. neq; enim tanta est vnius hominis prudentia, vt quæcunque per orbem fiunt & facienda sunt, intelligat; nec vires cuiusquam tantæ, vt vel mandata singulis dare, vel incommodis, quæ vbiq; euenire solent, occurrere possit. Pontifex autem Rom. regnum sibi deberi contendit super omnem orbem terrarum, neque vllis finibus ius suum terminari sustinet. *Principatus*

cipatus summi Romani pontificis, inquit [1] Aluarus Guerrerius, *non solùm ad spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendit, ita quod in toto orbe iurisdictionem habeat temporalem.* Hoc etiam ipsi pontifices apertè profitentur. vnus dicit, [2] *Pastoralis solicitudinis curam sibi datam super cunctas Christiani populi nationes.* [3] Sixtus quintus *sibi incumbere ecclesiarum omnium, populorumque ac gentium solicitudinem* professus est. omnes deniq; pontifices omnes Christi oues sibi commissas autumant. At Deus distribuit terram filiis hominum, & non vni dedit vniuersam. lex autem naturę singulis alueariis suos duces dedit, & non omnibus vnum ducem.

[1] *De iure pontif. Rom. c.16.*

[2] *Clem. pastorales. de re iudicat.*

[3] *In bulla in reg Nauar. & Princip. Condaum.*

Deinde, omnes reges certam habent & definitam potestatem: non possunt supplicio quem volunt afficere, nec debent bona per iniuriam subditis eripere. non licèt denique vel ipsas leges regni fundamentales antiquare, vel facere, & iudicare contra leges. illi enim dignos se præbent regia maiestate; qui secundum leges regia vtuntur potestate. Ne autem fines suos transgrederentur, Samuel Israelitis descripsit ius regium. leges etiam aliorum populorum certos suis regibus circumdederunt fines. At pontificis Rom. iura & potestatem, licèt multi descripserint; nullus tamen verè dicere potuit. *Papa*, inquit [4] Thomas Aquinas, *habet plenitudinem potestatis, qualem rex in regno.* at hoc nec ille, nec quisquam alius plenè explicauit. Dat quidem illi *potestatis plenitudinem in foro conscientiæ, & in foro exteriori, & in indulgentiis*, & in aliis quibusdam [5] Aluarus Guerrerius: sed papa multo plura potest. nam dare potest gratias, & priuilegia, & iurisdictionem. imò aiunt ipsum posse regna ab vno in aliũ trãsferre, & non habenti dare. In dispensando autem, infinitam dant ei potestatem. [6] aiunt enim *ipsum dispensare posse contra apostolum*: & omnes vident ipsum pœnas relaxare omnium scelerum, & leges ecclesiæ laxare & abrogare pro arbitratu. dant etiam ei potestatẽ leges condendi quæ conscientias obligent. Sed quid nos speremus posse nos omnem eius potestatem dicere in hac tanta breuitate, cùm nec canonistæ multis

[4] *In 4. sent. dist. 20.*

[5] *De iure pontif. Rom. c.1.*

[6] *C. lector. dist. 24. & ext de bigamis c. super. eo.*

voluminibus eam explicare potuerint? habet enim pontifex non plenam tantùm, ſed infinitam poteſtatem.

Tertiò, reges huius mundi non habent in animas hominum poteſtatem. nihil habent vel in cœlis, vel apud inferos quod agant. At pontifex Rom. ſe æternæ vitæ clauigerum dicit. idemq; clauium ſuarum poteſtatem vſque ad cœlos & inferos, ſeu purgatorium extendit. nam ſanctos canonizat, & adorandos proponit, & purgatorii pœnas laxat. Sed quid verbis opus eſt? ipſe enim diuinos ſibi arrogat honores, & ſe Deū vocari [1] ſuſtinet & gloriatur. & Hoſtienſis, *Dei & papæ idem eſſe conſiſtorium* [2] docet.

[1] C. *ſatis. diſt.* 96.
[2] C. *quanto. de translat. prælat.*

Quartò, Principes & Reges huius mundi regna & iura ſua ab aliis regibus acceperunt, nec verentur ſe Dominos & reges dicere. At pontifices Rom. ius ſuum maximum & regnum ampliſſimum à *Petro* deriuant, qui tamē nullum tale ius habuit, nec regnum aliquod poſſedit. At, inquit [3] Aluarus Guerrerius *iuſſus eſt piſcari hamo:* doctè ſanè, & eruditè. ſed ſi *hamo piſcari* eſſet papatū adipiſci, & opes immenſas, cuiuſmodi pontifices Rom. piſcando adepti ſunt; quis non, abiecta omni alia cura, piſcaretur hamo? Præterea, ſe dicit *ſeruum ſeruorum*, & ſub ſpecie fictæ humilitatis iugū duriſſimum principum ceruicibus, & non tantùm aliis Chriſtianis impoſuit. cupit quidem ſe appellari regem & dominum, imò regem regum, & dominum dominātium; & hos ei aſſeclæ ſui titulos attribuunt: ſed verbis tamen ille humilitatem, & ouinam ſimplicitatem præ ſe fert.

[3] *De iure pō-tif. Rom. c.* 1,

Quintò, vt regnum legitima eſt reip. forma, & ſi rectè adminiſtretur, populo tenui vtilis & ſalutaris; ita legitimis & honeſtis rationibus acquirēdum eſt. nam quod vel armorum vi, aut fraudibus & aſtutiis acquiſitum eſt, non regnum, ſed violenta tyrannis dici meretur. ἂν δὲ δι' ἀπάτης ἄρξῃ τις, ἢ βίας, inquit [4] Ariſtoteles, ἤδη δοκεῖ τοῦτο εἶναι τυραννίς. Quid autem habet pontifex Rom. quod non omnes vel aſtutia populo Chriſtiano ſurreptum, vel vi imperatoribus & regibus ereptum agnoſcunt? ſub ſpecie ſucceſſionis Petri, ſummam adeptus

[4] *Lib. Polit.* 5. *cap.* 10.

eptus est apud homines imperitos potestatem. At nos ostendemus pontifices istos recentiores Petro non succedere: & non minùs alios episcopos, quàm Romanos, Petro & Apostolis succedere. Præterea, cùm non satis ad omnia valeret prætensum hoc successionis ius; commentitios canones, vt in concilio Aphricano sexto, & commentitias Constantini & aliorum principum donationes edidere. nunc, falsatis & corruptis, & detortis patrum scriptis, tyrannidem suam defendunt. Gallorum olim armis, imperatorum oriētis, & Longobardorum in Italia regnum & opes fregerunt, & in præmium victoriæ partem non contemnendam Galliæ Picenæ abstulerunt: postea verò, Gregorius septimus arrepto gladio materiali, imperatores armis à successoribus suis vinci posse docuit. Vrbem Romam olim dominam mundi, & vsq; in illud tempus liberam, Bonifacius nonus inaudita fraude, vt inquit [1] Valla sibi subiugauit. Atq; ita, partim fraudibus, partim armis, vt [2] Machiauellus ad Clementem septimum scribens annotauit, pontifices ad istam amplitudinem, quàm patres nostri viderunt, & ad eam obstupuerunt, bestiæ admirantes gloriam & potentiam, vt est in Apocalypsi, peruenerunt.

1 *Contra donat. Constāt.*
2 *Histor. Florent. lib.* I.

Postremò, boni reges & principes, qui hoc nomine digni censentur, nō tam suum spectant commodum, quàm reipub. & suorum. illi enim ciuibus imperant, vt patres liberis. ἡ μὲν πατρὸς πρὸς υἱεῖς κοινωνία, βασιλείας, inquit [3] Aristoteles, ἔχει σχῆμα. & propterea Homerus Iouem diuûm & hominum regem & patrem vocat. [4] illi auxilio sunt viris bonis aduersùs vim iniquorū & oppressorum, &, vt inquit [5] Apostolus, *non sine causa gladium* portant. neq; sanè alia re magis rex differt à tyranno, quàm quod ille bonum publicū, hic suum commodum quærit. ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτῷ συμφέρον σκοπεῖ, inquit [6] Aristoteles, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων: atque adeo quidem, vt si populum opprimere, & sua spectare cœperit, ex rege fiat tyrannus. ὁ δὲ μοχθηρὸς βασιλεὺς τύραννος γίνεται, vt viri censent [7] politici. tyrannus enim non publicam, sed suam vtilitatem spectat. ἡ τυραννὶς, inquit [8] Aristoteles, πρὸς οὐδὲν ἀποβλέπει κοινὸν, εἰ

3 *Ethic.* 8. *c.* 10.
4 *Lib. Polit.* 5. *c.* 10.
5 *Rom.* 13.
6 *Ethic.* 8. *c.* 10.
7 *Ibidem.*
8 *Lib. Polit.* 5. *c.* 10.

ad Aristocratiæ, quàm ad Regni formam propiùs accedere non dubitamus. Idcircò autem ita loquimur, quia ecclesia aliter quàm respubl. administratur, & eius forma in omnib. Aristocratiæ non respondet. Bellarmini argumenta contraria nos postea diluemus: nostram de ecclesiæ externa forma sententiam, subiecta firmamenta probant.

Primò, Christus vnam & eandem ex æquo dedit omnibus apostolis potestatem. vnâ enim & pariter omnes electi sunt ad apostolatum. *Vocauit*, inquit [1] Lucas, *discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.*

[1] *Luc. 6.*

Præterea, vnà & pariter missi sunt ad prædicãdum, & apostolatus munus peragendum. *Conuocatis*, inquit [2] Lucas, *duodecim Apostolis, dedit illis potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent, & misit eos prædicare regnum Dei.* Similiter Matth. 28. *euntes*, inquit Christus, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* In eandem denique sentẽtiam apud Ioannem loquẽs Iesus: *Sicut*, [3] inquit, *misit me pater, & ego mitto vos.* Quomodo ergo, qui mandata eadem acceperunt, non habeant parem potestatem?

[2] *Luc. 9.*

[3] *Ioan. 20.*

Tertiò, vnà omnes claues acceperunt; quibus ecclesiæ gubernandę potestatem designari non negant aduersarii. *amen dico vobis*, inquit [4] Christus, *quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlo.* Potestas autẽ clauium in aperiendo & claudendo; itemq; in ligando & soluẽdo posita est. Respondent hoc loco aliqui, *nihil datum, sed promissum tantùm fuisse.* Sed absurdum est cogitare Christum aliquid promisisse, quod non præstiterit. Ioannis sanè cap. 20. Christus non tantùm promittit, sed etiam dat claues communiter omnib. Apostolis. *Hæc*, inquit Ioannes, *cùm dixisset, insufflauit, & dicit eis, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nemini ergo dubium est, quin Christus parẽ omnibus Apostolis potestatem contulerit.

[4] *Matth. 18.*

Præter-

Præterea, idem probatur testimonio patrũ. Nam [3] Cyprian. *parẽ potestatẽ omnib. apostolis datã dicit.* & Ambrosius vnà *omnes Apostolos ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarũ orbem destinatos fuisse affirmat, vt fidei satores essent.* Hoc etiam & Anacletus, siue ille quicunque eius epistolæ est author, probauit. *Cæteri,* [4] inquit, *apostoli cum eodem,* scilicet, *Petro, pari consortio honorem & potestatem acceperunt.* [3] *De simplic. prælat. & c. loquitur. 24. q. 1.* [4] *C. in nouo. dist. 21.*

Secundò, apostoli pari potestate quoad vixerunt, sicut à Christo eam acceperant, ecclesiam administrarunt. quod disertè affirmat Apostolus Paulus. *Cùm cognouissent,* inquit [5] Paulus, *gratiam mihi datam, Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui existimantur esse columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos inter gentes, ipsi verò inter circumcisos apostolatu fungerentur.* si autem societas, certè fuit etiam inter ipsos æqualitas. neq; enim inter socios sunt præsidentes, & subditi. [5] *Galat. 2.*

De prædicatione euangelii Marcus testimonium præbet, quod hoc munus communiter & pariter obierint. *Illi,* inquit [6] Marcus, *egressi vbique prædicarunt, Deo vnà operante, & sermonem confirmante per signa sequentia.* [6] *Marc. 16.*

Præterea, episcopos, & eos, qui sibi successuri essent, pariter omnes Apostoli designarunt. *Paulus Titũ Cretensibus, Timotheum Ephesinis* præfecit: sed & oppidatim præterea [7] constituit Presbyteros & episcopos. [1] *Philippus* in *Gallia,* [2] *Andreas* in *Achaia* prædicans, vtrobique ordinauit etiam post se episcopos. similiter reliquis locis reliqui apostoli consuluerunt. [7] *Act. 14.* [1] *Freculph.* [2] *Hist. eccles.*

Cùm autem multitudo fidelium cresceret, & non possent apostoli mensis vacare; diaconos communi suffragio constituerunt, qui hoc munus in se susciperent. *conuocantes duodecim, multitudinem discipulorum, &c. considerate* [3] inquiunt, *quos constituamus super hoc opus.* [3] *Act. 6.*

Leges etiam in concilio vniuersali de sanguine, suffocato, & idolothytis communi consensu tulerunt. *visum est,* [4] inquiunt illi, *Spiritui sancto & nobis.* [4] *Act. 15.*

Postremò, in illo concilio, tanquam in summo tribunali, & supremo iudicum ecclesiæ consessu, con-

taté multa ſecula ſteiiſſe, & vrbem Romam, Maſſiliã, & alias ciuitates Galliæ, & Italiæ, & Græciæ, ſub Optimatum imperio diutiſſimè floruiſſe. eſt enim hæc reipub. forma & aduersùs vim externam, & inteſtinam ſeditionem tutiſſima. Nec obſtat quod dicit Bellarm. *Regnum inter ſe diuiſum facilè deſolari: & vbi multitudo, ibi diuiſionem eſſe ſolere.* nam illud pro Ariſtocratia facit, & Regnum facilè diuidi & deſolari oſtendit. hoc autem vnum tantùm incommodum Ariſtocratiæ attingit, cui ſatis tamen & legibus, & magiſtratuum diligentiâ prouideri ſolet. In Regno autem non tantùm ab hoſtibus externis, ſed etiam à ciuibus & domeſticis maius imminet periculũ, quàm in Ariſtocratia. nam faciliùs vnus, quàm multi, expugnatur: multæq; contra principes ſtruuntur inſidiæ. διά τε γὰρ ἀδικίαν, inquit [1] Ariſtoteles, καὶ διὰ φόβον, καὶ διὰ καταφρόνησιν, ἐπιτίθενται πολλοὶ τῶν ἀρχομένων ταῖς μοναρχίαις. Multi præterea vel auaritia, vel cupiditate imperii inducti, aduersùs reges coniurant; pauci autem regno fidi ſunt. Præterea, in interregno, quod ſæpe accidit, & quando ſine liberis decedunt principes, maximi tumultus oriri ſolent: adeò vt regna pauciſſima diuturna ſint. atq; hoc nos Perſarum & Macedonum regnum, & Romanum imperium ſatis docent. Cyri enim poſteris regnum citò ereptum eſt. & poſt mortem Alexandri, regnum ipſius in multas partes diuiſum eſt, & non ita multò pòſt interiit. Romanumq; illud ferreum imperium, poſtquam ſumma poteſtas ad vnum peruenit, paulatim diminutum, & tandem funditus à Gallis & Germanis euerſum eſt. neque dubitandum eſt, quin multæ in regno Scytharum & Aſſyriorum euenerint mutationes, licèt propter vetuſtatem, & ſcriptorum ſummum ſilentium eas ignoremus.

[1] *Lib. poli. 5. c. 10.*

Poſtremò, quod dicit Bellarm. *Faciliùs ciuitatem ab vno regi, quàm à multis:* hoc Ariſtocraticis abſurdum videtur. nam, vt inquit [2] Ariſtoteles, plures oculi plus vident, quàm vnus: & omnium difficillimum eſt vnũ omnia videre. neq; enim poteſt vbiq; adeſſe, & res domi & foris adminiſtrare: nec ita omnia nouit, vt non poſſit in errorem induci. Difficilimum deniq; eſt regem ex

[2] *Lib. 3. polit. c. 12.*

gem ex hac vita discedentem ita res constituere, vt nō sæpe post eius obitum multæ accidant contentiones, & calamitates : quæ omnia nec tam facilè, nec tam sæpe contingere solent, vt ipsi putant, in Optimatum statu.

At, inquit Bellar. *facilius est vnum hominem bonum reperire, quàm multos; & faciliùs populi vni parent, quàm multis.* Quasi verò nō essent rarissimá & difficilia præstantissima. Præterea dicunt Aristocratici facilius esse reperire multos, qui simul possint remp. rectè administrare, quàm vnum, qui omnia. & absurdum esse putant, vt populus bene moratus regibus potiùs seruire, quàm in rep. libera versari cupiat.

Obiicit secundò, *melius eos; qui perpetui sunt magistratus, quæ facienda sunt intelligere & præscribere, quàm qui per vices & breue tempus imperant.* At respondent isti, eos optimè imperare, qui rectè parêre didicerunt: & optimates, licèt non semper magistratus gerant, plus tamen experientiâ edoctos scire, quàm adolescētes, & homines imperitos, nuper ad regni gubernacula assumptos.

Obiicit tertiò, *Optimates cōmunia, quasi aliena, tardiùs & negligentiùs curare: regem verò velut propria curantem, omnibus locis & temporibus occurrere.* At respondent Aristocratici, nō quæri, vtrùm rex strenuus multis hominibus tardis & ignauis; sed vtrùm multis viris strenuis, & communis salutis studiosis præponendus sit. Si autem de rebusp. quę nunc sunt sermonem instituit; valde illis iniuriam faceret, si existimaret eos nō meliùs curare & sapientiùs rebus futuris prospicere, quàm solent nonnulli reges.

Obiicit quartò, *vix contingere posse, vt ab optimatibus absit æmulatio & contentio.* quasi verò non legibus, istis incommodis occurri posset, & non eadem, aliaq; grauiora mala in regnis contingerent.

Dicit postremò, *vbi multi curant remp. ibi nullū rectè curare. ita enim fieri in amplis familiis, vbi multi sunt serui.* Sed hoc antea dixerat, & huic Aristocratici responderunt, non deesse in optimatum statu magistratus, qui singula curent : contra verò, multos esse reges, qui

remp. parum aut nihil curent, suasq; potiùs res agant, quàm publicas.

Atq; hæc illi, qui Aristocratiam probant, & nos ex ex eorum sententia. Verùm vt concedamus Monarchiam esse optimam reip. formam: nihil tamen lucri ex eo ad Bellarm. perueniret: nam, vt ostendimus, alia est ecclesiæ, alia reip. administrandæ ratio. Præterea, vt Monarchiam pontificis optimam esse reip. formam demonstret; ostendere debet optimum esse, vt totus mundus ab vno rege administretur. neq; enim monarchia in vno regno aut ciuitate satis respondet monarchiæ pōtificiæ, quam ille in vniuersum orbem terrarum vendicat. At talis totius mundi monarchia nec fuit vnquam nec esse potest; neque, si talis existeret, optima esset illa administrationis forma. quis enim vel pluribus prouinciis rectè imperarit? totius autem mundi prouincias & negotia nemo procurare potest.

Monarchiam pontificis Rom. quam Bellar. probat nihil ferè habere cum bene institutis Monarchiis commune, aut simile, CAP. IV.

ETsi satis antea diximus ad prolixam Bellarmini de Monarchia & aliis rerumpubl. formis disputationem conuellendam; tamen aduersùs pontificis Rom. Monarchiam infinitam alias plures, easque iustissimas habemus exceptiones. Primò, nullum est, neque fuit vnquam in orbe terrarum regnum, quod non certis quibusdam finibus definiretur. Hoc Cicero in oratione Agraria contra Rullum disertè affirmat: hoc amplissima *Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum* imperia, quæ certis inclusa erant finibus confirmant; Hoc deniq; ratio ita fieri debere docet. neq; enim tanta est vnius hominis prudentia, vt quæcunque per orbem fiunt & facienda sunt, intelligat; nec vires cuiusquam tantæ, vt vel mandata singulis dare, vel incommodis, quæ vbiq; euenire solent, occurrere possit. Pontifex autem Rom. regnum sibi deberi contendit super omnem orbem terrarum, neque vllis finibus ius suum terminari sustinet. *Prin-*

cipatus

cipatus summi Romani pontificis, inquit [1] Aluarus Guerrerius, *non solùm ad spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendit, ita quod in toto orbe iurisdictionem habeat temporalem.* Hoc etiam ipsi pontifices apertè profitentur. vnus dicit, [2] *Pastoralis solicitudinis curam sibi datam super cunctas Christiani populi nationes.* [3] Sixtus quintus *sibi incumbere ecclesiarum omnium, populorumque ac gentium solicitudinem* professus est. omnes deniq; pontifices omnes Christi oues sibi commissas autumant. At Deus distribuit terram filiis hominum, & non vni dedit vniuersam. lex autem naturę singulis alueariis suos duces dedit, & non omnibus vnum ducem.

[1] *De iure pōtif. Rom. c.16.*

[2] *Clem. pastoralis. de re iudicat.*

[3] *In bulla in reg Nauar. & Princip. Condaum.*

Deinde, omnes reges certam habent & definitam potestatem: non possunt supplicio quem volunt afficere, nec debent bona per iniuriam subditis eripere. non licèt denique vel ipsas leges regni fundamentales antiquare, vel facere, & iudicare contra leges. illi enim dignos se præbent regia maiestate; qui secundum leges regia vtuntur potestate. Ne autem fines suos transgrederentur, Samuel Israelitis descripsit ius regium. leges etiam aliorum populorum certos suis regibus circumdederunt fines. At pontificis Rom. iura & potestatem, licèt multi descripserint; nullus tamen verè dicere potuit. *Papa*, inquit [4] Thomas Aquinas, *habet plenitudinem potestatis, qualem rex in regno.* at hoc nec ille, nec quisquam alius plenè explicauit. Dat quidem illi *potestatis plenitudinem in foro conscientiæ, & in foro exteriori, & in indulgentiis*, & in aliis quibusdam [5] Aluarus Guerrerius: sed papa multo plura potest. nam dare potest gratias, & priuilegia, & iurisdictionem. imò aiunt ipsum posse regna ab vno in aliū trāsferre, & non habenti dare. In dispensando autem, infinitam dant ei potestatem. [6] aiunt enim *ipsum dispensare posse contra apostolum:* & omnes vident ipsum pœnas relaxare omnium scelerum, & leges ecclesiæ laxare & abrogare pro arbitratu. dant etiam ei potestatē leges condendi quæ conscientias obligent. Sed quid nos speremus posse nos omnem eius potestatem dicere in hac tanta breuitate, cùm nec canonistæ multis

[4] *In 4. sent. dist. 20.*

[5] *De iure pontif. Rom. c.1.*

[6] *C. lector. dist. 24. & ext de bigamis c super. eo.*

voluminibus eam explicare potuerint? habet enim pontifex non plenam tantùm, sed infinitam potestatem.

Tertiò, reges huius mundi non habent in animas hominum potestatem. nihil habent vel in cœlis, vel apud inferos quod agant. At pontifex Rom. se æternæ vitæ clauigerum dicit. idemq; clauium suarum potestatem vsque ad cœlos & inferos, seu purgatorium extendit. nam sanctos canonizat, & adorandos proponit, & purgatorii pœnas laxat. Sed quid verbis opus est? ipse enim diuinos sibi arrogat honores, & se Deũ vocari [1] sustinet & gloriatur. & Hostiensis, *Dei & papæ idem esse consistorium* [2] *docet*.

[1] *C. satis. dist. 96.*
[2] *C. quanto. de translat. prælat.*

Quartò, Principes & Reges huius mundi regna & iura sua ab aliis regibus acceperunt, nec verentur se Dominos & reges dicere. At pontifices Rom. ius suum maximum & regnum amplissimum à *Petro* deriuant, qui tamẽ nullum tale ius habuit, nec regnum aliquod possedit. At, inquit [3] Aluarus Guerrerius *iussus est piscari hamo*: doctè sanè, & eruditè. sed si *hamo piscari* esset papatũ adipisci, & opes immensas, cuiusmodi pontifices Rom. piscando adepti sunt; quis non, abiecta omni alia cura, piscaretur hamo? Præterea, se dicit *seruum seruorum*, & sub specie fictæ humilitatis iugũ durissimum principum ceruicibus, & non tantùm aliis Christianis imposuit. cupit quidem se appellari regem & dominum, imò regem regum, & dominum dominãtium; & hos ei asseclæ sui titulos attribuunt: sed verbis tamen ille humilitatem, & ouinam simplicitatem præ se fert.

[3] *De iure põtif. Rom. c. 1.*

Quintò, vt regnum legitima est reip. forma, & si rectè administretur, populo tenui vtilis & salutaris; ita legitimis & honestis rationibus acquirẽdum est. nam, quod vel armorum vi, aut fraudibus & astutiis acquisitum est, non regnum, sed violenta tyrannis dici meretur. αὖ δὲ δι' ἀπάτης ἄρξῃ τις, ἢ βίας, inquit [4] Aristoteles, ἤδη δοκεῖ τοῦτο εἶναι τυραννίς. Quid autem habet pontifex Rom. quod non omnes vel astutia populo Christiano surreptum, vel vi imperatoribus & regibus ereptum agnoscunt? sub specie successionis Petri, summam adeptus

[4] *Lib. Polit. 5. cap. 10.*

eptus est apud homines imperitos potestatem. At nos ostendemus pontifices istos recentiores Petro non succedere: & non minùs alios episcopos, quàm Romanos, Petro & Apostolis succedere. Præterea, cùm non satis ad omnia valeret prætensum hoc successionis ius; commentitios canones, vt in concilio Aphricano sexto, & commentitias Constantini & aliorum principum donationes edidere. nunc, falsatis & corruptis, & detortis patrum scriptis, tyrannidem suam defendunt. Gallorum olim armis, imperatorum oriẽtis, & Longobardorum in Italia regnum & opes fregerunt, & in præmium victoriæ partem non contemnendam Galliæ Picenæ abstulerunt: postea verò, Gregorius septimus arrepto gladio materiali, imperatores armis à successoribus suis vinci posse docuit. Vrbem Romam olim dominam mundi, & vsq; in illud tempus liberam, Bonifacius nonus inaudita fraude, vt inquit [1] Valla sibi subiugauit. Atq; ita, partim *1 Contra donat. Constãt.*
fraudibus, partim armis, vt [2] Machiauellus ad Clementem septimum scribens annotauit, pontifices ad *2 Histor. Florent. lib.* I.
istam amplitudinem, quàm patres nostri viderunt, & ad eam obstupuerunt, bestiæ admirantes gloriam & potentiam, vt est in Apocalypsi, peruenerunt.

Postremò, boni reges & principes, qui hoc nomine digni censentur, nõ tam suum spectant commodum, quàm reipub. & suorum. illi enim ciuibus imperant, vt patres liberis. ἡ μὲν πατρὸς πρὸς υἱεῖς κοινωνία, βασιλείας, inquit [3] Aristoteles, ἔχει σχῆμα. & propterea Homerus *3 Ethic. 8. c.* 10.
Iouem diuûm & hominum regem & patrem vocat. [4] illi auxilio sunt viris bonis aduersùs vim iniquorũ *4 Lib. Polit.* 5. *c.* 10.
& oppressorum, &, vt inquit [5] Apostolus, *non sine causa gladium* portant. neq; sanè alia re magis rex differt *5 Rom.* 13.
à tyranno, quàm quod ille bonum publicũ, hic suum commodum quærit. ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ, inquit [6] Aristoteles, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων: atque adeo quidem, vt si populum opprimere, & sua spectare cœperit, ex rege fiat tyrannus. *6 Ethic. 8. c.* 10.
ὁ δὲ μοχθηρὸς βασιλεὺς τύραννος γίνεται, vt viri censent [7] politici. tyrannus *7 Ibidem.*
enim non publicam, sed suam vtilitatem spectat. ἡ τυραννὶς, inquit [8] Aristoteles, πρὸς οὐδὲν ἀποβλέπει κοινὸν, εἰ *8 Lib. Polit.* 5. *c.* 10.

μὴ τῆς ἰδίας ὠφελείας χάριν. At pontifex Rom. suam tantùm gloriam & commodum quærit. hoc. n. ipsius canones quos argento comparando editos fuisse existimant viri [1] sapientes; hoc ipsius rescripta iustitiæ; hoc eius anomalæ, vt vocant, dispensationes; hoc beneficiorum & peccatorũ turpissimæ nundinationes; hoc fœdissimæ vsuræ, seu, vt vocãtur, montes pietatis; hoc deniq; vniuersa põtificum Rom. politeia clamat. Præterea, & ipsorum & aliorum testimonio confirmatur, Bonifacius nonus cum iam animam ageret, & vix loqui posset præ angustia spiritus, rogatus tamen quomodo valeret, dixit *se bene valiturũ, si pecunias haberet*, vt scribit Theodoricus [2] Niemensis. *Manifestò cõpertum est*, inquiunt Angli apud [3] Matthæum Paris, *ecclesiam Rom. Dei indignationem incurrisse. ipsius enim magistratus & rectores nõ populi deuotionem, sed marsupia quærunt denariorum; non animas lucrifacere, sed reditus rapere, & pecuniam congregare.* Vulgò olim dictum est, *Romanam curiam nõ capere ouem sine lana*: & inde dictam putant Romam, quia manus rodebat. Ioannes Monachus dicit *Romam à prædonibus esse fundatam, & adhuc de primordiis suis retinere.* Neque tantùm fraudibus acquisiuerũt, sed vi etiam & armis pontifices bona pauperum & aliorum rapuerunt. *Papa*, inquit [4] Valla, *& ipse bella pacatis populis infert, & inter ciuitates principesque discordias serit. Sitit*, inquit imperator [5] Ludouicus, *Christianum sanguinem, discordiæ & seditionum mala vbiq; gẽtium inter Christianos serit, fratres in fratres armat, nec licet Christianis per hunc antichristum pacem à Deo datam seruare.* itaq; non dubitauit populus Christianus ipsum aliquando tyrannum appellare. [6] Eberardus Salizburgensis dicit, *pontificem se tyrannicè gerere, diripere, fraudare, & spoliare.* Grauissimè etiam populus Belgicus in Nicolaum primum inuehitur. [7] *Lupus*, inquit ille, *factus es ouibus; viuos occidis; fortes superis detrahis; vulneribus ad inferos detrudis; gladium melle litum condis; tu quidem pontificis personam præ te fers, at tyrannum agitas.*

Si ergo istos colant pontifices Rom. mores, nihil est quod Monarchiam suam iactent, cum & tyranni,

quos

[1] *Cynus Pistoriensis, & Budæus.*
[2] *De schismate.*
[3] *In Henr. 3.*
[4] *Contr. donat Constãt.*
[5] *In edicto Ludou. Bauari.*
[6] *Auentin. annal. 4.*
[7] *Auentin. annal. 4.*

quos tanquam communes humani generis pestes omnes boni eradicatos cupiunt, sint etiam Monarchæ.

Præterea, cum talem habeant illi monarchiam, qualis, si vel fines immensos, vel infinitam quam sibi arrogant potestatem spectare velimus, nulla vnquam fuit vel futura est; & ita regnum suum acquisiuerunt, & nunc administrant, vt nulli vnquam boni principes & reges: frustra Bellarminus de Monarchia & rerũp. formulis disputat, & põtificis sui Monarchiam regnis principum comparat. Nam vt Regnum optimus esset reipub. status; pontificis tamen regnum quod illi dissimilimum est, deterrimum est, & pessimum ecclesiasticæ gubernationis genus.

Ecclesiasticæ politeiæ externam formam ad Reip. statum Aristocraticum proximè accedere, & ei similiorem esse, quàm Regno, aduersùs Bellarm. lib. 1. c. 8.

Cap. V.

VBi de forma & statu alicuius reipubl. quæstio incidit, non aliud quæritur, quàm penes quos sit summa rerum potestas: ex eis enim facilè intelligitur, quæ sit reipub. forma. Similiter cum de forma politeiæ ecclesiasticæ dubitatur, non aliud in controuersiam vocatur, quàm penes quos sit summa in gubernanda ecclesia potestas, & cui, aut quibus hanc Deus tribuerit. Et aduersarii quidem existimant Petro primùm, ac deinde episcopis Roman. & nunc istis quos videmus pontificibus datam fuisse: istos enim & leges condere quæ vniuersam ecclesiam obligant, ac rursus easdem abrogare posse. Eisdem etiam in Episcopis vbiq; ordinandis, & iudiciis causarum ecclesiasticarum, & in relaxandis legibus ecclesiæ, & in conciliis generalibus indicendis, & aliis quibusdam, in quibus summa potestas consistit, maximam potestatem tribuũt. & propterea ecclesiasticæ gubernationis formam Monarchicam esse contendunt. Nos autem hęc omnia non ad vnum aliquem, sed ad plures fuisse delata existimamus; & claues ecclesiæ & earum summũ ius, non ad vnum, sed ad plures peruenisse & spectare dicimus: & propterea, ecclesiasticæ politeiæ formam

ad Aristocratiæ, quàm ad Regni formam propiùs accedere non dubitamus. Idcircò autem ita loquimur, quia ecclesia aliter quàm respubl. administratur, & eius forma in omnib. Aristocratiæ non respondet. Bellarmini argumenta contraria nos postea diluemus: nostram de ecclesiæ externa forma sententiam, subiecta firmamenta probant.

Primò, Christus vnam & eandem ex æquo dedit omnibus apostolis potestatem. vnâ enim & pariter omnes electi sunt ad apostolatum. *Vocauit*, inquit [1] Lucas, *discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.*

[1] *Luc.* 6.

Præterea, vnà & pariter missi sunt ad prædicãdum, & apostolatus munus peragendum. *Conuocatis*, inquit [2] Lucas, *duodecim Apostolis, dedit illis potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent, & misit eos prædicare regnum Dei.* Similiter Matth. 28. *euntes*, inquit Christus, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* In eandem denique sentẽtiam apud Ioannem loquẽs Iesus: *Sicut*, [3] inquit, *misit me pater, & ego mitto vos.* Quomodo ergo, qui mandata eadem acceperunt, non habeant parem potestatem?

[2] *Luc.* 9.

[3] *Ioan.* 20.

Tertiò, vnà omnes claues acceperunt; quibus ecclesiæ gubernandę potestatem designari non negant aduersarii. *amen dico vobis*, inquit [4] Christus, *quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlo.* Potestas autẽ clauium in aperiendo & claudendo; itemq; in ligando & soluẽdo posita est. Respondent hoc loco aliqui, *nihil datum, sed promissum tantùm fuisse.* Sed absurdum est cogitare Christum aliquid promisisse, quod non præstiterit. Ioannis sanè cap. 20. Christus non tantùm promittit, sed etiam dat claues communiter omnib. Apostolis. *Hæc*, inquit Ioannes, *cùm dixisset, insufflauit, & dicit eis, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nemini ergo dubium est, quin Christus parẽ omnibus Apostolis potestatem contulerit.

[4] *Matth.* 18.

Præter-

Præterea, idem probatur testimonio patrũ. Nam [3] Cyprian. *parẽ potestatẽ omnib. apostolis datã dicit*. & Ambrosius vnà *omnes Apostolos ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarũ orbem destinatos fuisse affirmat, vt fidei satores essent.* Hoc etiam & Anacletus, siue ille quicunque eius epistolæ est author, probauit. *Cæteri,* [4] inquit, *apostoli cum eodem*, scilicet, *Petro, pari consortio honorem & potestatem acceperunt.*

[3] *De simplic. prælat. & c. loquitur. 24. q. 1.*

[4] *C. in nouo. dist. 21.*

Secundò, apostoli pari potestate quoad vixerunt, sicut à Christo eam acceperant, ecclesiam administrarunt. quod disertè affirmat Apostolus Paulus. *Cùm cognouissent*, inquit [5] Paulus, *gratiam mihi datam, Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui existimantur esse columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos inter gentes, ipsi verò inter circumcisos apostolatu fungerentur*. si autem societas, certè fuit etiam inter ipsos æqualitas. neq; enim inter socios sunt præsidentes, & subditi.

[5] *Galat. 2.*

De prædicatione euangelii Marcus testimonium præbet, quod hoc munus communiter & pariter obierint. *Illi*, inquit [6] Marcus, *egressi vbique prædicarunt, Deo vnà operante, & sermonem confirmante per signa sequentia.*

[6] *Marc. 16.*

Præterea, episcopos, & eos, qui sibi successuri essent, pariter omnes Apostoli designarunt. *Paulus Titũ Cretensibus, Timotheum Ephesinis* præfecit: sed & oppidatim præterea [7] constituit Presbyteros & episcopos. [1] *Philippus* in *Gallia*, [2] *Andreas* in *Achaia* prædicans, vtrobique ordinauit etiam post se episcopos. similiter reliquis locis reliqui apostoli consuluerunt.

[7] *Act. 14.*

[1] *Freculph.*

[2] *Hist. eccles.*

Cùm autem multitudo fidelium cresceret, & non possent apostoli mensis vacare; diaconos communi suffragio constituerunt, qui hoc munus in se susciperent. *conuocantes duodecim, multitudinem discipulorum, &c. considerate* [3] inquiunt, *quos constituamus super hoc opus.*

[3] *Act. 6.*

Leges etiam in concilio vniuersali de sanguine, suffocato, & idolothytis communi consensu tulerunt. *visum est,* [4] inquiunt illi, *Spiritui sancto & nobis.*

[4] *Act. 15.*

Postremò, in illo concilio, tanquam in summo tribunali, & supremo iudicum ecclesiæ consessu, con-

trouersia illa de legalium obseruatione, quam nec *Petrus*, nec *Paulus* solus determinare voluit, finem accepit. *Conuenerunt*, inquit [5] Lucas, *Apostoli & seniores videre de verbo hoc.* Vbi autem potestas leges ferendi, & ecclesiæ magistratus constituendi, & negotia religionis & fidei controuersa diffiniẽdi habetur, ibi summa est ecclesiæ potestas.

[5] *Act.* 15.

Tertiò, Christus ipse summum ecclesiæ tribunal nõ apud Petrum, vt isti somniant, sed apud ecclesiã constituit. non enim eos qui Petrum, sed eos qui ecclesiam audire detrectarent, habendos tanquam ethnicos & publicanos decernit. *Si ecclesiam non audierit*, inquit [6] Christus, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Præterea, in negotiis controuersis, ipsum Petrum ad ecclesiæ tribunal remisit. *Si nec te*, [7] inquit Christus ad Petrum, nec eos quos tecum adhibueris, *audierit, dic ecclesiæ.* at superior ad inferiorem remitti non solet. nec videtur Christus in ecclesiæ iudicio constiturus fuisse, si aliquod præterea superius fuisset ecclesiæ tribunal. nunc autem per Ecclesiam, non vnus aliquis (nam hoc verbi ratio prohibet) sed plures ecclesiæ præsidentes intelliguntur. vt autem vnus tantùm summus ecclesiæ Monarcha designetur per nomen Ecclesiæ, fieri non potest. Repugnat enim primò & nomen & natura ecclesiæ, quæ est congregatio ex pluribus, & in vno consistere, si propriè loquamur, non potest. Repugnat deinde & patrum interpretatio, qui vna voce non vnum pontificem, sed episcopos & [8] præsidentes ecclesiæ, seu, vt Patres synodi Basiliensis [9] loquuntur, *ecclesiæ præsidentium concilium*, designari volunt. Repugnat tertiò ratio, & rerum experientia. neque enim ex ecclesia vniuersali eiici æquum est, nisi qui ecclesiæ vniuersalis decretis non obtemperat. Atque ita seruatum est. eos enim quos concilium generale condemnauit, omnes vitarunt, & ex ecclesia eiectos censuerunt. at episcoporum Rom. condemnationes, non omnes, vt postea dicemus, probarunt. Repugnant denique sacræ literæ, ex quibus intelligere licet, multos esse constitutos ecclesiæ præpositos. *Attendite*, inquit [1] Paulus apud episcopos

[6] *Matth.* 18.

[7] *Ibidem.*

[8] *Chrysost. in Matth.* 18.

[9] *Æn. Syluius in act. concil. Basil.*

[1] *Act.* 20.

verba faciens, *vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, vt regeretis ecclesiam Dei.* Hinc ergo concludere licet, si suprema iudiciorum potestas penes ecclesiæ præsidentes in concilio generali collectos habeatur, & non in Petro, vt dictum est; tum ecclesiasticæ politeiæ formam ad Aristocratiam propiùs quàm ad Regnum accedere.

Quartò, confirmatur sententia nostra apostolicæ, & primæ Christi ecclesiæ exemplo. nam & ecclesia ab apostolis fundata, & quæ postea per orbem terrarum propagata est, non alios habuit summos rectores & iudices, quàm episcopos & ecclesiæ præsidentes in Synodo legitima congregatos. Neque sanè dubitandum est, quin illi summam habuerint in ecclesiasticis negotiis potestatem. illi enim fidem sartam tectam conseruarunt, & dubia de religione definiuerunt, legesque & regulas de fide & moribus ediderunt, quibus non tantùm alii, sed etiam episcopi Rom. tenebantur. illi episcopos & magistratus ecclesiæ, vbi opus erat, ordinarunt, & constituerunt; illi delinquentes castigarunt, & excommunicarunt; omniaque secundùm synodi regulas à piis episcopis peragebantur. Illi deniq; cõtrouersias de fide, de finibus diœcesium, & moribus seu ritib. externis populi Christiani, summo iure audiuerunt & terminarunt.

Et primum quidem probatur ex actis synodorum. inde enim veteres Christiani & fidei explicationem, & canones seu regulas viuendi, & de ritibus ecclesiæ petierunt, eisque se sponte submiserunt. nihil enim æquius est, quàm vt omnes probent & sequantur, quæ cõmuni totius ecclesiæ iudicio & suffragio diffiniuntur & comprobantur.

Secundum probatur etiam ex actis conciliorum, & historiis ecclesiæ. Paulus Samosatenus *ab vniuersa quæ sub cælo est ecclesia proscriptus est* vt loquitur [2] Nicephorus. [3] Cyprianus dicit *Nouatianum nuper refutatum, & per totum orbem à Dei sacerdotibus abstentum fuisse.* à synodis etiam episcopi Rom. condemnati sunt. [4] Marcellinus à Synodo Sinuessana abiudicatus est, vt est in actis eius synodi. In synodo etiam quadam

2 *Lib. 6. hist. cap. 28.*
3 *Lib. 3. epist. 13.*
4 *Acta synod. Sinuess.*

Romana & *Liberius* depositus, & *Felix* in eius locum subrogatus est. Honorium hæreseôs damnauit Synodus sexta. In synodo Sardicensi Athanasius Alexandrinus, & Paulus Constantinopolitanus, & alii episcopi ab Arrianis, sedibus suis pulsi, ad pristinam dignitatem restituti, ad sedes suas redierunt. In Synodis quæ Ephesi & Chalcedone celebratæ sunt, multi episcopi leguntur depositi, & nonnulli etiam restituti sunt. Synodus Constantiensis tres pontifices Rom. exautorauit, Martinumq; quintum pontificem constituit. Synodus deniq; Basiliensis, deposito Eugenio quarto, ei Amedæum Sabaudum suffecit.

Tertium nullam habet controuersiam. Nam in Synodo Antiochena damnata est *Pauli Samosateni* impietas: & in quatuor illis celeberrimis conciliis, quæ Niceæ, Constantinopoli, Ephesi, & Chalcedone congregata sunt, Arrii, Macedonii, Nestorii, & Eutychis impiæ hæreses episcoporum sententia condemnatæ sunt. In eisdem etiam locis, controuersiæ de finibus episcopalis iurisdictionis, & aliis ecclesiæ negotiis, finem acceperunt. Ibidem denique dubia religionis declarata & explicata sunt. Quod ne more potiùs quàm
[1] Can. 38. lege factum putemus, facit [1] canon quidam apostolis propter antiquitatem ascriptus. ex illorum enim regulis aiunt præscriptum fuisse, *vt bis in anno concilia celebrarentur.* idque vt episcopi conuenientes & doctrinam explorarent, vtrùm se rectè haberet necne; atque vt emergentes de rebus ecclesiæ cõtrouersias sopirẽt,
[2] Can. 5. & tollerent. Synodus etiam [2] Nicena decreuit, *vt bis Synodi singulis annis celebrarentur, vt episcopis singularum prouinciarum conuenientibus & communiter consultantibus, quæstiones & lites Episcoporum, & aliorũ ibi definirentur.* Atque hæc omnia antiquitus obtinuisse significat
[3] Apologet. c. 39. [3] Tertullianus, vbi dicit probatos præsidẽtes disciplinam ecclesiæ in conuentibus suis firmasse. Sed quid opus est verbis, cùm *vltimum in causa fidei iudicium ipse*
[4] Libro de concil. c. 3. [4] *Bellarminus imprudens fateatur esse penes concilium generale, & hoc communi patrum consensu, & traditione doceri asserat*? si autem summa potestas in legibus ferendis, & episcoporum ordinationibus, & depositionibus, &

bus, & denique in omnibus controuersiis fidei & morum externorum diiudicandis, penes concilia fuerit; & hoc prisca ecclesia, & omnes antiqui patres confirment: certum est non Monarchicum imperium, sed potiùs conciliorum authoritatem, quæ ad Aristocraticam formam probè accedit, antiquissimæ ecclesiæ suffragio probari. Putat quidem Bellar. omnem concilii authoritatem & robur ex pontificis Rom. sententia pendere. sed ille altùm stertit, & planè somniat, vt cùm eò ventum fuerit, ostendemus.

Quintò, patres non alibi quàm in Synodis, vel fidei, vel morum & rituum quæstiones audiendas & discutiendas esse existimarunt. Ad Synodum Nicenā pertractus est Arrius, atque ibi propter suam in filium Dei blasphemiam condemnatus est. ibi etiam quæstio de paschatis obseruatione, quæ multas diu ecclesias exercuerat, finem accepit. Atqui si alia ratione hæreses extingui, & lites dirimi potuisse censerent; nunquam concilii diffinitionem necessariam esse existimassent. Negotium Cypriani & episcoporum Africanorum de hæreticorum baptismo, non alia ratione, quā concilii plenarii diffinitione expediri potuit. Tentauit quidem Stephanus episcopus Rom. quid apud Cyprianum ipsius authoritas pollet, & multa protulit; sed nihil tamen ante concilium profecit. Augustinus scriptorum libros, qui pòst confirmatum canonem aliquid ediderunt, ab aliis doctoribus corrigi, vel etiam à conciliis reprehendi posse [1] fatetur: at concilii plenarii quod fit ex vniuerso orbe, diffinitionem non esse in dubium reuocandam censuit. vnde facilè liquet vltimum iudicium, ex Augustini sententia, penes concilium generale fuisse. [2] Imperatores Valentinianus & Martianus, *impium & sacrilegum esse pronuntiant, qui post generalis concilii diffinitionē opinioni suæ aliquid tractandum relinquit.* Gregorius primus anathema [3] dicit iis, *qui quatuor conciliorum decretis aliquid addere, vel adimere præsumerent:* quo non dubium est pontifices Rom. aliquid addentes vel dementes teneri. In octaua Synodo Photium sic alloquitur Bahanes, *Loquere domine Photi: totus mundus hîc est.* quis autem totius

[1] *Lib. 2. de baptism. contr. Donatist. c. 3.*
[2] *In edicto inter acta concil.*
[3] *Epist. lib. 1. c. 24 & lib. 2. c. 49.*

mundi sententiam retractare, aut conuellere præsumat? In conciliis etiam episcoporum ordinationes & depositiones faciendas esse dixerunt. si quid autē horum alibi factum esset, hoc illi pro nullo habuerunt. *De traditione diuina*, inquit [4] Cyprianus, *& Apostolicæ ordinatione seruandum est & tenendū, quod apud nos quoq; & ferè per vniuersas prouincias tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, episcopi eiusdem prouinciæ proximi quiq; conueniant.* eiusdem etiā moris vestigia in multarum synodorū actis apparent. Cū autē consuetudo illa paulatim antiquari cœpisset, mansit tamen mos iste, vt *episcopi singuli*, nō ab vno episcopo Rom. sed *à duobus, aut trib. episcopis* ordinarentur. & hoc canones Apostolorum seruandum præceperunt. postea verò per literas continentes fidei confessionem ab ordinato editam, hoc quod ipsi fecerant, illi aliis omnib. episcopis significarunt.

[4] Lib. 1. epist. 4.

Sextò, ipsi episcopi Rom. & etiam aliqui ex aduersariis nostris viderunt & confessi sunt, summam potestatem penes conciliū esse generale, & non alibi rebus ecclesiæ turbidis remedium inueniri potuisse. Iulius primus episcopus Rom. licèt Athanasio benè vellet, nullum tamen ei auxilium ferre potuit. imò rectè intellexit, non alibi, quàm in concilio ecclesiæ malis positum fuisse remedium. Neq; potuit Innocentius, licèt summè cuperet, Chrysostomum iniqua concilii sententia oppressum restituere, absque alio concilio. Leo, grassante Eutychianorum hæresi, ab imperatore contendit, vt conciliū indiceret, vt ecclesiæ rebus turbidis auxilium ferretur, quæ nos fusiùs in tractatu de conciliis postea dicemus. *veritas est catholicæ fidei*, inquiunt [1] patres synodi Basiliensis, *sacrum generale conciliū supra papam, & alium quemuis potestatem habere.* Atque hoc illi probant authoritate Gregorii primi, *qui*, vt ipsi aiunt, *quod Christus præcèpit, seruauit, & ecclesiam adiit, hoc est, cum concilio rem communicauit.* Hanc denique sententiam confirmant omnes, qui papam à concilio deponi posse docent; de quo postea erit dicendi locus. *reformatio non fiet*, inquit episcopus Chemensis, oneris ecclesi. c. 19. *nisi in aliquo generali & libero concilio.*

[1] Æneas Sylu. lib. 1. de gest. concil. Basil.

Septimò,

Septimò, lex Dei non vni alicui, sed consistorio summo Hierosolymitano, quod ex Septuaginta senioribus & summo principe conflatum erat, & Sanedrin dicebatur, summam tribuit, & quoad ecclesiastica, & alia fortasse negotia potestatem. *Facies*, inquit [2] Moses, *quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem* eius. Hunc consessum summam habuisse in iudiciis potestatem, inde constat, quia ad hoc tribunal ab omnibus aliis appellabatur, & quia iudices huius Sanedrin [3] iudicabant *tribum, sceptrum, pseudoprophetam, & sacerdotem magnum*. De summi sacerdotis summa potestate in iudiciis ecclesiasticis nullum reperitur in sacris literis vestigium. nam quod ex Deuteronomii cap. 17. affert [4] Bellarmin. euertit potiùs, quàm confirmat summum sacerdotis in iudicando imperium. Non enim dicit Moses, venies ad sacerdotem summum: sed, *venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem*. Neque dicit, quod summus sacerdos iudicabit: sed, *ipsi indicabunt tibi iudicii veritatem*. Præterea, omnes Iudæorum historiæ docent, sceptrum, & summam in iudicando potestatem penes Sanedrin fuisse. *Ad eos*, inquit [5] Galatinus de his iudicibus verba faciens, *pertinebat, omnes legis ac fidei difficultates, seu dubia declarare ac definire, atque in rebus grauibus & causis arduis iudicare*. Postea negat vllos alios de istis reb. magnis iudicare. *Non erant*, [6] inquit, *iudicantes tribum, vel sceptrum, neque pseudoprophetam, neque sacerdotem magnum nisi domus iudicii 71. iudicum*. Nec obstat quod dicit Moses, *qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio*. nam loquitur de sacerdote qui totius Sanedrin sententiam pronuntiabat. loquitur, inquam, de sacerdote vnà cum aliis iudicibus sedente: vel fortasse per sacerdotem intelligit sacerdotes. ita etiam in singulari numero loquens de eo qui habuerit iudicium difficile, omnes intelligit, qui similes habent causas. Mos denique populi Iudæorum ostendit, summam potestatem, quoad res ecclesiasticas, fuisse penes summos principes & concilium septuaginta seniorum siue Sanedrin. nulli enim alii leges & mandata

[2] *Deut.* 17.

[3] *Talmudistæ & Petr. Galat. de arcan. cath. verit. lib.* 4. *c.* 5.

[4] *Lib.* 3. *de Verbo Dei c.* 4.

[5] *De arcan. cath. verit. lib.* 4. *c.* 5.

[6] *Ibidem.*

de istis rebus dederunt: neque coram alio concilio aut Christus condemnatus est, aut Apostoli causam dixerunt. vnde facilè videre licet, & leges Dei, & mores Iudæorum non vni, sed pluribus dedisse summam in rebus ecclesiæ administrandis potestatem.

Octauò, eadem est ratio Synodorum prouincialium respectu ecclesiarum quæ prouinciarum certis finib. continentur, & synodorum generalium respectu ecclesiæ vniuersalis. at prouinciales ecclesiæ, quoad fidei & rituum negotia & controuersias, à synodis prouincialibus reguntur: ab illis enim leges & regulas accipiunt. Ibi etiam episcopi, vbi opus est, vel ordinantur, vel castigantur, vel deponuntur. Ibi etiam & hæreses iugulantur, & superstitionum fibræ euelluntur. Ibi summum est ecclesiæ illius iudicium. Atque hæc nos & acta omnia conciliorum, & mores populorum, & rerum gestarum monumenta ita clarè docent, vt de istis rebus dubitare non liceat. Cur non ergo totius ecclesiæ militantis summa potestas sit penes cōcilium generale? ostendat Bellarminus dissimilitudinem: ostendat præterea, cur non tantùm concilia generalia per vniuersum orbem, sed prouinciales synodi per singulas prouincias summam hanc potestatem in ecclesia arrogarint, nisi forma ecclesiasticę politeię Aristocratiæ similis esset. ostendat deniq; cur episcopi Rom. quos ille monarchas fuisse ecclesiæ putat, hæc ab aliis fieri passi sint.

Nonò, hæc nostra sententia confirmatur suffragio & conciliorum & patrum, qui vel disertè asserunt ecclesiæ administrationem penes plures fuisse, vel saltem ea dicunt vnde intelligere licet ecclesiæ politeiam
1 *Can.* 38. non esse monarchicam. 1 Apostolorum canones decernunt, *vt bis in anno episcopi conueniant, & inter se dogmata pietatis explorent, & emergentes in ecclesia conten-*
2 *Can.* 5. *tiones amoueant.* De synodo Nicena iam diximus, 2 voluisse ipsam, *vt lites & causæ ecclesiasticæ in synodis fi-*
3 *Apolog.* 39. *nem acciperent.* 3 Tertullianus ostendit in synodis episcoporum, & pœnas impositas fuisse pro delictis, & dubia ibidem explicata fuisse. *præsident,* inquit, *probati quique seniores.* loquitur autem de synodis episcoporum.

rum. Sed quid nos testimonia conquiramus, cum acta conciliorum omnium, & dubia religionis ibidē explicata, & lites terminatas, & leges latas fuisse ostendant? [1] *Lib. 4. aduers. hæres. c. 43.*

[1] Irenæus non vni episcopo Rom. sed pluribus simul obaudiendum censet. *Eis*, inquit, *qui in ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, qui successionem habent ab Apostolis.* at hoc omnibus episcopis commune est: illi enim Apostolis, vt loquitur Cyprianus, vicaria ordinatione successerunt.

[2] Cyprianus *singulis pastoribus portionem gregis dominici adscriptam fuisse* scribit: idemque à synodis episcoporum Africæ appellādum negat. at omnes norunt summum esse tribunal vnde non datur appellatio. Apostolos præterea communi consilio ecclesiam administrasse, & pari potestate præditos fuisse ostendit, *Hoc* [3] inquit, *erant: cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis.* [2] *Lib. 1. epist. 3.* [3] *De simplic. prælat.*

Similiter [4] Basilius: *Christus post Petrum*, inquit, *omnibus Apostolis dedit æqualem potestatem: & huius signum est, quod omnes ex æquo soluunt & ligant.* [4] *Ascet. c. 22*

Hieronymus etiam in epistolam ad Galat. c. 2. de Paulo, Ioanne, Petro & Iacobo verba faciens, docet inter æquales factam esse collationem. Idem in Psalmum 44. scribens: *Fuerunt*, inquit, *ô ecclesia, Apostoli patres tui, quia ipsi te genuerunt: nunc autem quia illi recesserunt à mundo, habes pro his episcopos filios, qui à te creati sunt. sunt enim & hi patres tui, à quibus regeris.* Atq; ita videre licet, recedentibus Apostolis, gubernationem non ad vnum, sed ad plures peruenisse. Apostolos autem velut optimates ecclesiam rexisse significat. eos enim in Psalm. 45. scribens vocat principes populorum. neque dubium est quin eadem gubernationis forma ad posteros traducta sit. nam *antequam diaboli instinctu studia in religionē fierent, communi presbyterorum consilio ecclesias gubernatas fuisse* [5] scribit. [5] *In Tit. 1.*

[6] Ambrosius antiquitus nihil sine consilio presbyterorum in ecclesia gestum fuisse significat. Augustinus cuiusuis sententiæ concilii authoritatem antepo- nit. *Quanto facilius*, [7] inquit, *& fortius, quod per vniuersæ ecclesiæ statuta firmatum est, vel vnius episcopi authori-* [6] *In 8. Tim. 5* [7] *De baptis. contr. Donatist. lib. 2. c. 1.*

tati, vel vnius prouinciæ concilio præferendum est? non potuit sanè proloqui planiùs. Idem & Apostolos inter se, & postea episcopos æquales fuisse significat. *quid est,* [g] inquit ille, *pro patrib. tuis nati sunt tibi filii? patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, cõstituti sunt episcopi.* eosq; ille dicit principes fuisse constitutos. at inter patres ius æquum naturâ constitutum est: nec vlla est inter fratres prærogatiua: nec solent principes aliis parêre tanquam subditi.

[g] *In Psal. 44*

Hoc denique ostendunt omnia illa testimonia, quę vel Apostolos inter se æquales fuisse, vel Petro, aut episcopis Rom. summam supra omnem ecclesiam potestatem delatam nõ fuisse memorant. hæc autem infinita sunt, neq; huius loci angustiis comprehẽdi possunt. qui autem illa videndi studio tenetur, ipsa loca propria vbi hæc fuse tractantur, consulat.

Postremò, & legi naturæ, & rationi maximè cõsentaneum est, vt quæ ad omnes pertinent, cõmuni consilio statuantur. nam ea omnes facilè probant, quæ ex communi ecclesię consensu authoritatem habent: cõtraq; valde displicent, quæ pro vnius arbitratu & libidine cunctis imponuntur. Præterea, ratio suadet, & Christi summus erga ecclesiã amor summaq; sapiẽtia docet, cũ singulis ecclesiis prospexisse, & eis tribuisse, quæ ad fidei conseruationẽ, & morum disciplinã constituendã necessaria sunt. At si omnia penes vnũ posita essent, & ex seiunctissimis prouinciis ad põtif. Rom. aut vnum aliquẽ episcopum recurrendũ esset; labefactarentur interea ecclesiæ prouinciales, periclitaretur fides, morum ingrueret labes, eoq; qui vniuersalis esset, ruẽte, vt inquit Gregorius, tota periclitaretur ecclesia. Ante legẽ denique Mosis, non vnus aliquis omnia, sed singuli partes ecclesiæ singulas procurarunt. Primogeniti familiarũ, hoc est, patresfamiliâs domesticis suis & in reb. sacris & politicis præfecti sunt. Abraham & sacerdos erat, & instar regis familiæ suæ præfuit. Similiter Isaacus & Iacobus. sed & ante ipsos, & post eorum excessum, seniores singuli prępositi sunt singulis familiis. In Ægypto quot erant patriarchæ, tot erant sacerdotes æquo iure præditi. De Iob dubium non est, quin

ipse

ipse sacerdos fuerit: obtulit .n. sacrificia pro filiis suis. Melchizedech & rex erat & sacerdos altissimi. Adami etiam liberi Cain & Abel sacerdotes fuisse videntur. at inter istos nullum nos eminuisse videmus, qui supra omnes alios sacerdotes, imò supra omnem ecclesiam potestatem habuerit. Cùm ergo & Christus ecclesiam suam plurib. regendam commiserit, & Spiritus sanctus episcopos constituerit, qui ecclesiam Dei pascerent & regerent, omnesq; apostoli parem habuerint potestatem; & pii episcopi per multa secula communi cōsilio ecclesiam administrarint; cumq; hanc regiminis formam & Deus lege sanxerit, & populus Dei probarit; & longa temporum præscriptio cōfirmarit, & ratio suaserit, & patrum ecclesiæ authoritas stabilierit & commendarit: nemini dubium esse potest, quin & summa catholicæ ecclesiæ regendæ potestas ad plures pertineat, & gubernationis ecclesiasticæ forma non multum ab Aristocratico statu discrepet.

Argumenta Bellarmini, lib. 1. de pontif. Rom. c. 8. quibus ostendere conatur ecclesiasticum regimen non esse penes plures episcopos, aut alios, refelluntur, CAP. VI.

ADuersus superiorem conclusionem multa colligit, sed malè ea connectit Bellarminus. Primò dicit *summam potestatem nusquam legi collatam concilio sacerdotum.* Sed si rectè argumentari voluisset; dicere debuisset summam potestatem generali concilio nusquam datam legi. Generale enim concilium non tantùm ex episcopis & sacerdotibus, sed etiam ex regibus, principibus, & reliquis ciuibus, qui se Christianos dicunt, aut saltem ex eorum legatis, & procuratoribus conflatum est. huius autem consessus summā semper fuisse potestatē & nos iam ostendimus, & manifestum est. nam Christus in controuersiis Christianorum quę aliter definiri nequeunt, vltimo loco Ecclesiam adeundam [1] docet. nulli autem cœtui potiùs Ecclesię nomen tribuendum est, quàm illi, qui totius Ecclesiæ nomine congregatus est.

[1] *Matth.* 18.

Præterea, in populo Dei Synedriū Hierosolymitanū summam habuit in ecclesia regenda potestatem, vt

[a] *Deut.* 17. & [a] lex Dei præscribit, & Talmudistę, & gentis Iudęorum scriptores testantur, & nos vberiùs antè diximus.

Christus etiam non vni, sed omnib. Apostolis potestatem summā reliquit, Matth. 18. & 28. & Ioan. 20.

Neque obstat quod *singuli Apostoli docere, baptizare, soluere, ligare, ordinare, & reliqua quæ ad ecclesiæ administrationem pertinent, peragere possent.* nam si possent singuli, multò magis ea præscribere vniuersi potuerunt. sed si controuersia aliqua inter eos incidisset, non potuit ea à singulis definiri, sed concilium ecclesiæ congregandum erat. atq; ita factum [3] videmus, vbi de lege Mosis, & cæremoniis Mosaicis, aut abrogandis aut obseruandis quæstio definienda erat.

[3] *Act.* 15.

Postremò, semper ecclesia Christiana hoc credidit; fidei & morum controuersias, quæ ad vniuersam ecclesiam pertinent, non nisi in concilio generali definiri potuisse. quæ non dubito Bellarm. legisse, licèt illud negitet: & probè sciuisse, nobis alias suppetere nostræ sententiæ rationes, quàm locum illum, Matth. 18. *Vbi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum:* quamuis hoc loco solo aliquid tribui concilio putet. sed vt hoc in loco, sic in reliquis omnibus valdè iniquum se in nostris argumentis colligendis, formandis, & proponendis præbuit.

Obiicit *secundò, non esse penes episcopos, aut concilium generale summam potestatē, quia ecclesia tunc sæpe careret rectoribus, & ita fluctuaret, & miserrima esset, dum nullus commune bonum procuraret: concilia enim generalia rarò congregari.* Respondeo, hoc argumentum, si quid valeat, contra pontifices Rom. maximè valere. Nam si non sit summa potestas ecclesiæ penes alios, quàm eos qui semper viuunt, & rebus gerendis incumbunt: tum non habent illi summam potestatem. sæpe enim moriuntur illi, & vacat pontificatus nunc menses, nūc annos, nunc ferè lustra integra: summaque est sæpe incertitudo, qui sint veri pontifices, multis inter se de mitra contendentibus.

Dico *secūdò*, nō necessariò requiri, vt illi, penes quos summa est potestas, semper actu congregentur. nam nec [1] Areopagitæ apud Athenienses semper in concilio

[1] *Libanius & Vlpianus in comment. in Demosth.*

lio erant: nec centuriata comitia, in quibus summa erat reipublicæ Romanę potestas, nisi rarò vocabantur. Satis est ergo & Apostolos scriptis nobis doctrinam Christi tradidisse, & concilia antiqua controuersias de fide statuisse, & posse nunc concilia, quoties Deo visum est principum mentes Spiritu suo permouere, congregari. Neque vt non congregentur, propterea deerunt ecclesiæ magistratus. Habemus enim episcopos, & alios pios Doctores & Pastores, & principes Christianos, quorum mandatis in rebus dubiis singulæ prouinciæ parêre tenentur, donec per generale, liberum, & legitimum concilium aliud statuatur.

Neq; cōtra nos facit vel [1] Hieronymus, vel [2] Chrysostomus. nolumus enim episcopos se in negotiis extra prouinciam temerè ingerere. sed si *non debuit Alexandrinus episcopus se in Palæstina intromittere*, vt Hieronymus; *nec in Thracia*, vt Chrysostomus asserit: qua impudentia pontifex Romanus falcem suam in totius orbis messem immittit? num aliter respub. Christiana nullum habebit, qui eius curam gerat, nisi ipse nimis se in alienis rebus curiosum ostendat? num aliud illum superest vnitatis vinculum? ita sanè Bellarminus, sed perabsurdè. nos enim experti sumus, quàm bellè pontifex gregem curet: & totus mundus videt, ipsius molitionibus orbem Christianum in partes abiisse, & bellorum incendiis propè conflagrasse.

[1] *In epist. ad Pammach.*
[2] *In epist. ad Innocent.* I.

Obiicit tertiò, *si summa esset in concilio generali potestas, tanto maiorem futuram, quanto amplior esset episcoporum numerus: quod tamen secus factum est. nam concilium Ariminense 600 episcoporum reprobatum fuisse, licèt concilia vbi numerus multo minor erat, authoritatem meruerunt. huius ergo rei causam pontificis Rom. approbationi acceptam ferendam esse, quod ille concilium Ariminense reprobarit, & alia concilia probarit.* Respondeo, hanc rationem a deliratione non multum discrepare. nam vt concilia generalia authoritatem habeant, non requiritur vel vt omnes vbique episcopi intersint, vel vt episcopi Rom. accedat consensus, aut approbatio: sed vt omnes legitimè vocentur, & rectè secundùm nor-

mam fidei, hoc est, secundùm canonicas scripturas res definiant. quod quia non est factum in Ariminensi, & Ephesina Synodo ληστρικῇ; idcirco decreta earum synodorum non sunt recepta: neq; vt pontifex Rom. ea recepisset, valuissent. Imò & contra pontificem Rom. & eius sententiam synodi orthodoxæ sæpe definiuerunt: vt in Africa, & Chalcedone, & Constantinopoli, & in Anglia & aliis prouinciis sæpe factum legimus. A synodo Pisana [1] exauthoratus est Gregorius duodecimus. Ioannem vicesimum tertium fugientem, synodus Cōstantiensis obtorto collo retraxit, & de solio pontificali deturbauit. Sed hæc aliàs fusiùs. Similiter in optimatū administratione, siue plures, siue pauci consultationib. & decretis intersint, non multū interest. non enim ex numero eorum qui reip. præsunt, sed ex potestate & legitimo modo procedendi pendet decretorum, & actorum authoritas.

[1] *Theod. Niem. de schis. lib. 3. in fine.*

Obiicit postremò, *periculosam esse episcoporum, siue optimatum in ecclesia gubernationem. episcopos enim & presbyteros sæpe hæreticos euasisse, & remp. Christianā valde turbasse.* Quod quidem etsi nullam aliam afferret demonstrationem, nos de papisticæ sectæ pseudoepiscopis, & pseudopresbyteris facilè concedimus. nam & hæreseōn sunt summi architecti, & vt vidimus, iam per multos annos toti orbi Christiano suis factionibus, & molitionibus molesti fuerunt. Sed nos de episcopis veris, legitimis, & piis agimus. istis enim, & non aliis ecclesiam à Christo regendam commissam dicimus. isti autem dum rectè pascunt gregem, & disciplinam morum conseruant, ab hæresi & factione sunt alienissimi. & si ex eis aliqui cadunt, reliqui tamen rempub. Christianam, vt pios episcopos & fortes viros decet, sustinent, & suffulciunt. At dum pontifici Rom. summam potestatem defert Bellarminus, in periculū illud incurrit, quod in optimatum statu sine causa metuit. ex ipsis enim multi euaserunt hæretici, nonnulli apostatæ, plerique factiosi, vt historiæ omnes loquuntur, & nos suo loco, quantum necesse erit, docebimus. Quantum ergo ex hac tyrannide pontificis Rom. in ecclesiam redundarit mali; etsi multum dicendo valerem,

rem, explicare tamen non possem. *Ruente eo qui vniuersalis est, tota ruit ecclesia*, inquit [1] Gregorius: dirutoque fundamento, necesse est, vt ruat ædificium. dux autem nequam omnes se sequentes in maximam malam pestem abducit. At istis pontifex Rom. est vniuersalis episcopus, & firmũ fundamentum, & summus dux. ex ista ergo politeiæ forma, & non ex cõcilii generalis potestate imminet ecclesiæ exitium. nam quod Christum pro pontificib. Rom. rogasse dicunt, ne ipsi vnquam in fide errarent, merum est saturi & insanientis monachi deliramentum, & non modò insomnium.

[1] Gregor. lib. 4. epist. 32. & 38. & 6. 30.

Ecclesiæ vniuersalis regimen externum non esse Monarchicum: aduersus Bellarmin. lib. 1. de pontif. Rom. cap. 9. CAP. VII.

ETsi ex eo satis constet, ecclesiæ politeiam nõ esse Monarchicam, quia eandem Aristocraticæ esse similiorem quàm Regno demonstrauimus: tamen quoniam peculiares sunt nobis rationes, quæ nõ esse Monarchicam docent; & quoniam vberius hæc omnia persequi instituimus; idcirco huic propositioni hoc caput velut ei rei peculiare destinauimus. Dicimus ergo regimẽ ecclesię vniuersalis externũ nũc nõ esse monarchicum. huius autem rei hæc argumẽta habemus.

Primò, duæ sunt tãtum Monarchiæ species generales: Tyrannis, & Regnum. παρέκβασις βασιλείας, inquit [2] Aristoteles, τυραννίς, ἄμφω γὰρ μοναρχίαι. sed nullus legitimus ecclesiæ episcopus vel tyrannus est, vel rex. nõ tyrannus, quia in gregis vtilitatẽ à Christo institutus est: nõ rex, quia tantũ inter regẽ & episcopum interest, quantũ inter res ecclesiæ, & ciuitatis. Sed neq; Regio more præsidere debet. hoc enim Christus Apostolis & eorum successoribus interdixit. *Reges gentium*, inquit [3] Christus, *dominantur eorum*, &c. *Vos autem non sic*. quid apertiùs? sanè, nisi expectetis vt locum proferamus, vbi disertè dixit, *vos monarchæ ecclesiæ esse non debetis*, nihil vlteriùs desiderare potestis. Petrus etiam, qui optimè Christi sententiam intellexit, prohibet pastoribus omnem dominatum. *Neque*, [4] inquit, *dominantes in cleris*. quomodo autem possunt aliqui esse monarchę vniuersalis ecclesię, & tamẽ nõ dominari

[2] Ethic. 8. c. 10.

[3] Luc. 22.

[4] 1 Pet. 5.

[1] In 1. Tim. 3 [2] Lib. 2. con. Crescon. c. 11. [3] Chrys in dial. lib. 3.

in cleris?[1] Hieronymus *non crescere fastigio, sed humilitate decrescere episcopum debere docet.* *Neque*, inquit[2] August. *episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus verbum & sacramenta ministramus.* *Quicunque*, [3] inquit Chrysostomus, *desiderauerit primatū in terra, inueniet confusionem in cælo, & inter seruos Christi non computabitur, qui de primatu tractauerit.* Quid ergo de illis censendum qui affectant primatum, qui honores ambiunt, & crescere cupiunt fastigio dignitatis? profectò non sunt illi verè episcopi, sed tyranni sub episcoporum nomine in ecclesiam subingressi.

Secundò, præter Christum nullus dici potest vel princeps pastorum, vel caput vniuersalis ecclesiæ, vel sponsus eiusdem. idque *primò*, quia Scripturæ & patres saniores hæc Christo tantùm tribuerunt. *Deinde*, quia istæ appellationes sine blasphemia pontifici Rom. tribui non possunt. Petrus ita Christum appellāt *pastorum principem*, vt hoc nomē soli Christo proprium esse doceat. *Cum princeps*, [4] inquit, *pastorum apparuerit*: quasi diceret, nullum in mundo esse pastorum principem præter ipsum Christum. Ideo patres Carthaginenses [5] decreuerunt, ne *primæ sedis episcopus appellaretur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi.* & primi patres & episcopi Rom. ab huiusmodi appellatione abstinuerunt.

[4] 1. Pet. 5.

[5] Concil. Carth. 3. c. 26.

[6] Col. 1.

[7] Turrecrem. in summa lib. 5. c. 44.

Paulus Christum [6] appellat *caput corporis ecclesiæ.* vnius autem corporis vnum caput esse necesse est. at si pontifex Romanus caput sit, tum tot sunt capita quot pontifices. Præterea Christus [7] dicitur caput: primò, *propter excellentiam*: Deinde, *propter plenitudinem gratiæ*: Tertiò, quia *ab eo fluit sensus & motus fidei in omnia membra.* at pontifex Rom. nec cæteris omnibus hominibus sublimior est, aut excellentior, cùm ignorantia, & multis infirmitatibus, vt alii homines, laboret: nec tam amplam habet gratiæ mensuram, quin alii ipsi longè præstent: nec ab ipso manat vita, aut sensus; sed mors, & stupor, & thesaurus malorum.

Neq; sanè sponsus dici potest ecclesiæ pōtifex Romanus sine insigni & Christi & ecclesiæ iniuria. Christo fit iniuria, quòd castam ipsius sponsam ipse adulte-

ulterare conatur. Ecclesiæ fit iniuria, quia eius violaretur pudor, si tot haberet nō sponsos, sed mœchos & adulteros quot pontifices Rom. præterea [1] Apostolus vni viro se ecclesiam despondisse dicit: & vni viro eam ipse velut virginem castam exhibuit. ipsa etiam dicitur [2] *columba vna*, quia nullum alium coniugali amore prosequitur. At multò minus est principē dici pastorum, & caput & sponsum ecclesiæ, quam ecclesiæ vniuersalis monarcham. nullus ergo nunc in terris est ecclesiæ monarcha. Respondere quidem solent Papistæ, etiam suum pontificem suo modo dici principem pastorum, & caput & sponsum ecclesiæ. & sanè cōsentaneum est ei hæc tribuere, qui vniuersalis ecclesiæ se monarcham esse iactat. sed nos non quid ipsi impudēter dicant, sed quid dicendum sit, quærimus. nos negamus has appellationes cuiquam homini mortali competere: & propterea rectè dicimus nullum hominem totius esse ecclesiæ monarcham.

[1] 2. Cor. 11.
[2] Can. 6.

Tertiò, Christus nullum constituit ecclesiæ generalem monarcham: sed, vt est apud [3] Apostolum, *alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores*: eosq; *ad consummationem sanctorum, & ædificationem corporis sui* sufficere putauit.

[3] Ephes. 4.

Apostolus etiam alibi diligenter enumerat vniuersos ecclesiæ Dei magistratus, & ministros. *Quosdam,* [4] inquit, *posuit Deus in ecclesia: primò Apostolos, secundo Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.* at generalem ecclesiæ monarcham neq; Deus dedit, neq; talem aliquē Apostolus, vbi ecclesiasticam describit politeiam, commemorat. talis ergo monarcha nec ex Diuina institutione, nec ex Apostolica doctrina authoritatem habet.

[4] 1. Cor. 12.

Respondet [5] Bellarminus, *Primò summum pontificatum diserte poni in illis verbis, Et ipse dedit quosdam Apostolos; summam enim potestatem datam non solùm Petro, sed aliis etiam* [6] *Apostolis.* Sed huius responsionis pars prior falsa est. nam inter Apostolos & pontifices ipsi aduersarii multum interesse fatentur. & sanè nisi intersit multum, tunc tot erunt summi pontifices, quot

[5] Lib. 1. de pontif. c. 9.
[6] Ephes. 4.

Apostoli; & cōtrà. Secunda pars, ipsius funditus euertit causam. nam si summa potestas data sit non Petro soli, sed etiam reliquis Apostolis; tum ecclesiæ administratio non erit monarchica. ibi enim monarchia est, vbi summa potestas penes vnum est. *At*, inquit ille, *Petro data est summa potestas, tanquam ordinario pastori, cui perpetuò succederetur: alius verò tãquam delegatus, quibus non succederetur.* Sed & hoc merum est hominis delirantis somnium, & ordinarium commētum. omnes enim historiæ non minùs Iacobo, & Paulo, & aliis Apostolis, quàm Petro successum esse docent.

Præterea, ad hanc causam nihil interest, vtrùm Petro soli successum fuerit, an secus. nam hîc non agitur de successione, sed de forma ecclesiasticæ politeiæ. & Bellar. vi veritatis victus, fatetur penes omnes Apostolos summam fuisse potestatem. quid ergo superest, quàm vt apertè fateatur, solum Petrum non fuisse ecclesiæ summum monarcham?

Respondet ergo *secundò, Apostolum Ephes. 4. non delineasse ecclesiæ Hierarchiam, seu sacra ministeria, sed tantùm varia dona, quæ sunt in ecclesia.* quasi verò Apostoli, pastores, & doctores, non sint ex sacris ministeriis; & non pertineant illa clarissima lumina ad Apostolicæ ecclesiæ hierarchiam: & quasi Apostolus sacra ministeria non censeat esse Dei dona ecclesiæ data. nihil sanè afferri potuit istis argutationibus insulsius, aut quod magis causam aduersariorum euertat.

Quartò, vnitas ecclesiæ seruatur absq; aliquo summo in externa ecclesiæ gubernatione monarcha. *Soliciti*, inquit [1] Apostol⁹, *seruare vnitatē spiritus in vinculo pacis. vnū corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* nusquam autē dicit, Vnum monarcham. quid ergo illo opus est? Respondet Bellar. *Apostolum intelligere Papam in illis verbis, Vnum corpus.* sed nimis hoc absurdè. Nam Apostolus aut corpus intelligit mysticū, quod caput habet Christum; aut corpus accipit absolutè, absq; relatione ad caput. Vtrouis modo accipiamus, nihil hæc verba ad Papam pertinent, qui non est hu-

[1] Ephes. 4.

est huius corporis mystici caput (ipsi enim mystici corporis caput visibile ponere non solent) sed corpus stolidum, & inutile pondus terræ.

Quintò, nullus erat Apostolorum temporibus visibilis & summus ecclesiæ monarcha. Non *Petrus*, non *Paulus*, nec *Ioannes*, nec aliquis vnus ex Apostolis. isti enim omnes paria habuerunt [2] mandata, & pariter claues, hoc est, potestatem ecclesiasticæ administrationis acceperunt. [2] *Matth.* 28. & *Ioan.* 20.

Præterea, nullus ex istis reliquis leges dedit, aut eos ad munus Apostolicum vocauit. Apostolus *Paulus* disertè [3] dicit eos, qui summi erant Apostoli, *nihil sibi cõtulisse.* nullus habuit suprà collegas iudicandi potestatem. Cyprianus [4] significat eos summè fuisse pares. at illud ad regum & monarcharum summã pertinet potestatem, subditis suis leges & mandata dare. [3] *Gal.* 2. [4] *De simpl. prælat.*

Respondet Bellar. *Petrum fuisse ecclesiæ monarcham:* & ita alii eius sectæ respondent sodales. Sed ostendere debent, quomodo ille, qui paria cum cæteris habuit mandata, & cæteris nihil contulit, & nullas leges illis dedit, & nihil fecit quod ad monarchã pertinet, monarcha esse potuerit. Ista sanè simul cohærere nõ possunt. imò hinc nobis firmum aduersùs Bellarminum sumitur argumentum: quia *Petrus* non erat ecclesiæ monarcha, quod nos multis argumentis postea docebimus, idcirco ecclesiæ regimen non esse monarchicum.

Sextò, post Apostolorum occasum, nullus toti terrarum orbis ecclesiæ præfectus est monarcha: sed hic curauit Hierosolymitanam, ille Alexandrinam, alius Antiochenam, alius Romanam, alius Ephesinam ecclesiam; & singuli singulas procurarunt, nullus vniuersas per totum orbem ecclesias. Imò nec singularum ecclesiarum episcopi cuncta pro arbitrio suo agebant, sed ex ecclesiæ & reliquorum presbyterorum sententia. *Et synagoga*, inquit [5] Ambrosius, *& postea ecclesia seniores habuit, sine quorum consilio nihil agebatur.* Hieronymus etiam [6] ostendit, *episcopum & presbyteros communi consilio ecclesiam olim gubernasse.* cuius etiam nũc clara supersunt vestigia. nihil enim quod ad sum- [5] *In* 1. *Tim.* 3. [6] *In Tit.* 1.

mam ecclesiæ administrationem spectat, agit episcopus, sine capituli, siue concilii sui sententia. Cyprianus hoc diligenter [1] seruauit, *vt nihil ageret sine cleri & populi consensu.* Nullus episcopus suæ ecclesiæ aut leges dare potuit, aut magistratus; nec secundùm animi sui sententiam, sed secundùm leges ecclesiæ iudicare tenebatur. Si ergo hoc in particularibus ecclesiis seruatum est; quanto magis in vniuersali, ne vnius hominis sententia ecclesia administraretur? Hoc etiam ex eo probatur, quia nullæ leges, aut iudicia vnius hominis vniuersaliter olim seruabantur. Præterea, non potuit olim aliquis episcopus per totum orbem episcopos & presbyteros ordinare. hinc autem necessariò sequitur, nullum olim fuisse totius ecclesiæ monarcham. Hoc enim pertinet ad monarcham, eumq; solum; *leges dare, res absq; appellatione definire*, summosq; magistratus reip. eligere.

[1] Epist. 10. lib. 3.

Respondet Bellarmin. *episcopum Rom. fuisse ecclesiæ olim monarcham.* sed facilè conuellitur eius responsio. nam omnes vbique antiquæ ecclesiæ historiæ ostendunt, eum non magis alias ecclesias curasse, quàm alii episcopi curarint Romanam. Vbi ille antiquitus leges dederit vniuersæ ecclesiæ, aut eius sententiæ ab omnibus receptę fuerint, aut omnibus ecclesiis episcopos dederit, nusquam apud bonos & indubitatæ fidei authores legimus. sed hæc nos postea vberiùs.

Septimò, nullum vel sub lege Naturæ, vel sub lege Mosis habuit ecclesia Dei vniuersalem monarcham. Sub lege naturæ nullum ipsi proferre possunt, qui vniuersæ simul ecclesiæ leges dederit. at hoc Spiritus sanctus, si quid eius rei fuisset, non videtur taciturus. Sub lege Mosis non penes summum sacerdotem, sed penes summũ concilium Hierosolymitanum nos summum imperium fuisse ostẽdimus. quod & inde constat, quia Iebusitæ nullas summi sacerdotis vel leges, vel regia mandata, vel electiones ecclesiæ ministrorum proferre hactenus potuerunt. Nec obstat quod ex Dei [2] lege ista proferantur: *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille.* nam hoc aduersariis fundamentum iam antea subduximus.

[2] Deut. 17.

Octauò,

Octauò, si vnus omnibus imperet; reliquis episcopis & ecclesiis insignis fieret iniuria. cur enim ille magis reliquis imperet, quàm illi huic, aut aliis? qua hoc lege, quo iure introductum est? si nec legem nec ius proferre potest; at saltem legitimam rationem dicere tenetur Bellarm. at nullam ille profert. tantùm inculcat illud dictum Christi ad Petrum, *Pasce oues meas.* sed hoc omnium pastorum esse cõmune præceptum ostendemus. ad pontificem sanè Rom. qui iampridem oues pascere desiit, pertinere non potest.

Idcirco infinitæ huic põtificis Rom. ambitioni, qui falcem suam in alienam sæpe messem immisit, multi omnibus temporibus reclamarunt. Victor, quòd Asiaticas ecclesias à communione sua repulisset, ab Irenæo, & ecclesiis Gallicis reprehensus est. Stephano *Cyprianus*, Iulio primo orientales episcopi restiterunt; in causa quidem non bona; sed hoc magis sentẽtiam nostram confirmat. nam si causam bonam obtinere non potuit pontifex Rom. certè vniuersalẽ nullo iure in omnibus & super omnes sibi arrogat potestatem. Zozimo & aliis episcopis Rom. appellationes ab episcopis Africanis ad se attrahere molientibus, fortiter repugnarunt patres Africani, & inter eos Augustinus. Ecclesia Constantinopolitana nullo vnquam tempore episcopis Rom. aliquam supra se potestatem dedit. Ecclesia Mediolanensis, & Rauennatium serò pontificis Rom. imperio se submisit. Pontificum Rom. iniurias omnes vbiq; ecclesiæ conquestæ sunt, limitesq; ecclesiarum variæ synodi definiuerunt, sed frustra: nullis enim se legibus, aut finibus pontificum Rom. ambitio teneri passa est. Quanta autem iniuria sit alienos fines inuadere, inde intelligere licet, quod & contra canones hoc fieret, & quod à patribus sæpè reprehensum esset. *Responde mihi*, inquit [1] Hieronymus, *ad Alexandrinum episcopum Palæstina quid pertinet?* Extraneorum etiam iudicia Chrysostomus declinauit. *Neq; enim æquum est*, inquit [2] Chrysostomus, *vt qui in Ægypto sunt, iudicẽt eos, qui in Thracia degunt.* propterea & Germani & Angli meritò Italorum auersamur iudicia & imperia. ibi enim causæ rectissimè termi-

[1] *In epist. ad Pammach. aduers. Io. Hierosol.*
[2] *In epist. ad Innocent. 1.*

nantur, vbi oriuntur, & vbi testium & probationum copia haberi commodissimè potest. Cùm ergo nō sine summa iniuria vnus reliquis omnibus episcopis & ecclesiis dominari possit; non est existimādum Christum regimē instituisse monarchicum. is enim omnia summa iustitia, & æquitate constituit, & est omnis iustitiæ norma, & lex summa.

Nonò, neq; omnes leges & cæremoniæ omnib. cōueniunt hominibus, neq; fieri potest, vt vnus homo omnes vbiq; ecclesias regat, & cōtrouersias totius orbis definiat, & singulis ecclesiis episcopos idoneos præficiat. Idcirco negotiū Euangelii propagādi Christus duodecim Apostolis dedit: ipsiq; inter se, vt ecclesiastica testatur historia, orbem partiti sunt, & post se in singulis locis episcopos & presbyteros cōstituerūt. nullus sane eorum totum orbem regēdum amplexus

[1] *Ephes.* 4. est. *Vnicuiq;*, inquit [1] Apostolus, *data est gratia secūdùm mēsuram donationis Christi.* sic etiam partes gregis singulis distribuūtur, prout ipsi ad onus illud maximum ferendum sufficiunt. *Episcopatus*, inquit Cyprianus, *vnus est, cuius à singulis pars in solidum tenetur.* nulli ergo totius orbis episcopatus committitur.

[2] 2. *Cor.* 11. Respondet [2] Bellar. *Apostolum solicitudinem habuisse omnium ecclesiarum.* Sed aliud est, solicitudinem habere; aliud, summū imperium. Præterea, multum intererat inter Apostolos, quorum mandatum erat generale; & inter singularum ecclesiarum episcopos.

Pręterea dicit, *nō minùs posse nūc vnū hominē vniuersam ecclesiā regere, quàm olim vnus amplissima gubernabat regna.* Sed malè hæc inter se comparātur. nam amplissima illa regna non occupant orbis dimidiam partem. at pontifex Roman. vniuersi orbis imperium sibi concedi postulat. Præterea, non potest ostendere Bellarminus illa amplissima imperia rectè fuisse admini-

[3] *Lib.* 1. *dec.* 1. strata. [3] Liuius Romanum imperium *mole sua laborasse*

[4] *De offic.* 1. dicit. [4] Cicero sociis maximas iniurias fieri solitas

[5] *Lib.* 4. *de ciu. Dei. c.* 15. queritur. Augustinus etiam [5] dicit, *Feliciores fore res humanas, si omnia regna essent parua.*

Dicit postremò *easdem esse difficultates in regimine ecclesiæ Aristocratico: totius. n. mundi episcopos congregari nō posse.*

posse. Sed illud longè secus se habet. faciliùs. n. multi quæ omnib. cõueniunt, dispicere possunt, quàm vnus. Ratio autem inepta est. nam vt non omnes episcopi conueniant; satis tamen est, ex omnib. locis aliquos conuenire, qui de rebus singulis rectè cõstituendis rationem ineant. Multum deniq; inter pontificẽ & concilium interest. hoc enim, vbi magnæ lites interueniunt, & totus Christianus orbis turbatur, succurrit. põtifex verò Roman. in hominum priuatorum litibus se interponit, & totius orbis causas ad suum tribunal vocat. *Vrspergensis* omnes episcoporum & aliorum ecclesiæ *Germanicæ* præpositorum causas per pontificum Rom. calumnias factas esse litigiosas, & Romam tempore *Innocentii tertii* attrahi solitas, & inde maximum ad eum quæstum peruenisse significat. Præterea, cõcilium indixere apostoli generale. nec Bellarminũ credo negaturum, quin synodi generales Niceę, Cõstantinopoli, Ephesi, & Chalcedone, & aliis in locis cõgregatæ, authoritatẽ summam mereantur. at summa hæc totius ecclesiæ monarchia, nec Apostolorum exẽplo, nec vllo primæ Christi ecclesiæ testimonio probatur.

Postremò, quæcunq; aduersùs Petri, & pontificum Rom. monarchiam infrà disputantur; ea omnia regimen ecclesiæ non esse monarchicum docent: adeoq; firmum in eis argumentum fundatur, vt nisi Petrus & põtifices Rom. fuerint ecclesiæ monarchæ, nec aduersarios ipsos repugnaturos, quin aliud sit ecclesiæ regimen, quàm monarchicum, confidamus. Hoc autẽ clarè constat. nam nec Petrus solus leges dedit catholicæ ecclesiæ, nec ipse solus constituit episcopos, nec solus de controuersiis religionis supremo loco iudicauit. Imò Apostoli, qui maximi erant ecclesiæ magistratus, à Christo electi sunt. *Paulus* se nec ab hominib. nec per homines constitutum dicit Apostolũ. De episcopis ẽt Rom. certi sumus, eos olim nec leges dedisse vniuersæ ecclesiæ, nec episcopos vbiq; constituisse. nec de negotiis omnib. aliarum ecclesiarum iudiciũ suum interposuisse. at omnia hæc ad summos ecclesiæ moderatores & monarchas spectant. Multis præterea argumẽtis, & veterũ testimoniis, & Petri & pontificũ Rom. prętẽsa monarchia suo loco refelletur. quomodo ergo

erit regimen ecclesiæ vniuersalis monarchicum, si illi non fuerint Monarchæ?

Diluuntur Bellarm. aduersus superioris capitis propositionem sophismata lib. 1. de pontif. Rom. cap. 9.

Cap. VIII.

SI *delinquendum sit*, inquit Euripides, *tyrannidis gratiá delinquendum est.* εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος περὶ κάλλιστον ἀδικεῖν. Hoc nos docuit in proposita quæstione Bellarm. qui, vt cæteris in locis, omni absterso pudore, veterum scripta torquet, mentitur, & minutias omnes consectatur; ita in hac tyrannidis pontificiæ causa, maximè. Dicit primò, *se probasse regimen ecclesiæ non esse Aristocraticum.* [1] sed quàm ille probarit, aliorum sit iudicium. viris sanè doctis eius probationes nihil aliud videntur, quàm verbosissimæ nugationes, & delirationes. Postea, quasi non satis esset semel hoc loco mentiri, dicit *se docuisse, Monarchiam esse optimum regimen.* sed omnis eius de hac re disputatio vino aqua mixto dilutior est, & viro docto indignissima. Imò hanc suam ipse sententiam [2] refellit. *Monarchiam enim Aristocratiæ, & Democratiæ mixtam, vtiliorem esse priùs dixit propter hominum naturalẽ corruptionẽ, quàm Monarchiam.* quod prorsus ostendit Monarchiam nõ esse optimam reip. formam. optimo enim nihil melius. Postremò, ex his duobus mendaciis hanc conclusionem infert; *Ecclesiæ regimen esse Monarchicum.* Sed nec in præmissis veritas; nec in consequentia conclusionis vlla est firmitas. nam etsi regimen ecclesiæ non sit Aristocraticum, aut Democraticum; non tamen sequitur illud debere esse Monarchicum. aliter enim ecclesia, aliter resp. administratur; & præter istas formas, sunt mixtæ quædam rerump. species.

[1] *Ad primã obiect. Bellarm.*

[2] *Lib. 1. de pontif. Rom. cap. 3.*

Præterea, vt Monarchicum regimen esset optimum in rep. non tamen in ecclesia seruatur, quod reipub. vtilissimum esse iudicatur. In rep. enim quod vtile est, spectatur: in ecclesia autem, mandatum & lex Dei.

Postremò, vt ecclesiæ regimen esset Monarchicum; non tamen sequitur vnum aliquem hominem ei præesse

esse debere. hoc enim Christi solius est proprium, vt sit rex, & summus, vt ita dicam, ecclesiæ Monarcha. Respondet Bellar. *ipsum etiam esse* [1] *pastorem & episcopum animarum nostrarum; &* [2] *magistrum vnicum, quem audire iubet pater cœlestis; & ipsum denique* [3] *baptizare Spiritu sancto: non tamen superuacaneos esse alios episcopos, pastores, doctores, & ministros. eodem etiam modo licèt Christus sit proprius ecclesiæ rex, ecclesiam tamen visibilem opus habere rege visibili, qui lites componat, & inferiores præfectos in officio contineat.* Sed malè Bellarm. ista comparat, & coniungit. nam vbi Deus episcopos, pastores, doctores, & ministros instituerit, legimus: vbi verò regem vicarium, seu visibile caput reliquerit, quod vice sua corpori vniuerso præesset, nusquam legimus. Præterea, episcopi, pastores, doctores, & ministri isti particularibus ecclesiis deseruiunt: at Bellar. vnũ vult visibilem monarcham constitutum fuisse, qui vniuersæ ecclesiæ præesset.

[1] 1. Petr. 2
[2] Matth. 17.
[3] Ioan. 1.

Obiicit [1] secũdò, *sicut inter angelos vnus præest, sic inter homines vnum præesse debere: eandem enim esse ecclesiæ immortalium angelorum, & mortalium hominum rationem.* Sed varia sunt huius sophistæ in hoc argumento peccata. nam primò certiùs cognoscitur status ecclesiæ hominum, quàm angelorum. ridiculũ est ergo notum per ignotum probare. deinde non eadem est angelorum & hominũ ratio. Illi simul creati sunt, & qui ex eis gratiam standi habuerunt, nunquam cadunt. at homines nascuntur, & moriuntur, & mutabiles sunt. Illi varios habẽt ordines, & ministeria, quæ ab humana conditione aliena sunt; similiter vnam semper legem constantissimè seruant: at hominum naturâ nihil mutabilius, aut instabilius. lõgè ergo alia ratio est rerum cœlestium, & ecclesiæ in terra militantis.

[1] Ad 2. rat.

Nec obstat quod Apostolus [2] dicit, *sacerdotes deseruire exemplari, & vmbræ cœlestium.* non enim loquitur de angelorum politeia cœlesti, vt falsò putat Bellar. sed de cœlestibus præceptis, quæ Deus de cœlo intonans dedit Mosi in monte: & de rebus quæ figura erant eorum, quæ Christus in terra peracturus erat, qui ad cœlestem, & non terrestrem nos duxit Ca-

[2] Hebr. 8.

Nam vt Apostolus ait, Mosi præceptum est, omnia faceret secundùm exemplar ei ostensum in monte.

Testes etiam quos producit, non asserunt eandem esse rationem cœlestis militiæ angelorum, & ecclesiæ. Gregorius lib. 4. Epist. 12. ne verbũ quidem facit vnum de angelis, aut eorum politeia. [1] Bernardus quidem aliqua re angelorum politeiam ecclesiæ similem fatetur: sed non dicit eandem esse.

Tertiò probari non potest quod dicit Bellar. *vnum angelum cæteris omnibus aut olim præfuisse, aut nunc præesse.* Neq; enim scripturæ hoc docent, nec patres. *Behemot* [2] dicitur *principium viarũ Domini.* sed quid hoc ad angeli alicuius supra cæteros probandam præeminẽtiam? Nam vt *Behemot* sit figura Diaboli; tamen nemo propterea dicet Diabolum omnibus angelis præesse. Præterea, vt Diabolus [3] comparetur lucifero, hoc est, stellæ candidissimæ: non tamen propterea sequitur eum reliquis angelis aliquando imperasse. Dicit quidem [4] Gregorius *luciferum reliquis angelis eminentiorem fuisse conditum.* & [5] Tertullianus eundem vocat *eminẽtissimum, & archangelum.* quò etiam spectasse videntur [6] Beda & [7] Isidorus. sed non propterea sequitur eum reliquis angelis præfuisse. multũ enim interest inter dignitatẽ, & præfecturam. non enim qui præsunt semper dignitate præstant; nec qui excellũt, propterea magistratum gerũt. Testimonia [8] Cyrilli, Hieronymi, & [9] Augustini à Bellarmino citata, aliena sunt à proposito. neq; enim propterea probatur *Luciferum* reliquis angelis præfuisse, quia isti dicunt eum Diabolum esse. Luciferum enim Scholastici non ex summo, sed ex inferiore ordine angelorum fuisse [10] dicunt, & Gregorius non [1] dicit *nouem ordines angelorum circumstitisse luciferum, vt principem*, vt falsò narrat Bellarm. sed *ipsum eis fuisse opertum, quia eos quasi vestem ad ornamentum habuit*: ipsum enim inter reliquos ornatissimum visum: quod tamen longè petitum est.

[2] *Quartò*, vt concederemus Luciferum reliquis angelis præfuisse; parum tamen hoc honorificum esset pontifici

1 *Lib. 5. de consid.*
2 *Iob. 40.*
3 *Is. 14.*
4 *Lib. moral. 32. c. 24.*
5 *Lib. 2. aduers. Marcio.*
6 *In cap. 40. Iob.*
7 *De sum. bon. lib. 1. c. 12.*
8 *In c. 40. Iob.*
9 *De ciu. Dei lib. 11. c. 15.*
10 *In 2. sent.*
1 *Libr. 32. Mor. c. 25.*
2 *Pontifex Rom. à Lucifero superbũ suum dominatũ habet.*

pontifici Rom. eum exemplum suæ prælationis à lucifero petere: & Bellar. hoc loco planè præuaricatus videtur, qui pōtificem suum lucifero & Diabolo, quē germano modo imitatur, in monarchia ecclesiastica similem facit.

Postremò, vt lucifero delatus esset super reliquos angelos principatus; maximè tamen hoc euerteret prætensam Bellarm. monarchiam. Lucifer enim casu suo dignitatem hanc amisit: vnde etiam sequitur, nūc principatum hunc & primò ipsi inutilem, & postea amissam fuisse.

Respondet Bellar. *principatū hunc postea ad Michaelem fuisse translatum*, quia [1] dictum est, *Michael & angeli eius*: & quia in ecclesiastico synagogæ Rom. officio, *princeps cœlestis militiæ*, & *præpositus Paradisi* nominatur. Sed perinde facit, quasi nobis somnium narraret suum. in verbis enim [2] Ioannis nullum est huius coniecturæ fundamentum, non enim de omnibus angelis loquitur, sed de iis, qui cum Michaele aduersùs Diabolum depugnarunt. Præterea, per Michaelē hoc loco nonnulli intelligunt filium Dei. Ecclesiasticum officium ineptè allegatur: refertum est enim innumeris ineptiis & mendaciis: & tamē puderet eius authorem hoc mendaciū addere, quod nuper confinxit Bellarminus, cum asserit angelum esse Monarcham angelorum. *Angelos enim & archangelos* [3] Bernardus *ordinatos esse dicit sub vno capite Deo*, & non sub vno capite angelo. & in eo positam dicit cœlestis & terrestris Hierusalem similitudinem: quod vniuersam hanc euertit Bellarmini rationem.

[1] *Apoc. 12.*
[2] *Apoc. 12.*
[3] *Lib. 3. de consid.*

Tertiò loco nobis opponit ecclesiæ veteris Testamenti exemplum; & ait, *non minùs nunc præesse debere omnibus ecclesiis vnum Monarcham, quàm synagogis totius mundi unum summum sacerdotem.* Ipsum *præterea in iis quæ ad legem, & religionem pertinebant, omnibus præfuisse dicit: omnes enim alios sacerdotes & Leuitas fuisse ipsi subiectos.* Sed hoc argumentum nullum aliud habet fundamentum, præter ipsius Bellarmini insignem in populi Israelitici politeia ignorantiam. Ipsius autem ignorantiam multa arguunt. ipse enim pontificem

summam habuisse in reb. sacris potestatem putat. sed & sacræ literæ, & Iudæorum historiæ aliter loquūtur. pontifex enim summus populi Iudæorum nullum habuit proprium tribunal, nec summam iudiciorū potestatem, sed in Sanedrin vnà cùm principe & senioribus populi causas maximas iudicabat. *Si iudices*, inquit [1] Iosephus, *non intelligunt de rebus sibi creditis iudicare, quando multa talia solent hominib. prouenire; integram causam in vrbē sacram remittant, & conueniens pontifex, & propheta, & seniores, quæ eis videntur iusta, pronuntient.* Huic etiā suffragantur [2] Talmudistę, eorumq; sententiā probat Sigonius. Sed quid opus est testimonio hominū, cùm ex lege Dei cōstet, & [3] *iudices in singulis vrbibus constitutos*, & ab eis ad Sanedrin Hierosolymitanum [4] appellatum esse? De pontifice summo iudicabat Salomon. nec dubiū est, quin alii principes etiam de aliis sacerdotibus iudicarint. [5] Similiter de pontifice iudicabat summus ille iudicum consessus in Gazith, quē Hebræi *Sanedrin* vocabant. Præterea, synagogæ Iudæorum postremis temporibus reip. Iudæorum originem habuerunt, eamq;, vt [6] videtur, ex non admodum bona causa. neque ab illis ad summum sacerdotem, sed ad Senedrin dabatur appellatio. ab eo enim, & non à summo sacerdote, reliquos iudices cōstitutos ex Talmudistis docet Petrus Galatinus.

[1] *De antiq. lib. 4. cap. 6.*
[2] *Petr. Galat.*
[3] *Deut. 16.*
[4] *Deut. 17.*
[5] *Pet. Galat.*
[6] *Carol. Sigon. de rep. Hebr. lib. 2. cap. 8.*

Ex duobus deniq; aliis capitibus hoc argumentum nullum & inualidum ostenditur. Primò, facilius est vnum hominem vnius gētis, quàm totius orbis ecclesiæ præesse. nō ergo sequitur, *si summus sacerdos Iudæorum ecclesiæ præfuit, vnum debere nunc toti orbi terrarum præesse.* Neq; propterea dissoluetur ecclesiæ vnitas. illa enim seruatur non dum vnus est summus Monarcha, *sed dum vnitas spiritus seruatur, & vnus Deus colitur, & vna fides firmiter retinetur*, & omnes deniq; in vna veritate secundùm apostolorum doctrinam consentiunt.

Secundò, non ita erat vetus Testamētum figura noui, vt vniuersa ecclesiæ veteris disciplina in ecclesiam transferenda sit. habuit enim vetus Testamentū templum vnum, sacrificia plurima, sacerdotum & Leuitarum

rum ordines, sacrasq; cæremonias, & leges, quę ad ecclesiam Christi nullo modo pertinent.

Neq; obstat quod [1] Paulus dicit, *hæc omnia contingebant illis in figura.* ipse enim non de cæremonialibus loquitur, sed de moralibus; & Iudæorum exemplo deterret Corinthios, ne vetitas res concupiscerent, vel idola colerent, vel fornicarentur, aut tentarent Christum. *hæc enim omnia*, inquit Paulus, *in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram.*

[1] *1. Cor. 10.*

At nos, inquit Bellarminus, *non tam vrgemus figuram Aaronis quàm totius Testamenti veteris.* At nos respondemus ineptè vrgeri figuram vel Aaronis, vel totius Testamenti veteris. Aaron enim Christi erat figura, & non Petri, nec pontificum Rom. & Testamenti veteris cæremonias antiquatas esse dicit [2] Apostolus, quare nō magis vnus nunc debet esse summus ecclesiæ monarcha, quia Aaron summus erat sacerdos, quam vnum templum, quò omnes ad sacrificandum confluant: quia olim vnum erat templum Hierosolymitanum, quò omnes olim Iudæi quotannis sæpiùs conueniebant.

[2] *Galat. 1. 5. & 6.*

Nec obstat, quod [3] Augustinus *sacrificia populi Iudæorum representasse dicit victimam, quam Christus obtulit:* aut quod [4] Cyprianus, & [5] Gregorius a cæremoniali lege ad mores sacerdotum formandos documēta hauserint. nam veterum sacrificia reuera vmbræ erant futurorum: sed ea iam desierunt, quia in Christo finem acceperūt, & cōplementum: & in lege cæremoniali quæ carnaliter præcipiuntur, in ecclesia seruantur moraliter. Vetat [6] Moses *hominem in quo vitiū fuerit aut macula, accedere ad offerendū dona Deo* hinc [7] Cyprianus concludit *homines sacrilegos & infames ad sacerdotium admitti* non debere. [8] Gregorius dicit *sacerdotis esse prædicare, & docere*, quia tintinnabula ad vestē Aaronis ingredientis in sanctuarium [9] appendebantur. At Bellarm. longè aliter disputat: ipse enim non tantùm æquitatem moralem, qua cæremoniis admixta erat, seruari postulat, & ad cæremonias alludit; sed vniuersum vetus Testamentum, & cæremo-

[3] *Libr. 20. contr. Faust. cap. 18.*
[4] *Libr. 1. epist. 7.*
[5] *In lib. de cura pastor. par. 2. c. 4.*
[6] *Leuit. 21.*
[7] *Lib. 1. epist. 7.*
[8] *De cur. pastor. part. 2. cap. 4.*
[9] *Exod. 28.*

nias iampridē abrogatas restitui vult, ideirco vt Aaron erat summus olim sacerdos; sic nūc summū esse debere sacerdotē autumat: quod nunquā Cypriano, Augustino, aut cuiquam veterum in mentem venit.

Quartò, similitudinib. quibusdā ludit. ex eo.n. *quia ecclesia cōparatur exercitui, corpori, sponsa, regno, ouili, domui, naui seu arca Noe, cōcludit vnū in externa ecclesia summum esse debere principē: quia exercit⁹ vnū habet ducē, corpus vnū caput, sponsa vnū sponsum, regnū vnum regē, ouile vnū pastorē, domus vnū patrēfamiliâs, arca Noe vnū gubernatorem olim habuit.* Sed primò cogitare debuit, nullū esse argumentorū gen⁹, quàm hoc à Similib. & Metaphoris imbecilli⁹. Allegoricū sensū [1] Thomas *negat esse argumētatiuū.* & philosophi negāt argumentū sequi à simili, nisi in quantū per omnia simile. Ecclesia est exercitus, sed mysticus: corpus, sed mysticū: spōsus, sed in mysterio: & ppea nō per omnia respōdet exercitui, corpori, & spōsę. Sed neq; ouili, regno, domui, aut Arcę Noe. Dictator .n. summ⁹ ecclesię in cœlis est: at imperator bon⁹ præsens esse debet apud exercitū. Caput in eodē loco cū reliquo corpore esse debet. at huius corporis caput in cęlis est. Ecclesia sponsum habet nunc inuisibilē: at spōsa & sponsus sunt visibiles. In regno reges sibi inuicē succedūt: at Christus semp manet rex ecclesię, & ad dextrā patris sedēs perpetuò regnat. Ecclesia vbiq; p orbē terrarū diffusa est: at hoc nunquā cōtigit alicui ouili. Domus Dei vnū Deum habet ꝓ patrefamiliâs, & ꝓpterea ipse semp præsens est in ecclesia: at aliter se habet in familia. Nauis Noe iā dissoluta est: at manet semper ecclesia. Nauis sæpè sine rectore in portu iacet: at Christ⁹ semper adest ecclesię suę. Pręterea, exercitus nō semper vnū habet ducē, nec corpus politicū vnum hominē ꝓ capite, nec regnū vnum regē, nec ouile vnū pastorē, nec nauis vnū gubernatorē. Athenienses.n. plures sæpe duces sui exercitus cōstituerunt. Sed & exercitus ille Gręcorū, qui cōtra Persas depugnauit ad Salaminē & Platæas, plures habuit duces. [2] Similiter exercitus Rom. quo tēpore summę reip. præfuerunt tribuni militares. Resp. Veneta à plurib. regitur licèt vnū sit corpus. Apud Rom. simul imperarunt M. Antoninus Verus, & L. An-

nius

[1] 1. p. q. 1.

[2] Liu. lib. 4. & 5. Dec. 1.

nius Antoninus: Diocletianus ét & Maximianus: Constantinus Magnus & Licinius: eiusq; postea filii ... rarunt ét simul Valentinianus & Theodosius, Ar... deniq; & Honorius, multiq; alii. In nauib. etiam ... gois plures gubernaculum tractāt: & plures sunt vnius ouilis magni pastores. quid quod in sponsa, & domo, & arca Noe magnæ sunt ab ecclesia dissimilitudines?

Secundò, non aduertit Bellar. si hæc per omnia similia sunt; tū prius excludi pōtifices R. à regimine ecclesiæ. Nam si exercitus vnū tātùm habere debet ducē: & corpus vnū caput; & sponsa vnū sponsum; & regnū vnum regē, & ouile vnum pastorē, & domus vnum patremfamiliâs; & nauis vnum gubernatorem: tum nō est alius dux, caput, sponsus, rex, pastor, paterfamiliâs, rector summus ecclesiæ, præter Christum.

Tertiò, non est pontifex Rom. dux vniuersæ ecclesiæ catholicæ. est.n. potiùs hostis, & aduersarius Christi & ecclesię. Nō est caput ecclesiæ, tū qa solus Christus caput est catholicę ecclesię, tū ét, quia corpus capite sublato nō viuit. at ecclesia viuit pontifice R. in maximam malam crucē sublato. Neq; iuuat Bellarm. *quod ecclesia sponsæ* [1] *cōparatur, & sponsa dicitur caput habere extra sponsum* nullum.n. firmum argumētum ab allegoriis ducitur: nec habet ecclesia vniuersalis aliū sponsum, pręter Christū. Per montē verò Carmelum Cant. 7. quis vnquā, extra vnum hunc audacissimū monachum, pōtificem R. intellexit? est quidē pōtifex Rom. terra, seu potiùs inutile pōdus terrę: omnesq; pii optant eum vltra montem Carmelum, vnà cum hircis suis Iebusitis, deportatum: sed nec mōs est Carmelus, nec altus vt mōs, quem Deus nunc terræ afflixit, velut polypum, & quotidie magis magisq; affliget. — [1] *Cant. 7.*

Non est pontifex Rom *pastor ille vnus*, de quo Io. 10. sed potiùs fur, & latro, & mercenarius, de quo ibidem. nec Cypriano vnquam in mentē venit, vt hæc verba de pontifice Rom. exponeret: sed idcirco in *singulis locis* [4] *dicit vnum debere esse pastorē, & vnum ouile; quia Christus summus pastor vnus est, & vnum habet ouile.* Quid ergo huic fiet monacho, qui ad suū pontificē blasphemè detorquet, quæ Christi propria sunt; & patrum scripta impiè torquet contra sententiam? — [4] *Lib. 1. epist. 6.*

Sed neque pontifex Rom. est ille bonus paterfamiliâs, aut fidelis dispensator, de quo Luc. 12. nihil enim ille familiæ dispensat, præter verbi famem, & messem mali. Loquitur quidem Christus Petro: sed indefinitè de quouis dispensatore fideli. Similiter, quando loquitur de seruo malo. iniuriam enim Petro faceret, qui hæc de Petro intelligeret. loquitur etiam de particularibus domibus, non de vniuersa ecclesia.

Non est denique pontifex Rom. vnicus hic nauis gubernator. neque hoc dixit [3] Cyprianus, vt mentitur Bellar. sed nauis ecclesiæ euersor, indignissimus cui duorum scalmorum nauicula committatur.

[3] *Lib. 1. epist. 6.*

Quintò, exemplum Christi in medium adducit, quē nemo dubitat summum fuisse ecclesiæ pastorem & principem: indeque concludit, quoniam ecclesia *est semper vna specie, &* [4] *vna illa dicitur resp. quæ eandem seruat regiminis formam; idcircò eandem esse semper regiminis ecclesiæ formam externam, & vnum Monarcham visibilem ei præesse debere.* Sed alia est ratio reip. alia ecclesiæ, vt iam sæpe dictum est. Ecclesia enim est corpus mysticum, & non politicum; illaque in vna domo subsistere potest: at resp. & ciuitas nisi ex pluribus familiis non conflatur. Præterea, vnitas ecclesiæ consistit nō in externa specie gubernationis, quæ sæpe mutatur in congregationibus particularibus; sed in [1] vno Deo, vna fide, vno baptismo, vno Christo. neque enim vna dicitur ecclesia, vbi homines plures colunt religiones & Deos. Postremò, absurdè comparantur homines mortales Deo, & pōtifices Rom. Christo Iesu summo ecclesiæ pastori. non ergo sequitur vni alicui dandam esse summam potestatem in ecclesia, quia Christus eam habuit.

[4] *Arist. Polit. 3. cap. 2.*

[1] *Ephes. 4.*

Verùm, vt eadem esset ratio reip. & ecclesiæ; non tamen sequitur ecclesiam à pontifice Rom. tanquā Monarcha regi debere. nam in regno non succeditur, nisi rege mortuo, & illud regere iam cessante. at Christus semper viuit, & gubernat ecclesiam & regnum suum. nullus ergo alius debet esse eius loco summus Monarcha, nisi eiusdem regni duos constituere velimus Monarchas, & vnius mundi duos soles. Nec obstat quod

Christus

Christus iam quoad corporis præsentiam visibilem à nobis recessit. rex enim licèt absens corpore, per plures legatos & magistratus remp. administrare potest.

Obiicit sextò, *eandem rationem postulare, vt vnus præsit vniuersæ ecclesiæ, & summus patriarchis, æquè ac vnus episcopus certæ diœcesi, & pastoribus eiusdem, & vnus archiepiscopus certæ prouinciæ & eiusdem prouinciæ episcopis, & vnus patriarcha archiepiscopis, & multis prouinciis.* Sed hæc omnia probanda erant, & non impudenter, vt facit aduersarius, asserenda. nos enim episcoporum & archiepiscoporum institutionem à Christo profectam esse agnoscimus, eamque communi synodorum generalium, & ecclesiæ consensu receptam esse legimus. Præterea, multos accepimus suas curasse prouincias maximo cum fructu ecclesiæ, & magnam inde laudẽ reportasse. At generalis hæc totius orbis Monarchia & procuratio nec à Christo instituta est, nec ab Apostolis & prisca ecclesia recepta, nec rectè administrari potest. Quid, quod nec aliquem accepimus toti mũdo imperasse? at si Bellarmini ratio procedit; tunc vt vnius regni, sic totius mundi vnus debet esse summus Monarcha. cur ergo non probat vnam esse totius orbis, & vnius prouinciæ rationem? cur callidè, vt solet, quod in controuersia positum est, reticuit? negotium fortasse erat. sed si hoc ita esset, cur probat episcopos potestate, & non solùm authoritate presbyteris esse superiores? hoc enim nos non negamus. & licèt Caluinus dubitet an ita sit, nihil tamen hoc ad rei summã facit. Verùm vt superiores esse concedamus; non tamen habuere talem in presbyteros, qualem pontifex Rom. in episcopos arrogat, potestatem. hic enim legibus non tenetur: & canonistæ asserunt eum vel verbo vno episcopum creare, & eũdem rursus deponere posse. Ioannes 22. episcopo Caturcensi cutem viuo detraxit. episcopos pontifices Rom. pro arbitrio transferunt, deponunt & flammis etiam, si qui eorum frugi & verè catholici esse velint, absumunt. Hæc meritò Caluino displicuere: omnibusq; viris bonis indignissima videntur. sunt enim non episcoporum, sed tyrannorum facinora. ea tamen miserrima Antichristi mancipia aut tacent, aut, vt possunt, defendunt.

Septimum argumentum Bellarmini ex propagatione ecclesiæ continua sumitur. *Nam quia crescit & propagatur in finem seculi ecclesia, & episcopi prædicatores extra fines diœceseôn suarum mittere non possunt; propterea opus esse dicit summi præsulis cura, qui in omnes prouincias operarios mittat: idque diligenter fecisse pontifices Rom. Bonifacium enim Germanos, Kilianum Francones, Augustinum Anglos conuertisse: quorum primus à Gregorio 2. secundus à Conone, tertius à Gregorio primo missus est. Innocentiumq; primum constanter affirmare, per omnem Hispaniam, Galliam, Africam, ecclesias esse fundatas per eos, quos Petrus, aut eius successores in hoc opus miserunt.* Sed huius argumenti tot sunt peccata & vulnera, quot sententiæ. Primò, nouum est, ne dicam absurdum, non posse episcopos extra fines diœcesis suæ alios prædicatum mittere. nam quod Christus Apostolis [1] dixit, *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ*, nō tantùm Apostolos, sed etiam eorum successores obligat, quoties data erit ecclesiæ propagandæ facultas.

[1] *Marc. 16.*

Præterea, hoc pastorum ecclesiæ officium, & Christiana charitas flagitat. nam vt præcipuè obligentur propriis gregibus; non tamen prohibentur cæteris prædicare, quos Christo nomina daturos sperāt. charitas enim finibus nullis retinetur aut clauditur. atq; hoc multis exemplis confirmatur. Athanasius [2] Frumētium Indiæ episcopum ordinat, eumq; prædicatum mittit. Episcopi Constantinopolitani ad Getas, Persas, Scythas prædicatores miserunt. Angli Germanos & Phrysios, Galli Anglos, Franci Saxones ad Christi fidem cōuerterunt. at apud istos nullus aut se totius orbis præsulem dixit, aut ideo se euangelium prædicare in alienis prouinciis prohibitum existimauit, quòd in toto orbe monarchiam non haberet.

[2] *Zozom. lib. 2. c. 23.*

Secundò, pōtifices Rom. non solet nunc prædicatores euangelii, aut pacis nuntios ad alios emittere, sed potiùs prædatores, belli incendiarios, flabella seditionum, sicarios & veneficos, qui bonos viros iugulent.

Tertiò, falsum est quod dicit Bellarm. *Bonifacium à Gregorio secundo missum Germanos, & Augustinū à Gregorio primo missum Anglos, & Kilianum à Conone missum*

Francones primùm conuertisse. Nam Bonifacius ab Anglis oriundus, sponte sua cum aliquot aliis sociis in Phrysiam nauigauit, & inde in Germaniam profectus eis prædicare cœpit. quam omnem laudem pontifex Rom. postea eundẽ honorib. cumulans, ad se transcribere conatus est. Non tamẽ eos primus ad religionem conuertit Christianã: sed potiùs à vera religione auertit, & synagogæ Rom. subiugauit. erant enim eo tempore in Germania pii episcopi, vt testatur Auentinus & alii: licèt à pontificum Rom. tyrannide liberi, quibuscum Bonifacius ille bellum gessit.

Angli à Luidardo & Britannis docti, ad fidem mentem inclinarant ante Augustini in Britanniam aduentum, ille timidè ad maiores nostros accessit, parũ aut nihil, vtpote linguæ Saxonicæ ignarus, præstitit; crudeliter & superbè se gessit.

Kilianus, nullo accepto à Conone mandato, ipse Franconib. prædicare cœpit hoc cum Conon probaret, & literis suis eum incitaret, pontificis adulatores ex eo in Cononis laudem erumpunt.

Postremò, Innocentii verba Bellar. mala fide recitat, non enim dicit, *ecclesias esse fundatas per Hispaniam, Galliam, Africam, per eos, quos Petrus aut eius successores miserunt*, vt affirmat [1] Bellar. sed *in omnem Italiam, Galliã, Hispaniam & Africam, atq; Siciliam, insulasq; interiacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos Petrus, aut successores eius constituerunt sacerdotes.* idem etiã negat *aliũ Apostolum in illis prouinciis docuisse.* At hoc mendacium Scripturæ sacræ [2] refellunt, quæ *Paulũ* in Italia & ipsa Roma docuisse testantur. Refellunt etiam historiæ ecclesiasticæ ex eis enim & [3] Paulũ in Italia & Hispania; & [4] Crescentem & Philippum in Gallia; & Iosephum Arimathæum in Britannia docuisse accepimus. In Africam verò viros Hierosolymitanos nuntium salutis primos detulisse significat [5] Augustinus. Saxones Carol⁹ magnus, & qui ab eo prędicatũ missi sunt, Germanos & Phrysios magna ex parte Angli, Scotos & Hibernos Britanni ad fidẽ conuerterunt. Tãta luce veritatis oppressus *Baronius*, licèt in pontificis gratiã multa libenter mẽtiatur, nescit tamẽ quomodo Innocẽtii siue

[1] *Dist. 11. c. quis nesciat?*

[2] *Act. 27. & 28.*

[3] *Legend. Pauli.*

[4] *Euseb. hist. lib.*

[5] *Epist. 162.*

mendacium, siue, vt ei parcam, culpam defendat. Glossa in cap. quis nesciat? dist. 11. *alium* interpretatur *contrarium*. sed hoc plane est contra eius sententiam. Bellar. eius verba mutauit, & tamen falsum dixit. neque enim Petrus & pontifices Rom. vel *soli*, vt dicit Innocentius, vel cum aliis, vt significat Bellarm. per omnem Hispaniam, Africam, & Galliam ecclesias fundarunt. nam Hispani Iacobum tanquam Apostolum suum celebrant. Africani Hierosolymam velut fidei suæ metropolim agnoscunt. Galli *Philippum* & *Dionysium* fidei prima fundamenta apud se posuisse [6] asserunt. Nihil ergo opus est vniuersali vnius monarchia ad fidei propagationem. Certè si ex euentis de hac re coniecturam facere licet, ad fidei propagationem inutilis est. fides enim in magnas angustias redacta est, postquam pontifex Rom. tyrannidem ecclesiæ occupauit. nam Orientem & Africam Turcæ, borealem regionem Russi & Scythæ, Occidentem *papismi* labes oppressit. ab his omnibus fides penè oppressa iacet.

[6] *Freculphus*

Postremò, *non aliter conseruari posse vnitatem fidei dicit Bellar. nisi vnus sit summus totius ecclesiæ iudex, cui omnes in rebus dubiis credere, & in eius sententia acquiescere teneantur.* Quasi verò sub lege naturæ & lege Mosis, quando nullus huiusmodi erat iudex, vnitas fidei, & consensus in religione conseruatus non fuerit. Neque obstat quod asserunt sacerdotem summum, fuisse etiam summum in religionis negotiis moderatorem: hoc enim somnium nos antea refutauimus. Præterea, dum Apostoli in terris versarentur, non ex Petri, sed ex concilii totius sententia lites de legalibus cæremoniis sopitæ sunt. Post Apostolorum excessum pii episcopi mutuò se iuuantes, hæreses subinde exorientes extinxerunt. In synodo Nicena Arrii hæresis conuicta & condemnata est. Neque aliter Macedonii, Nestorii, & Eurychis pestiferæ sententiæ condemnatæ & reiectæ sunt, quàm in synodis generalibus. Ad vnitatem fidei multa requirit [1] Apostolus. neque sanè vnius imperium tacuisset, si illud necessarium fuisse ad fidei vnitatem conseruandam existimasset. Quæ ergo impudentia est, vnitatem fidei vnius imperio acceptam

[1] *Ephes.* 4.

ceptam ferre, cùm neque scripturæ nec patres tale medium aut necessarium putarint, aut vtiliter adhibendũ cẽsuerint? imò si veterũ monumenta scrutari libet; ex pontificũ Rom. hoc impio magna facta esse in ecclesia schismata, & plurimas cõtra Apostolicã doctrinã receptas hæreses reperiemus. Dum papatũ ambitiosi homines peterent, viginti duo schismata facta narrat [2] Turrecremata. Hæreses pontificũ Rom. potentia introductas enumerare difficile est. nos tantùm aliquas dicemus. Ab iis introducta est *Angelicorũ* hæresis colẽtiũ Angelos; item *Simonianorũ* & *Carpocratianorũ*, colentiũ imagines; & *Staurolatrarũ* & *Armenorum*, adorãtium crucẽ, & Dei patris imaginẽ; & *Collyridianorũ*, inuocantiũ & adorantium virginẽ *Mariam*, & *Pelagianorũ*, qui limbum infantiũ, & bonorum operum iustitiã docent; itẽ Eutychis, veram Christi humanitatem tollentiũ. Præterea, soluunt sacramẽtis subditos, principes [3] deponunt, & iugulant, & matrimonium dissoluunt propter votũ. Infinitas præterea hæreses authoritate sua in synagoga pontificia stabiliuerunt, contra quas multos iam annos disputamus. Non ergo vnius imperium, sed episcoporum consensus, concilii authoritas, & magistratus imperium fidei vnitatem conseruat, & hæreses extinguit.

[2] *Part.* 1. *lib.* 4. *c.* 9.

[3] *Vt Henric.* 3. *Galliæ*, *& Ioannẽ Angliæ regem, & Henricũ* 4. *imperat.*

Nec obstat, quod hactenus cõmuni cõsensu nostræ cõmunionis homines nullũ cõcilium celebrarũt. nam hoc pontificiæ scholę & Papistarũ malitiâ impeditum est, qui nihil magis [1] metuunt, quàm liberũ & legitimum conciliũ. & non dubitamus hoc aliquando futurum, vt & conciliũ legitimũ celebretur, & omnes controuersiæ tollantur. Interim verò pacẽ inter se colunt ecclesiæ nostræ: quod pontificiã sectã malè habet: nec vel *Lutheri*, aut *Zuinglii*, multò min⁹ Illyrici, aut Westphali, aut aliorũ hominum priuatorũ scriptis & opinionib. vnitas ecclesiarũ nostrarum tollitur. Quinetiam scriptores põtificii inter se de reb. infinitis digladiantur: nec dubitant tamen, quin ecclesia sua rectè in fide consentiat. Rectiùs ergo faciet Bellarm. si res alienas missas faciat, & domestica vulnera curet. ex istis certè nugis & ineptiis tantum imperium, quale ille somniat, nunquam stabilietur.

[1] *Petrus de Alliaco de reform. eccl. & Orthuin. Grat. & Sleidan. hist.*



ADVERSVS PAPISTARVM *De* PETRI COMMENTITIA Monarchia diuinationes & somnia,

LIBER II.

Petrum *non fuisse ecclesiæ vniuersalis constitutum loco Christi caput, principem, & monarchã: aduersus Bellar. lib.* 1. *de pontif. Rom. c.* 10. *& sequentia*, CAP. I.



HACTENVS de optima politeiæ ecclesiasticæ forma aduersus Bellar. seu potiùs Sanderi, de monarchia ecclesiæ semper visibili errores disputatũ est. quàm diligẽter, non dicã, ne in idem cum aduersario vitiũ incidam, qui putidè vbiq; diligentiã suam iactat; sed sanè summa fide. Nunc de *Petri* prætensa, & à Papistis somniata monarchia, quò superior omnis spectat disputatio, dicẽdum est. Idcirco .n. probare conatus est ecclesiæ regimẽ externũ fuisse Monarchicũ, vt sibi ad *Petri*, & pontificis Rom. multùm quidẽ desideratã, sed nusquã inuentam monarchiã aditum patefaceret. Dicimus ergo *Simonem Petrum* à Christo apostolum cõstitutum, & propter egregiã de Christo factam confessionem, & alias virtutes, primarium & principẽ inter collegas suos habitũ fuisse: sed monarchã & summũ collegii apostolorum, & totius ecclesiæ rectorem constitutum negamus: idque rationibus inducti necessariis.

Primò, vna fuit & cõmunis apostolorum ad munus apostolicum vocatio, & electio. *Vocauit discipulos suos* (inquit[1] *Lucas*) *& elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* At cum monarcha & principe ecclesiæ, nullus habet, vel vocationẽ, vel electionem, vel officium commune. Ille enim monarcha est, qui solus summum habet imperiũ. Respondet[2] Ioannes Turrecremata, *quod apostoli ex electione & missione ista cuius* *memi-*

1 Luc. 6.

2 Lib. 2. summa de eccles. c. 61.

meminit Lucas, nullam acceperunt iurisdictionẽ. quasi verò munus Apostolicum non habeat inclusam iurisdictionẽ, aut missi sint apostoli sine mandatis, aut potestate: & mandata Christi, vt aliorum principum, non tribuerint iurisdictionem, & potestatem. hæc sanè omnia, licet absurdissima, ex eius respõsione sequũtur.

Secundò, ad principum pertinet officium, magistratus præcipuos cõstituere. Ita reges militiæ eligunt duces, & quæstores, & rerũ capitalium iudices. eisdẽ etiã dant mandata, & potestatẽ, secundùm quã, prouinciã eis mandatã administrari volunt. *Necessarium*, inquit [1] Iustinianus, *existimauimus etiã nunc percipienti tibi administrationẽ, designare quod à progenitorib. reip. nostræ adinuentũ est, qui ad administrationes directis certa præcepta dabãt, mandata principũ ea vocãtes, secundũ quæ oporteret eos gubernare administrationes.* Similiter Christus ex mundo discedẽs præcepit apostolis, quæ voluit, & mãdata eis certa dedit. hæc etiã aliis declarari mandauit: *Docentes*, [2] inquit, *eos seruare, quæcunque mandaui vobis.* At Apostolos reliquos *Petrus* non elegit, nec vocauit. *Paulus* [3] affirmat se *nec ab hominib. nec per hominem, sed per Iesum Christũ esse Apostolum.* Matthias etiã non ab apostolis reliquis, sed à Deo electus est. *Ostende*, aiunt [4] Apostoli Deum alloquentes, *quem elegeris.* neque sanè *Petrum* vllam apostolis cæteris dedisse iurisdictionem, aut mandata, vsquã legimus. Respondet [5] Bellar. *summam potestatem collatam apostolis omnibus vt legatis, non vt pastoribus ordinariis, & cum quadam subiectione ad Petrum.* Sed hæc responsio ex cõtrariis & malè cohærentibus sententiis composita est. Nam si legati erant Apostoli; tũ nõ habuerunt summã potestatẽ. & si summã habuerunt potestatem, tum non erant *Petro* subiecti.

Præterea, si legati erant Petri, tum non habuerũt à Christo summam potestatem. isti enim à summis magistratib. designari & mitti solent: &, si à Christo habuerunt summã potestatẽ, tum non erant *Petri* legati.

Respondet ergò aliter Ioannes [6] Turrecremata, & dicit *Petrũ contulisse iurisdictionẽ Matthiæ.* idem factum dicit alio in loco reliquis apostolis. *Apostoli*, [7] inquit, *alii à Petro non susceperunt potestatem iurisdictionis immediatè à Christo, sed mediatè Petro.* Rectè ille intellexit,

1 Ibid.
2 Matth. 28.
3 Gal. 1.
4 Act. 1.
5 Lib. 1. c. 12. de pontif. Rom.
6 Lib. 2. summæ c. 61
7 Lib. 2. c. 54.

Petrum non esse ecclesiæ monarcham, nisi omnem ab eo habuissent apostoli cæteri iurisdictionem. ideoque non veretur illud affirmare quod Bellar. negat. Sed & Bellar. qui *Apostolos dicit potestatem accepisse à Christo immediatè, sed cum quadam subiectione ad Petrum*; & Turrecremata, *qui nisi mediante Petro nullam illos iurisdictionem accepisse* dicit, manifestò falsi conuincitur ab apostolo Paulo, qui se disertè scribit *non esse Apo-*
8 *Ad Gal.* 1. *stolum, nec ab hominibus, nec per hominem*; & verbis [8] Apostolorum, Act. 1. qui Matthiam à Deo electum fuisse
1 *Luc.* 6. & 9 se asserunt; & ex euangelio [1] *Lucæ*, vbi omnes Apostolos communiter electos & missos fuisse accepimus; & verbis denique Christi apud Ioannem, cap. 20. quibus, omnib. pariter claues dat; & apud Matt. 28. vbi pariter omnes ad docendum & baptizandum mittit. Quod
2 *Lib.* 2. *summæ cap.* 61. ergo dicit [2] Turrecremata, *Apostolos non fuisse semper episcopos*, si propriè intelligat nomē episcopi, alienum est à proposito. nam etsi non propriè Apostoli dicerētur episcopi; tamen in Apostolico munere inclusam habuerunt omnem, quæ episcopis competit, potestatem. si autem impropriè intelligat episcopi vocabulum; tum semper erant Apostoli à primo suscepti Apostolatus tempore, episcopi. quod ex eo probatur, quia baptismum administrabant. ita Nonnus in Ioānem:
3 *Psal.* 68. & 108. ita reliqui patres. Idem etiam ex verbis [3] prophetæ, quibus vsus est *Petrus*, Actorum 1. cùm de Iuda loqueretur, intelligi potest. *episcopatum eius*, inquit Petrus, *alter accipiat.* Qua ergo ratione sit Iudas episcopus magis, quàm reliqui Apostoli? aut quomodo subditi sint Petro, qui à Petro collatam iurisdictionem non habuerunt?

4 *Matth.* 28. *Tertiò*, paria habuerunt Apostoli omnes [4] mandata. *Euntes*, inquit Christus, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Similiter etiam *Lucas* parem eos alio tēpore missionem & potestatem accepisse dicit. *Conuocatis*, [5] inquit
5 *Luc.* 9. ille, *duodecim Apostolis, dedit illis potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent, & misit illos prædicare regnum Dei.* Hic constat & *Petrum* vnà cum reliquis potesta-

potestatem accepisse, & illos omnes in potestate & mandatis fuisse pares. Vnde ergo hæc Petri monarchia? nam si ex officio prædicandi, & pascendi, summa potestas Petro collata est; tum omnes habuere summam potestatem: si omnes summam habuere; tum nō erat *Petrus* monarcha, aut princeps apostolorum, & totius ecclesiæ.

Quartò, Christus ita Apostolos [6] misit, *sicut ipsum misit pater*. at ille, præterquā à patre, nihil à quoquam accepit: & ab ipso omnem in cælo & terra potestatem accepit. cur non ergo à Christo immediatè accipiant potestatem Apostoli omnes, & sufficientem habeant ex Apostolico munere & Christi missione absque Petri mandato authoritatem?

6 *Ioan.* 20.

7 *Matth.* 28.

Quintò, clauibus Matth. 16. summam potestatē designatam esse putant aduersarii omnes. *Nos*, inquit [8] Bellar. *& Catholici omnes, per claues datas* Petro, *intelligimus summam potestatem in omnem ecclesiam*. Et sanè quamuis non summa potestas intelligatur per claues; per eas tamen potestas retinendi & remittēdi peccata; etiā aperiendi & claudendi regnum cælorum cōmuni omnium interpretatione intelligitur. Ex quo etiam colligitur, potestatem illis datam, quibus claues commissæ sunt. Isaiæ 22. *clauis domus Dauid* potestatem Eliachim datam designat. & Apoc. 3. Christi potestas per clauem Dauid figuratur. Si ergo claues ecclesiæ communiter omnes apostoli acceperunt; tum omnes parem habuerunt potestatem, & non erat Petrus cæterorum rector & pastor, & monarcha totius ecclesiæ. Quod omnes apostoli communiter & simul acceperint claues ecclesiæ, ex verbis Christi intelligimus. Ipse n. omnes apostolos alloquens, *Amen dico vobis*, [1] inquit, *quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Nec obstat, quod his verbis respōdent nonnulli, *nihil datum, sed promissum tantùm*. nam qui promisit, potuit etiam præstare: & *Petro* ipsi Matth. 16. tantùm dicunt claues fuisse promissas, quas non dubitant alibi datas esse. Ioannis sanè vicesimo capite, nō promittit Christus, sed dat claues. *Accipite*, inquit,

8 *Lib.* 1. *de pontif. Rom. c.* 13.

1 *Matth.* 18.

2 Ioan.20. 2 Christus, *Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hæc omnibus Apostolis simul dicuntur, & eis communiter conueniunt. quomodo ergo non sint omnes potestate pares?

3 Lib.2.summæ c.54. Respondet 3 Ioannes Turrecremata, *accepisse Apostolos claues mediante Petro.* sed si ita intelligit, quod dicit, *mediante Petro*, vt non nisi à Petro velit eos claues accepisse, & non à Christo vnà cum Petro; nihil comminisci potuit à Christi mente alienius. nam vt Spiritum sanctum absque medio, sic 4 claues dedit absque medio. Christum vnà omnibus Apostolis dedisse Spiritum S. & potestatē ligandi & soluendi dicit 5 Hieronymus. 6 Gregorius dicit *Apostolos accepisse primatū iudicii diuini, vt vice Dei quibusdā peccata retinerēt, & quibusdam relaxarent.* Si autē omnes Apostoli, tum nō Petrus solus: si vice Dei, tum nō vice Petri. quid ergo non docēt aduersarii Apostolos cæteros à Petro claues accepisse? Aut sanè hoc docendum; aut de Petri monarchia spes omnis deserenda est.

4 Ioan.20.
5 In gloss. in Matth.16.
6 In Ioan. euang. c. 20.

7 Ephes.4. Sextò, cōmuniter omnes Apostoli dati sunt ecclesiæ à Christo. *Ipse*, inquit 7 *Paulus, quosdam dedit Apostolos.* Non dicit, quendam ecclesiæ monarcham, & ei affuturos alios Apostolos, velut consiliarios, vt nōnulli imaginantur; sed vnâ omnes Apostolos ecclesiæ datos affirmat. Quomodo ergo vnus habeat imperium in cæteros, cùm omnes pariter datos videamus?

1 Ephes.2. Septimò, omnes Apostoli pariter in ecclesiæ fundamento positi sunt. *Ciues enim & domestici Dei*, vt ait 1 Apostolus, *super fundamento Apostolorum & Prophetarum ædificati sunt: cuius ædificii summus angularis lapis est Iesus Christus* Apostolorum nomina in fundamento cælestis Hierusalem scripta esse dicit 2 Ioannes. *Murus ciuitatis*, inquit ille, *habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni.* omnes illi fundamenta dicuntur, quia super eorum doctrinā ecclesia fundata est. *Vt sapiens architectus*, inquit 3 Paulus, *fundamentum posui.* atq; ita hunc locum explicat 4 Augustinus. *Fundamenta eius in montib. sanctis*, hoc est, inquit Augustinus, *in Apostolis.* Si omnes Apostoli

2 Apoc.21.
3 1.Cor.3.
4 In Psal.86 gloss.1.

stoli fundamenta, tum non super Petrũ ædificati sunt. alioqui fundamentum esset super fundamentum. Si autem quia *fundamentum* dicitur, Petro data sit summa potestas; tum omnes Apostoli summam habebunt potestatem, quia omnes sunt fundamẽta; & *Petrus* non erit apostolorum fundamentum, nec totius ecclesiæ monarcha & caput summum: fundamenti enim non est fundamentum.

Octauò, summi principes non dãt subditis dextras societatis, nec se eorum socios dici ferunt: neq; enim summi dici possent, si socios haberent sibi potestate pares. At Paulus [5] dicit *Iacobum, Cepham, & Ioannem, sibi dexteras dedisse societatis.* Præterea, ipse se cum Petro sortitum dicit, *vt sicut Petrus ad circumcisionem, sic ipse ad gentes proficisceretur.* at principes cum subditis sortiri non solent. Respondet [6] Turrecremata, *subditos nonnunquam vocari socios*; vt 1. Reg. 23. *ibat rex Saul, & socii eius ad quærendum Dauid.* Sed aliud est, socium esse itineris, & potestatis.

[5] Gal. 2.

[6] Lib. summæ eccles. 2. c. 13.

Præterea, in Hebræo est ואנשיו, id est, viri seu milites, qui cum ipso erãt. Postremò, aliud est dextram dare societatis, quàm sociũ vocari. fœderis.n. æqui signũ est. idcirco pontifex Rom. non dat dextrã societatis cuiquam, tanquã socio, sed pedes omnibus præbet osculandos, tanquam mancipiis, & seruis.

Nonò, non debent subditi prælatis superiorib. resistere, præsertim in faciem. *Omnis enim anima superioribus potestatib. subdita esse* [7] *iubetur*: Et [8] Apostolus *præpositis obediendum*, & non resistendum docet. At *Paulus Petro* palàm restitit. *Cùm venisset*, inquit [9] Paulus, *Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* quomodo ergo erat ille Paulo superior? nam, vt inquit [1] Glossator, *non auderet Petro resistere, nisi se imparem non esse sciret.* Respondet [2] Turrecremata, *posse subditos principibus resistere, vbi periculum imminet fidei & animarum.* Sed hoc illi cum signo subiectionis faciunt: palàm, & in faciẽ resistere nõ debent. quod, ne lõgiùs quæramus, exemplo Cardinaliũ & monachorum ꝓbatur, qui licet põtifex Rom. animas secũ ad inferos

[7] Rom. 13.

[8] Hebr. 13.

[9] Ad Gal. 2.

[1] In Gal. 2.

[2] Lib. 2. summæ c. 13.

cateruatim ducit;ei tamen palàm, & in faciem resiste-
[1] *Turrecrem. lib.2.c.13.* re non audent. scriptum est enim, vt [1] huiusmodi ho-
mines de pontifice suo dicunt, [2] *diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.*
[2] *Deut.21.* cum enim pro Deo ha-
bent in terris, & eum tanquam summum numen, aut
[3] *c. si papa. dist.40.* saltem summũ principem venerantur. Imò sunt qui [3]
dicunt, *neminem debere præsumere papam arguere, etsi animas secum cateruatim ad inferos deducat.* non ergo Pau-
lus Petrum tractauit, vt isti suum papam.

Decimò, præsente summo magistratu & monarcha,
cessat inferiorum præfectorum potestas. Ita, sole exo-
riente, minora cedunt astra. at Petro præsente nõ ces-
sauit Apostolorum potestas. ipsi enim diaconos vnà
[4] *Act. 6.* cum Petro elegerũt. *Considerate*, aiunt [4] Apostoli, *quos constituamus super hoc opus.* Postea, *ipsi septem ante Apo-*
[5] *Ibid.* *stolos* [5] *constituerunt.* Similiter de cæremoniis simul [6]
[6] *Act.15.* suffragia tulerũt. Petrus solus nec leges ferre, nec dia-
conos eligere, nec Matthiam in locum Iudæ subroga-
[7] *Lib.2.summæ c.14.* re potuit. Respondet [7] Turrecremata, *Licèt Petrus non solus, sed cum aliis elegerit Matthiam; non tamen hoc factum propter defectum potestatis ad electionem illam faciendam.* Sed absurdè electionem apostolorum, quę ab
hominibus fieri non potuit, Petro tribuit: quod &
[8] *Luc.6.&9* Christi [8] exemplo, & [9] verbis Pauli refellitur. Christus
[9] *Gal.1.* .n. solus elegit apostolos, & Paulus se disertè negat ab
hominib. esse electum. ex verbis etiã Apostolorũ, Act.
1. constat Matthiam à Deo solo electũ. Quæ ergo hæc
insania est, Deo auferre, & Petro dare, quæ Petrus nũ-
quã postulauit, & Dei propria sunt? Nec obstat quod
[1] *In Act.1.* dicit [1] Chrysostomus, *licuisse Petro Matthiam eligere.*
nam vel intelligit Petrum cũ apostolis hoc potuisse; &
tum nihil contra nos faceret: vel eum solum hoc potu-
isse; & ita repugnaret sacris literis. Præterea, hæ in A-
ctus Apostolorũ homiliæ nõ videntur Chrysostomum
[2] *Lib.2.c.14* authorẽ habuisse. Respondet præterea [2] Turrecrema-
ta, *potuisse Petrum solũ diaconos septem eligere.* Sed planis-
simè somniare videtur. nam cum Spiritus S. aliter fa-
ctum ostẽdat, quis non eũ modũ conuenientissimum
esse, aut alium commodè adhiberi potuisse existimet?

Vndecimò, summum principẽ ab inferioribus magi-
strati-

stratibus & populo legatum esse missum nouum est, & antehac inauditum. nam neque ille excubans velut in reip. specula vsquã discedere debet: neq; vt vellet ipse, haberent alii eius mittendi potestatẽ. At Petrus à reliquis apostolis *Samariam* prædicatum missus est. *Cum audissent*, inquit [3] Lucas, *Apostoli quod Samaria recepit verbũ Dei, miserunt ad illos Petrum & Ioannem.* Quid ergo sequitur, nisi Petrum nõ fuisse summũ inter apostolos principẽ & monarcham? nam legatus mitti solet à summo principe: & simul mitti, & summo imperio præesse nõ potest. Respõdet [1] Turrecremata, *esse quãdam missionẽ consilii, & aliam amoris, & tertiã imperii; & Petrum ex amore profectũ esse, & non ex authoritate missum.* Sed frustra aduersus veritatem reluctatur. nam summi principes neq; ex amore, nec ex consilio mitti solent ab inferiorib. & planè ridiculũ est, quod [2] dicit *principem à consiliariis suis mitti ad bellum.* sponte enim hoc ille faciendum iudicat, & ab illis ad bellum gerendum extrudi non potest.

3 *Act.* 8.
1 *Lib.* 2. *c.* 14.
2 *Ibidem.*

Duodecimò, omnis iurisdictio in monarchia à summo principe manare solet. neque enim aliter esset ille summus, nisi ab ipso reliqui potestatem acciperet. ille leges dat vniuersis ordinib. ille supremo loco iudicat; ille quę faciẽda sunt, mandat, & magistratus quos vult constituit. At hæc Petrus non habuit: neque enim leges ille dedit, quæ omnes obligarent; nec supremus erat Apostolorum iudex; nec ab ipso solo constituti sunt Episcopi, & Doctores ecclesiæ. *Mihi* (inquit [3] Paulus) *qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.* idem se æquat summis apostolis. *Puto me*, [4] inquit, *nihilo inferiorem summis Apostolis:* propterea, vt summus Apostolus, presbyteros & episcopos oppidatim [5] constituit, & vnà cum Petro ecclesiæ Rom. fundamenta [6] iecit. Similiter alii Apostoli æquo cum Petro iure per orbem terrarum ecclesias fundarunt: Philippus in Gallia, Iacobus, vt aiũt, in Hispania, Andreas in Achaia, Ioannes in Asia, & alii aliis in locis. Respondet [7] Turrecremata, *ad perfectionẽ doctrinæ nihil Petro à Paulo collatũ fuisse: & illa verba, nihil mihi contulerunt, intelligenda esse de doctrina, & non de authoritate.* Sed hanc inter-

3 *Gal.* 2.
4 2. *Cor.* 11.
5 *Act.* 14.
6 *Iren. lib.* 3. *c.* 3.
7 *Lib.* 2. *c* 14.

pretationem ineptissimam refellit primò contextus. nam si authoritatē Petrus illi contulisset, non potuit Paulus dicere, *nihil mihi contulerunt.* deinde loquitur de plurib. at illi Apostolo authoritatē, neq; ex aduersariorum sententia dicūtur cōtulisse. Deinde, eam refellit Apostolus, Galat. 1. vbi se dicit *esse Apostolum à Deo constitutum, & non ab hominibus, nec per homines.* Postremò, ipsi repugnat [8] Bellar. *qui Apostolos à Christo immediatè dicit potestatem accepisse.* de reliquis nihil, quantum ego intelligere potui, adhuc responderunt.

[8] *Lib.4 de pontif. Rom. c.23.*

Decimotertiò, non debemus existimare B. Petrum aliquā sibi potestatem in fratres vendicasse, quā Christus ipsi & omnib. apostolis interdixisset. nam vt primus erat in [9] cōfessione; ita nō cessit aliis in obedientia domino suo præstāda. At Christus disertè Apostolis omnem in fratres dominationē, & præcipuè monarchiam interdixit. nam cum contentio inter eos incidisset de dignitate; [1] dixit eis, *Reges gentiū domināt ur eorum, & qui potestatē habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic.* quid disertiùs dici potuit aduersus monarchiam, quæ species est regiminis politici apud ethnicos maximè vsitati? Respondent aduersarii, *non omnem dominationem Apostolis prohiberi, sed illā tantùm quā gentiles vtuntur, & quæ ad exemplum est regum ethnicorum.* Quasi verò non huiusmodi monarchiam Petro ascribant, & in ecclesiam introducere conentur: & non ipse [2] Bellar. ex formis & exemplis monarchiæ gentilium, monarchiam suam probare & stabilire conetur.

[9] *Matth.16.*
[1] *Luc. 22.*
[2] *Lib. 1. de pont. Rom. c.2.*

Decimoquartò, non acceperunt reliqui Apostoli à Petro ordinationem suam, aut iurisdictionem. Non ordinationem, quia nullum habuere officiū, aut munus, præter Apostolicū; sed ad hoc munus vocati & electi sunt à Christo solo. *Elegit*, inquit [3] Lucas, *duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* ab ipso *dati sunt* [4] *ecclesiæ*: ab ipso solo [5] missi. Neq; sanè iurisdictionem. nam à Christo claues acceperunt. ipse etiam potestatē dedit prædicandi, cum qua claues cōiunctæ erant. & sanè absurdum est putare aliquem alium eis potestatem dedisse aperiendi & claudendi cælos, nisi

[3] *Luc.6.*
[4] *Ephes.4.*
[5] *Matth.28.*

qui

qui omnem habet in cælo & terris potestatem, qui est [6] Christus Iesus, qui [7] habet clauem Dauid. 6 *Matt.* 28. 7 *Apoc.* 3.

Preterea, Apostoli non minùs, quã pontifices Rom. dicerentur Petri successores, si ab illo claues accepissent. isti enim ideo dicunt se Petro successisse, quia ipse claues commisit episcopo Rom. & eum ordinauit episcopum. Quare nisi ostendere possint, Apostolos à Petro ordinatos, & claues accepisse, actum est de eius monarchia. Respondet ergo [8] Turrecremata & [9] Bellar. *Petrum ordinasse reliquos Apostolos episcopos.* sed absurdè, & insulsè. quorsum.n.qui omnem in apostolatu acceperunt episcopalẽ iurisdictionem, ordinarentur episcopi? num rex creari solet quæstor, aut summo magistratui inferiór potestas concedi solet? Præterea, disputat ipse [1] Bellar. apostolos *omnes immediatè* à Christo accepisse iurisdictionẽ. Postremò, cõstat Christum eis dedisse & [2] apostolatum, & [3] claues, quibus iurisdictio designatur, & quæ nisi episcopis & pastoribus tradi non solent. 8 *Lib.* 2. *summa c.* 32. 9 *Lib.* 1. *c.* 23. 1 *Lib.* 4. *de pontif. Rom. c.* 23. 2 *Luc.* 6. 3 *Ioan.* 20.

Decimoquintò, si à Petro reliqui apostoli potestatẽ acceperũt, & claues apostolicas; tũ non dicẽdi erãt apostoli Iesu Christi, sed Apostoli *Simonis Petri*, & Simon Petrus solus diceretur Christi Apostolus. Apostoli.n.& legati ab eo nominãtur, à quo missi sũt, & à quo mandata & potestatẽ acceperũt. sed nihil cogitari potest absurdius, quàm, vt quos scripturæ vocant Christi Apostolos, ii dicantur Simonis Petri Apostoli.

Decimo sextò, si *Petrus* summus esset Apostolus; tũ non diceretur per antonomasiam, *Paulus* Apostolus. at hoc [1] Augustinus de Paulo affirmat. Præterea, non collocaretur Paulus ad dextram, quando eorum imagines pinguntur, in loco honoratiore. vnde intelligere licet veteres, aut ipsos pares, aut Paulum maiorem fuisse, existimasse. 1 *Lib.* 3. *ad Bonifac. c.* 3.

Decimoseptimò, Iacobus Apostolus aut æqualis erat Petro, aut superior. nam & in vrbe excellentiore præsidebat, & Petro in episcopatu Hierosolymitano prælatus est. Illud probatur, quia vrbs illa mater erat omniũ ecclesiarũ, & totius orbis metropolis secundũ illud [2] Isaiæ vaticiniũ: *exiuit de Sion lex, & verbũ Domini* 2 *Isai* 2.

de Hierusalem. Secundum aduersarii concedunt, nec aduertũt propterea Iacobum summum existimatum Apostolum. nam Act.15. vltimo loco, tanquã concilii summus moderator sententiam dicit. & [3] Clemẽs ideo vocat eum *episcoporũ principem.* & Eusebius ei primatus defert gloriam. *Petrus, Iacobus, & Ioannes,* inquit [4] Eusebius, *post assumptionem saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnib. pene prælati, tamen nõ sibi vendicabant primatus gloriã, sed Iacobũ qui dicitur Iustus, Apostolorum episcopum statuerunt.* Respondet [5] Bellar. *Hierosolymorum ecclesiam fuisse matrem omnium ecclesiarum, & multis priuilegiis excelluisse: sed Petrum fuisse pastorem & episcopum totius ecclesiæ, & Iacobum Hierosolymorum tantùm: atque ita nostrum argumentum soluere* [6] *Chrysostomum & Euthymium: eis etiam* [7] *Bernardum accedere.* Sed licèt pulchrè se nostro argumento satisfecisse putet; nihil tamen ad propositũ dicit. nam vt Iacobus minor episcopus fuisse dicitur Hierosolymorũ; ita Petrum vrbis Romæ aiunt fuisse episcopum. Similiter, vt *Petrus* erat Apostolus, ita Iacobus erat Apostolus. nunc compara Petrum quatenus Apostolus, Iacobo in quantũ vnius vrbis episcopus; nõnulla videtur fuisse Petri excellentia. atq; ita Chrysostomus & Euthymius Iacobo anteponũt Petrum, & Petro magisterium orbis cõmissum fuisse dicunt. Sed & Iacobus magister erat orbis. omnib. n. Apostolis dictum est, *docete omnes gentes.* Idem præterea vrbis nobilioris & christianæ religionis metropolis erat episcopus. Quare, vt ambo Apostoli erãt, pares erant; atq; vt hic Romæ, ita Iacobus Hierosolymorum erat episcopus, & digniorẽ sedem adeptus est, quam Petrus: & ita procedit argumentum nostrum. Neq; vel patres contra nos loquuntur, vel Bellar. argumentum soluit. Ad Eusebii testimonium respondet, ipsum Hierosolymorum, & non Apostolorũ episcopũ vocasse Iacobum. Sed exemplaria & Græca & Latina habent, *Apostolorum*; quib. potiùs fidendum est, quàm *Parisiensibus* aut *Vaticanis.* & cõtextus Eusebii pro nobis facit. Eusebio enim propositũ erat, Iacobi prærogatiuas dicere. præterea, primatus gloria ipsi tributa, maius quiddam quàm vnius vrbis episcopatum subinsinuat.

[3] *Recognit. lib. 1.*
[4] *Lib. 2. c. 1.*
[5] *Lib. 1. de pontif. c. 26.*
[6] *In vlt. cap. Ioan.*
[7] *Lib. 2. de consider.*

Decimo

Decimooctauò, nulli videri potest credibile, Petrum, qui Christum abnegauerat, & cui dictum est, [1] *vade post me Satana*, vniuersalis ecclesiæ constitutum esse monarcham. neq; enim peccantibus, sed præclarè facientibus proponuntur præmia. [2] Respondet Bellarm. primò, *lapsum Petri non præiudicare primatui, sed potiùs eum confirmare; nempe vt inquit Gregorius, vt ipse lapsus aliis misereri disceret.* Sed nec [3] Gregorius dicit lapsu confirmari primatum Petri, nec verisimile est Deum peccata remunerari. Respondet itaq; secundò, *non peccasse Petrum cum dictum est ei, Vade post me Satana, sed fuisse potiùs in eo pietatis affectum*: nam ita dicere Hieronymum. Sed nec Hieronymus excusat eum ab errore: nec credibile est, Christum Satanam eum appellaturum, qui expers esset erroris, & peccati: & si patribus fidem adhibere, & secundùm eos ius dicere velimus, [4] Origenes, Augustinus, & Chrysostom⁹ peccati *Petrum* arguunt.

[1] *Matth.* 16.
[2] *Lib.1.c.28.*
[3] *Hom.21.in euangel.*
[4] *In Matth.* 16.

Decimononò, caput & Monarcha ecclesiæ non debuit Christum abnegare, ne ipsa ecclesia periclitaretur. quæ enim salutis spes, cadente eo, qui caput dicitur, cũ præciso capite nemo viuere possit? quis Christum confitebitur, si ecclesiæ vniuersæ caput eum abnegasse dicatur?

Postremò, euertitur hoc de *Petri* monarchia somnium & patrum testimonio, & aduersariorum nostrorum confessione. Illi parem Apostolis omnibus tribuunt potestatem. *Christus*, inquit [5] Cyprianus, *omnibus Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuit.* Et postea, *hoc erant vtique cæteri*, inquit, *quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis.*

[5] *De simplicit. prælat.*

Christus post Petrum, inquit [6] Basilius, *dedit omnibus pastoribus æqualem potestatem; & huius signum est, quod omnes ex æquo ligant & soluunt.* si autem omnes pastores pares; similiter omnes Apostoli, quibus illi succedunt.

[6] *In ascet. c.22.*

Præclarè etiam [7] Hieronymus: *Sed dices*, inquit, *supra Petrum fundata est ecclesia, licèt idipsum alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cælorum ac-*

[7] *Contr. Iouin. lib.1.*

cipiāt, & ex æquo super eos ecclesiæ fortitudo solidetur. Nec obstat quod Petrum *caput* ibi appellet. nam hoc non propter potestatis excellentiam facit, sed quia ordine primus erat. Ita capita dicuntur familiarum primi & principes viri, licèt nō præsint omnibus, qui eiusdem sunt stirpis & familiæ. Idem enim *Paulum, Ioannem, & Iacobum Petro* pares facit. *Inter æquales*, inquit [1] Hieronymus, de *Paulo, Ioanne, Petro, & Iacobo* verba faciens, *est collatio.* Hieronymo etiam ascribit [2] Turrecremata glossam illam in Gal. 2. *non auderet* (nempe resistere Petro) *nisi se non imparem sentiret.*

1 In Gal. 2.
2 Lib. 2. summæ c. 13.

Ambrosius [3] dicit, *Paulum non esse Petro imparem.* Idem non à *Petro*, sed à Christo dicit *Apostolos authoritatem prædicandi* [4] *accepisse. Cùm ad propagandū*, inquit, *auxilium salutis humanæ per terrarum orbem satores fidei destinaret.* Gregorius Nazianzenus [5] de modestia Apostolorum in rebus gerendis tractans: *vbi*, inquit, *hic austerum, vbi imperandi desiderium?*

3 In Gal. 2.
4 Ambros. in Luc. 6.
5 In orat. de modest. in disp. seruanda.

Cyrillus Apostolos etiam à Christo immediatè missos ostendit: quod fundamentum monarchiæ *Petri* subruit. *Postquam*, inquit [6] Cyrillus, *dixisset, Rogate Dominum messis: hoc fecit per seipsum. Petrus*, inquit [7] Augustinus, *à Paulo posteriore corrigitur.*

6 In Ioan. 20.
7 Lib. 2. de baptism. c. 1.

Inter ipsos, inqt [8] Maximus, de Petro & Paulo loquēs, *quis cui præferatur, incertum est.* quod non dixisset, si Petrum monarcham esse ecclesiæ credidisset. *Illos* (inquit [9] Leo, de Paulo & Petro etiam loquens) *electio pares, labor similes, finis facit æquales.* non ergo hoc tempore adhuc pontifices Roman. aut monarchiam optare ausi sunt, aut eam Petro detulerunt, licèt alias ipsi prærogatiuas deferant.

8 In ser. de natal. Petri & Pauli.
9 Orat. 1. de natal. apost.

Gregorius [10] dicit *Apostolos superni iudicii sortitos principatum, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.* si autem vice Dei, non vice Petri iudicabant.

10 In Euangel. hom. in Ioan. 20.

[1] Augustinum iam ostendimus, *per antonomasiam* Paulum Apostolum dictum existimasse: quod propter eius excellentiam factum est.

1 Lib. 3. ad Bonifac. 3.

Iacobum reliquis Apostolis prælatum existimarūt [2] Clemens & [3] Eusebius.

2 Recognit. 1.
3 Lib. 2. c. 1.

Glossa

Glossa in Gal. 2. in verbū *restiti,* dicit *Paulum nō fuisse imparem Petro.* pariter antiqui [4] patres super Apostolos omnes ecclesiam fundatam esse existimarunt, vt postea dicemus.

Adeoq; veritas hac in re præualuit, vt aduersariis hanc confessionem extorserit. nam sub nomine [5] Anacleti scripserunt, *cæteros Apostolos cum Petro pari consortio honorem, & potestatem accepisse.* Non est illa quidem epistola Anacleti. quomodo enim potuit ille Cypriani post se viuētis verba citare? sed satis indicat aduersariorum sententiam. Ad hoc & alia argumēta nostra respondet [6] Turrecremata, *pares fuisse potestate ordinis, non iurisdictionis.* Sed planè delirat, si eos impares existimet potestate, qui claues pariter à Christo acceperunt. si autem à Petro existimet eos claues accepisse, respondeat ad argumenta nostra.

[1] In synodo etiam Basiliensi *Petrum* esse minorem concilio docent patres, *quia ad conciliū in controuersiis remissus est.* quod etiam ex eo probatur, quia controuersia de cæremoniis legis absque concilii generalis sententia definiri non potuit.

4 Origen. in tractat. 1. in Matth. & alii infra.

5 Dist. 21. c. in nouo.

6 Summa de eccles. lib. 2. cap. 51.

1 Æn. Syluius lib. 1. de gest. concil. Basil.

Verè ergo aduersarii somniant, cum Petrum totius ecclesiæ monarcham, & summum principem constitutum existimant. quod etiam multò magis, eorum infirmis & ridiculis argumentis excussis & refutatis, iudicabitis. hoc ergo, Deo auspice, nunc aggrediemur.

Diluitur primum argumentum Bellarm. pro Petri monarchia fundatum super hac verba Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. CAP. II.

EST *reuera,* inquit [2] Bellarmin. *non simplex error, sed perniciosa hæresis, negare B. Petri primatum à Christo fuisse institutum.* Sed si per primatum Petri intelligat totius ecclesiæ monarchiam; & monarchicum papatum; multò maior est hæresis, & insania, eum à Christo institutum defendere. Ridiculè enim [3] Turrecremata *Apostolos primùm, Petro tanquam Christi vices gerenti in administratione papalis officii astitisse,*

2 Cap. 10. lib. 1. de pont. Rom.

3 Summa lib. 1. c. 80.

deinde à Petro separatos, eiusque authoritate suffultos per mundum dispersos fuisse putat. Reliqui tamen omnes, etsi pudor eos illud proloqui vetet, *Petrũ* fuisse papam & Apostolos eius fuisse cardinales & legatos existimant. & [1] Bellarm. vbi Petrum *ecclesiæ totius caput & principem loco Christi constitutum, & ab ipso institutum* dicit, non aliud intelligit, quàm Petro huiusmodi principatum datum, qualem postea pontifices Rom. habuisse videmus. Non, inquam, intelligit primatum dignitatis, vel honoris, vel ordinis; sed primatum ratione officii & gradus superioris; & vt papa supra cardinales, ita Petrũ supra Apostolos reliquos eminuisse existimat. sed argumenta hoc nomine ab ipso allata nihil eius efficiunt.

[1] *Libr.1.de pontif c.10.*

Primò, locum illum tritum Matth. 16. [2] profert; *Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo ecclesiam meã*: &, *tibi dabo claues regni cœlorum.* Sed super hoc loco, dum de fundamento & clauibus multa loquitur, nihil ædificat nisi nugas meras, & longos logos, & claue errante sententiam Christi distorquet. Primò, *quia dictum est Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*; [3] concludit, *Petrum esse fundamentum ecclesiæ, & propterea monarcham: ipsi enim soli hæc dixisse Christum, & patres affirmare Petrum ecclesiæ esse fundamentum, & fundamentum esse, nihil aliud esse, quàm summũ esse principem. nam quod in ædificio est fundamentum, id esse in corpore caput, in ciuitate rectorem.* [4] deinde, *quia claues ipsi promissæ essent, & ipsi dictum esset*, Tibi dabo claues regni cœlorum; *ipsum summam habuisse in ecclesia potestatem putat. hæc enim soli Petro dicta esse; & per claues summam designari potestatem. nam cui claues traduntur, eum regem institui, vel saltem gubernatorem ciuitatis.* Atq; hæc ille [5] proilixè, vt oculis legentium caliginem offundat, & fundamentum illud suum papatus, quod alioqui in arena fundatũ est, verborum multitudine suffulciat. Nos breuiter respondebimus, & argumentorũ, seu potiùs inanium verborum, ineptias redarguemus.

[2] *Ibidem.*

[3] *Argumentum Bellar. 1. à loco Matth. 16.*

[4] *Argum. 2.*

[5] C. 10. 11. 12. & 13.

Ad primum [6] respondemus, argumentum multis nominibus nihil valere. Primò, nihil hoc loco datum est Petro,

[6] *Ad argu.1.*

est Petro, sed promissum tantùm. hoc enim & modus loquendi, & tempus futurum de quo Christus, docet, & ipsi aduersarii fatentur. Christus enim non dicit, *Ædifico*, &, *Tibi do*: sed, *Ædificabo*, &, *tibi dabo*. & [1] Bellarminus dicit *promitti hoc loco, quod in alio exhibetur*. Et ratio suadet. nam si hoc loco constitutus esset Petrus summus pontifex; tum posset summus ille ecclesiæ pontifex Christum abnegare, & Satanas vocari: & duo simul esse possent summi pontifices. quod si ergo quod hîc de fundamento & clauibus promittitur Petro, aliàs exhibetur omnibus apostolis: tum nihil hîc singulariter dictum est Petro, quod non ad alios etiam pertinet Apostolos. nam Ioannis 20. omnibus Apostolis simul, & æquo iure datæ sunt claues: & Ephes. 2. omnes Apostoli in fundamento ecclesię æqualiter ponuntur. Atq; vt aliquid Petro singulariter promissum esset; nihil tamen hoc ad ecclesiam Rom. pertineret, aut eius vrbis episcopos. Quomodo enim quod non pertinet ad Apostolos, qui tunc præsentes erant, & quorum personam hoc loco sustinet Petrus, ad ecclesiam & episcopos, qui tunc non erant in rerum natura pertineret?

[1] *Lib. 1. de pontif. Rom. c. 10. in princip.*

Deinde, vt aliquid hoc loco siue datum, siue promissum Petro concedamus: non tamen sequitur summam totius ecclesiæ monarchiā ei donatam, aut promissam fuisse. omnis enim huius argumentationis vis sup metaphoras fundata est. At symbolica theologia, vt fatetur scholastici, nō est argumentatiua. Idē etiam significat Augustin9. *Illa*, inqt [2] ille, *seponēda sūt q̄ obscure sūt posita & figurarū velaminib. inuoluta. & secūdū nos, & secūdùm illos possunt interpretari*. Idē [3] negat, *ea quæ figuratè dicta sunt, rectè intelligi exponiq; posse, nisi prius ea quæ apertissimè dicta sunt, firma fide teneantur*. nusquam autem nobis apertè dictum est, Petrum fuisse summū ecclesiæ monarcham. Postremò, hoc nos ratio docere potest. nam si ex similitudine fundamenti & clauium argumentari liceret; possemus nos ex hoc loco colligere, Petrum non habuisse summam potestatem nam claues dantur à patrefamiliâs œconomo in domo: & ianitor in vrbe claues custodit; quorum tamen non est summa in domo, & ciuitate potestas. & in ædificio

[2] *Contr. Petilian. epist. c. 5.*

[3] *Ibid. c. 16.*

non potest nisi vnum esse fundamentum, & hoc subducto fundamento, ruit ædificium. At Petro mortuo manet ecclesia, & ipso adhuc viuente Christus erat, & perpetuò erit ecclesię fundamentum. Euertetur denique pōtificū Rom. ex hac similitudine primatus. nam si fundamentum fundamento succedere non possit, tum pontifices Roman. in fundamenti ratione Petro succedere non debent, nec possunt.

Præterea, vt metaphoras has admittamus; nihil tamen ex eis firmiter contra nos concluditur. non enim dicit Christus, se super Petrum, sed super petram ædificaturum ecclesiam suam. ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, inquit Christus, οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. atq; ita vertit vetus interpres Latinus, à cuius vestigiis recedere Bellarmino non licet. Neq; ad rem facit, quod Christus Syriacè loquutus sit, & quod Syriacè *Cephas* & Petrū, & petram significet. hanc enim ambiguitatem sustulit Spiritus sanctus, qui super petram dicit ecclesiā fundandam esse, & non super *Petrum*; & petram & *Petrum* disertè distinguit.

Deinde Petrus propriè, & secundùm primariā verbi significationem loquendo, dici non potest ecclesiæ fundamentum. *Fundamentum*, inquit [1] Apostolus, *aliud nemo potest ponere, præter illud quod positum est, quod est Iesus Christus.* Et [2] Isaias fundamenti rationem ad Christum tantùm applicandam docet. *Ecce*, inquit Deus per prophetam, *ponam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, fundamento fundatum.*

[1] *In* 1. *Cor.* 3.
[2] *C.* 28.

Atque ita patres fundamentum intelligunt. *Fundamentum aliud*, inquit [3] Chrysostomus, *nemo potest ponere, præter id quod positum est. super hoc ergo ædificemus, & pro fundamento habeamus, tanquam palmitem vitis: & nullum sit medium inter nos & Christum. quod si medium aliquod intercedit, id quam primùm aboleamus.*

[3] *Hom.* 8. *in* 1. *ad Cor.*

[4] Theophylactus *Christum & verum, & vnicum esse fundamentum affirmat. Fundamentum prophetarum & apostolorum*, inquit [5] *Primasius, Christus est, quia in ipso & fundatur, & consummatur ecclesia.* Neq; sanè aliam petram intelligūt ecclesiæ doctores, quàm Christum, quando

[4] *In* 1. *Cor.* 3.
[5] *In epist.* 2.

quando propriè de ecclesiæ fundamento & petra loquuntur.

Vnum hoc est immobile fundamentum, inquit [1] Hilarius, *vna hæc est felix fidei petra, Petri ore confessa*. Ita etiam Augustinus, *super hanc petram quã confessus es*, [2] inquit, *super hãc petram quam cognouisti dicens, Tu es Christus filius Dei, ædificabo ecclesiam meam. id est, super meipsum filium Dei viui ædificabo ecclesiam meam.* [1] De Trinit. lib.2. [2] Serm.13. de verb. Dom.

Nostræ etiam expositioni suffragantur Gregorius & Bernardus. *In sacro eloquio*, inquit [3] Gregorius, *quãdo in singulari numero petra nominatur, quis alius quàm Christus accipitur, Paulo attestante; petra autẽ erat Christus? In cœlis petra*, inquit [4] Bernardus, *in illo firmitas, atque securitas est. & reuera vbi firma tutaque infirmis securitas, atq; requies, nisi in vulneribus saluatoris?* [3] Lib. moral. 31. cap. 34. [4] Serm. 61. in cant.

Omnes etiam, qui super fidem & confessionem Petri dicunt ecclesiam fundatam esse, Christum intelligunt, quem Petrus confessus est; & non *Petrum*. *Super hanc petram*, inquit [5] Hilarius, *ædificabo ecclesiam meã; intelligit autem confessionem Petri.* Item, *hæc fides*, [6] inquit, *ecclesiæ est fundamentum: per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorũ. hæc fides regni cœlestis habet claues.* [5] Lib. 6. de Trinit. [6] Ibidem.

[7] Ambrosius dicit *ecclesiæ fundamentum* esse fidem. *Petram*, [8] Cyrillus *nihil aliud quàm inconcussam & firmissimam discipuli fidem* esse dixit. [7] Lib. 6. in c. 9. Luc. [8] Lib. 4. de Trinit.

Hæc verba, *super hanc petram*, [9] Chrysostomus ita interpretatur: *in hac fide, & in hac confessione.* & in opere [10] imperfecto: *fortitudo*, inquit, *fides petra est, propter quam Simon dictus est Petrus.* [9] Hom. 55. in Matth. [10] Hom. 7.

In eam etiam sententiam Augustinus: *Quid est*, [1] inquit, *super hanc petram ædificabo ecclesiam meam? id est, super hanc fidem: super id, quod dictum est, Tu es Christus filius Dei viui; super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* [1] Tract. 10. in epistol. Ioan.

[2] Gregorius Nyssenus exponens hæc verba, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; intelligit*, inquit, *confessionem Petri.* [2] In testim. ex vet. Test. delect.

[3] Eusebius Emissenus dicit *ecclesiam non super Petrũ, sed super Christum & fidem in ipsum fundatam esse.* In [3] In hom. in fest. Paul. & Petr.

4 *Lib. 3. de cult. imag.* qua sententia, ne paucos fuisse putemus, [4] Ionas Aurelianensis asserit, *multos & pene omnes per petram super quam ædificata est ecclesia, intellexisse fidem Petri.* Glossa etiam [5] ordinaria, quam vulgò omnes Papistę olim sequuti sunt, *Petrum* dictum petram existimat, non ob primatum, sed *ob fortitudinem fidei, & confessionis constantiam.*

5 *In Matth. 16.*

Rationes denique validissimæ nos docent, *Petrum* propriè fundamentum dici non posse. Nam si super Petrum ecclesia fundata fuisset; tunc cadente & Christum abnegante *Petro*, ecclesia cecidisset. neque enim stare potest ædificium, vacillante & ruente fundamento.

Præterea, homo mortalis & infirmus fuisset fidei obiectum, & firmamentum: quod fieri non potest. [1] *fides enim ex auditu, & auditus ex verbo Christi:* & ecclesia super doctrinam propheticam, & apostolicam à Spiritu sancto reuelatam per fidem fundata est.

1 *Rom. 10.*

Tertiò, vnius ecclesiæ plura essent prima, & propria fundamenta. nam Petrus esset fundamentum reliquis apostolis prælatum.

Quartò, esset vnius fundamenti aliud fundamentum, & sic procederetur in infinitum. Postremò, fuisset ecclesia longo tempore absq; fundamento. diu enim extitit ecclesia ante natum Petrum.

Si autem impropriè loqui velimus, ecclesia etiam super apostolos & prophetas ædificata dici potest. hoc autem ideo fit, quia omnes prædicabant Christum Iesum. & in hoc sensu non tantùm *Petrus*, sed omnes apostoli pariter dicuntur fundamenta ecclesiæ. *superstructi*, inquit [2] Apostolus, *super fundamentum prophetarum & apostolorum.* [3] Ioannes dicit *murum cœlestis Hierusalem habuisse fundamenta duodecim, in quibus scripta erant duodecim nomina apostolorum.* Neque nostra hæc interpretatio noua est. Hieronymus *super omnes apostolos ex æquo ecclesiam ædificatam esse* docet. *At dicis*, [4] inquit, *super Petrum fundatur ecclesia: licèt idipsum in alio loco super omnes apostolos fiat; & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos ecclesiæ fortitudo solidetur.*

2 *Ephes. 2.*
3 *Apoc. 21.*
4 *Lib. 1. aduersus Iouinianum.*

solidetur. verba autem ista Psal. 86. *fundamenta eius in montibus sanctis*, ita interpretatur, vt per montes intelligat apostolos. omnes enim apostoli in hoc fundamento ponendo laborabant: & disertè apostolus Paulus se *fundamentum posuisse* [1] dicit. hanc etiam sententiam probat [2] Theophylactus. *Templum Dei*, inquit ille, *super apostolos & prophetas construitur.*

[1] 1. *Cor.* 3.
[2] *In Eph.* 2.

Frustra ergo Bellar. multis patrum coaceruatis sententiis, docere conatur ecclesiam fundatã fuisse super Petrum. nam etiam si nullũ attulisset probationis genus; hoc tamen nos fateremur, ecclesiam & super Petrum, & super reliquos apostolos quodammodo esse fundatam: non tamen propterea sequitur Petrum ecclesiæ summũ esse monarcham. neq; enim tot possunt esse Monarchæ vno tẽpore, quot apostoli, qui omnes propter fidei confessionem, & Christi prædicationem dicti sunt ecclesiæ fundamenta. Quid, quod non aliter ipsius testes loquuntur? Patres concilii Chalcedonensis, quantum ego quidem reperire potui, nusquam appellant Petrum, *petram & crepidinem ecclesiæ catholicæ*. Verùm vt aliquid huiusmodi dixissent; nihil tamen aliud intelligunt, quàm ipsum fundamentum esse, quod commune est cum aliis Apostolis, & nullam Petro tribuit Monarchiam.

Qui Ambrosio ascribitur [3] hymnus, Petrum vocat *petrã ecclesiæ*. & ita aliquando exposuerat Augustinus. Sed nihil hoc ad rem. nam & alii Apostoli sunt petræ quodammodo & fundamenta ecclesiæ. Præterea, nisi hanc sententiam [4] retractasset, quia malè sonabat, cur eam hîc recitat, & alias interpretationes affert, & hãc refellit? Nec obstat quod potestatem facit lectori eligendi alterutram interpretationem. verba enim illa cum repugnent contextui, glossema esse oportet, vt Gulartius etiam annotauit.

[3] *In hymno laudum diei Dominici. in Breuiar.*
[4] *Lib. retract.* 1. *cap.* 21.

[5] *Origenes* Petrum pro *magno habuit ecclesiæ fundamẽto, & petra solidissima.* sed idem non tantùm reliquis Apostolis, sed etiã quibusuis Christi discipulis tribuit nomen *petræ*. idemque disertè refellit aduersariorum sententiam, qui Petrum existimant singulariter fuisse ecclesiæ fundamentum. *Petra est*, inquit [6] Orige-

[5] *Hom.* 5. *in Exod.*
[6] *Tract.* 1. *in Matth.*

nes, *quicunque est discipulus Christi, & super talem petrã construitur omnis ecclesiastica doctrina. quod si super vnũ istum Petrum tantùm existimas totam ædificari ecclesiam, quid dicturus es de Ioanne filio tonitrui, & apostolorum vnoquoque? num audebimus dicere, quod aduersus Petrum non sint prævalituræ portæ inferorum? an soli Petro dantur claues regni cælorum? verè ergo ad Petrum dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt ei. tamen omnibus Apostolis, & omnibus perfectis fidelibus dictum videtur; quoniam omnes sunt Petrus & petra, & in omnibus ædificata est ecclesia Christi, & aduersus nullum eorum, qui tales sunt, prævalent portæ inferorum.* Propter fidem ergo in Christum filium Dei viui, Petrus appellatur ecclesiæ fundamentum, non propter summam potestatem aut Monarchicum principatum, de quo nihil Origenes cogitabat. neque, si Origeni credimus, possunt pontifices Rom. licèt summam sibi deberi potestatem contendant, esse fundamenta ecclesiæ. neq; enim perfecti sunt, nec fideles.

[1] *In epist. ad Felicem.*

Similiter in Epistola quadam [1] Athanasii nomine edita, dictus est Petrus, *fundamentum*. Sed nos ostendimus quomodo dici potuerit fundamentum, & tamen nihil inde lucretur Bellar. Præterea, respõderi potest, instrumẽtum hoc ab ipso productũ manifestas habere notas falsitatis. dicit enim eius author, *Romæ* primò *euangelium prædicatum fuisse:* quod nunquam dixisset Athanasius. Præterea, appellationes ex decreto concilii vndique ad episcopum Romanum fieri debere contendit; quod ex actis concilii Niceni & Africani sexti planè refellitur. Tertiò, *Felici* episcopo Roman. quem ab Arrianis intrusum fuisse constat, viuente *Liberio*, summas tribuit laudes; quod *Athanasius* nunquam facturus fuisse videtur. Quartò, Latinè primùm edita fuisse videtur hæc epistola, vt ex allusione *verticis*, ad verbũ *vertuntur*, planissimè colligitur. at Athanasium Latinè scripsisse nemo dixerit non planè imperitissimus. Postremò, nũquam mutasset Athanasius verba Christi, vt hic facit. dicit enim, *Tu es Petrus, & super fundamentum tuum.* at Christus dicit, *Tu es Petrus, &*

trus, & super hanc petram. Quod si ergo scienter vsus sit hoc falso instrumento Bellar. necesse est eum [1] falsarium esse.

[2] Basilius *Petrum propter fidei excellentiam ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepisse* dicit. Sed hoc contra Bellar. facit. non enim vt monarcha ecclesiæ, sed propter alias causas, nempe propter fidei excellētiam accepit hanc dignitatem. Impropriè ergo Petrus fundamentum dictus est. nam *etiamsi petra sit*, inquit [3] Basilius, *non tamen vt Christus petra; sed vt Petrus, petra.* neque tantùm Petrus, sed etiam alii Apostoli ecclesiæ ædificationem in se susceperunt.

His consentanea dicunt Nazianzenus & Epiphanius. *Petrus*, inquit [4] Nazianzenus, *petra vocatur, eique ecclesiæ fundamenta concreduntur.* Similiter [5] Epiphanius dicit *Petrum constitutum fuisse petram, supra quam ecclesiā Dei ædificata est.* sed neuter propriè loquendo, eum petræ appellationem mereri dicit. [6] ille enim solum *Christum petram dici affirmat, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiem præstat*: iste propriè loquens [7] *Christum vocat columnam & petram, quia fundamentum est veritatis & salutis.* quo quidem modo *Petrus* petra appellari non potest. Quomodo ergo dicetur ille *petra* secundùm patrum sententiam? nempe quia in petra solidatus est, & alios Christum prędicando ad petram adduxit.

De Chrysostomo iam diximus, quomodo ille *super Petrum ecclesiam ædificatam* [8] dixit: & quomodo *Petrum* [9] *ecclesiæ basin* appellarit: nempe propter [10] fidei confessionem, & fortitudinem, & quia Christo fidei basi solidissimæ firmiter inhæsit, non autem quia super hominem ecclesiam ædificatam censuit.

[1] *Cyrillus*, [2] *Psellus*, [3] *Theophylactus*, [4] *Euthymius*, & fortasse plures quàm ipse legit Bellar. appellant *Petrū fundamentum & petram ecclesiæ.* sed non excludunt reliquos apostolos, nec alio nomine Petrum ita dictum existimant, quàm propter fidei firmitudinem & confessionem. hoc enim ex iis, quæ ex Cyrillo & Theophylacto attulimus, probatur. Et *Psellus* in loco citato, asserit solum Christum esse caput omnium. Eu-

[1] *L. si falsos. Cod. de falso. & ibi glos. & doctores.*
[2] *Lib. 2. in Eunom.*
[3] *In serm. de pœnitent.*
[4] *In orat. de modest. in disp. seruan.*
[5] *In anchorat.*
[6] *In serm. de fide.*
[7] *In hæres. Areiomanit. c. 69.*
[8] *Hom. 55. in Matth.*
[9] *Hom. 4. in c. 6. Isai.*
[10] *Hom. 83. in Matth. & in serm. de Pentecost. & in psal 39.*
[1] *Lib. 2. c. 2. in Ioan.*
[2] *In Theodoret. commen. in cant. c. 5.*
[3] *In cap. Luc. 22.*
[4] *In cap. 16. Matth.*

thymii verò sententia ex aliis exponenda est. nihil ergo isti pro Petri Monarchia loquuntur.

Ex Latinis *Tertullianus* primus testis pro Petri Monarchia productus nihil dicit, quod Bellarmini causam cõfirmet. Vocat quidem Petrum [1] *ecclesiæ petram.* sed quomodo hoc intelligendum sit, ex Hieronymi verbis edocemur. *Petra*, inquit [2] ille, *Christus est, qui donauit omnibus Apostolis, vt ipsi petræ vocentur.* [3] Origenes, vt suprà dictum est, *omnes Christi fideles discipulos vocat petras.* propriè *Petrum* petram dici nunquam existimauit Tertullianus. vbi enim propriè loquutus est, *Christum vnicum esse fundamentum in eum credentium* dixit; licèt propter doctrinam fidei idem asserat, *Apostolum nos extruere super veterum prophetarum fundamẽta. timuit*, inquit [4] Tertullianus, *ne super veterum prophetarum fundamenta ædificatio nostra constaret in Christo.*

Secundus testis est [5] Cyprianus. Is *ecclesiam quidem super Petrum ædificatam asserit*: sed idem ecclesiam *super episcopos etiam constitui* [6] fatetur. impropriè ergo loquitur, & doctrinam Petri, aut Christum ab eo prædicatum intelligit; vt etiam quando *super Cathedram Petri ædificatam* [7] dicit. nihil autẽ de Petri Monarchia significat. at Monarchiam eius euertit, vbi omnes apostolos *honore & potestate pares* [8] facit.

Sequitur tertio loco Hilarius, qui Petrũ [9] appellat *felix ecclesiæ fundamentum, & petram.* sed iam ostendimus hoc eum fecisse propter *fidem & confessionem Petri. Vnum*, inquit [10] Hilarius, *hoc est immobile fundamẽtum, vna hac est felix fidei petra, Petri ore confessa: Tu es filius Dei viui.* Ineptè autem cauillatur Bellarmin. *fidem non posse dici ecclesiæ fundamentũ*, vt annotauit [1] Erasmus. Nam prӕterquam quod hoc alienum esset, quid Erasmus senserit disputare; nõ malè tamẽ mentẽ Hilarii exponit, vt ex aliis locis colligitur; nec temere dixit *fidem esse ecclesiæ fundamentum.*

[2] Ambrosius etiam *pro soliditate deuotionis* Petrũ ecclesiarũ petram esse dixit. sed idem alibi explicat sententiam suam. *Fides* [3] inquit ille, *est ecclesiæ fundamentum. nõ enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portæ mortis*

1 De præscript.
2 Lib. 3. in Amos c.6.
3 Tract. 1. in Matth.
4 Lib. 5. cõtr. Marcion. c.6.
5 In epist. ad Quirinum.
6 Epist. 27.
7 C. qui Cathedram. dist. 93.
8 De simplic. prælator.
9 In cap. 16. Matth.
10 Lib. 2. de Trinit.
1 In Hilar. in c.16. Matth.
2 Serm. 47.
3 De incarnat. Dom.

ta mortis ei non praualebunt, sed cõfessio vincit veritatem. Vbi nota contra Bellar. fidem ab Ambrosio dici ecclesiæ fundamentum, quod ipse in Erasmo reprehendit. Omnes etiam ille fideles quodammodo petras vocat. *Enitere*,[4] inquit, *vt tu petra sis; & si petra fueris, in ecclesia eris.* verba autem hæc, *super istam petram ædificabo ecclesiam meam*, ita [5] interpretatur: *in hac catholicæ fidei confessione statuo fideles ad vitam.* Petrus ergo petra dicitur propter Christum, quem fide amplexus est: omnesq; apostoli secundùm [6] Ambrosium *fundamenta* dicuntur.

[4] *Ibidem.*
[5] *In Eph. 2.*
[6] *Ibidem.*

Hieronymus *secundùm metaphoram Petra* rectè dici [7] fatetur, *ædificabo ecclesiam meam super te.* sedem etiam Petri, ab [8] illo *petram ecclesiæ* vocatam dicit Bellarminus, sed hoc contra ipsum facit. nam si sedes Petri sit ecclesiæ fundamentum, tum non Petrus. illud autem quomodo exponendum sit, ex verbis Hieronymi iam antea ostendimus. super omnes enim [1] ille Apostolos *ex æquo* dicit *ecclesiam fundatam esse*.

[7] *In Matth. 16.*
[8] *In epist. ad Damasum de nomine hypost.*
[1] *Lib. 1. aduers. Iouin. & in cap. 6. Amos.*

Petri sedem etiam [2] Augustinus *petram esse pronunciauit*: Petrumq; *fundamentum esse* [3] dixit *ecclesiæ, super quod ecclesiastici ædificii altitudo consurgit.* sed primo in loco intellexit Petri doctrinam. Secũdum locum [4] retractasse videtur, vt antè diximus. manifestè enim in libro Retractationum significat sibi displicere, quod *Petrum* dixerit ecclesiæ fundamentum, idque contra Christi verba. Hoc etiam clariùs alibi significat. *super meipsum filium Dei, viui ædificabo ecclesiam meam: super me ædificabo te, non me super te. nam volentes ædificare homines*, inquit [5] Augustinus, *super homines dicebant, ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ.* Vnde constat Iebusitas, qui super nõ Petrum, sed pontificem Romanum ædificant ecclesiam, & ei se in seruitutem addicunt, non Christi ecclesiam, sed Synagogam antichristi ædificare. Alio etiam in loco clarè contra eos loquitur [6] Augustinus: *Super hanc petram, quam confessus es, ædificabo ecclesiam meam*, inquit ille, verba Christi exponens: Idemq; petram [7] dicit *esse solidum fidei fundamẽtum.* Petrus autem propriè nõ potest dici fidei fundamentum. Verùm vt hæc non dixisset; tamen si non

[2] *In Psalm. contr. part. donat.*
[3] *Serm. 15. de sanctis.*
[4] *Libr. 1. retract. cap. 21.*
[5] *Serm. 13. de verb. Dom.*
[6] *Tract. 124. in Ioan.*
[7] *Lib. 2. de ciuit. Dei. cap. 17.*

aliter Petrum, quàm alios apostolos in fundamento ponit; nihil ille pro Bellar. facit.

[1] Serm. 1. de Petr. & Paulo. [2] Epist. 4. ad Seuerum. [3] Serm. 2. de anniuersar. assumpt. suæ.

Nihil aliud dicunt [1] Maximus & [2] Paulinus, *quàm Petro gratiam datam, vt petra* fieret. [3] *Leo* etiam *Petrum petram & fundamentum* appellat, *eumq; in fortitudine petræ perseuerantem suscepta ecclesiæ gubernacula non reliquisse dicit*. Sed nihil hęc ad stabiliendam Petri monarchiam faciunt. nam non tantùm ea cum aliis apostolis communia erant, sed etiā Petro propter fidei præclaram confessionem, quæ aliis multis conuenit, tributa sunt. Propriè non esse Petrum appellatū petram, ex ipsius *Leonis* sermone constat; qui ideo inscriptus est, *De Petri fide & confessione, super quā ædificata est ecclesia*. Præterea, idem ex sequente sermone colligitur. *super hanc fortitudinem*, inquit [4] *Leo*, *æternum extruam templum, & ecclesiæ meæ cœlo inserenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget. hanc confessionem portæ inferi non tenebunt; mortis vincula non ligabunt*. Apparet ergo Leonem appellationes has Petro detulisse, non alio nomine, quàm propter fidei confessionem, & fortitudinem; & tamen, vt sibi ipsi suffragaretur, solet ille *Petrum* laudare vberiùs.

[4] Serm. 3. de anniuers. assumpt. suæ.

[5] Lib. 6. Epist. 37. ad Eulog.

Gregorius deniq; [5] dicit *sanctam ecclesiā in Apostolorum principis soliditate firmatam esse*. Sed aliud est Petrus, aliud Petri soliditas, quæ in Christo firmata est. neq; enim propter aliud dictus est Petrus petra, quàm propter fidem, & confessionem suam. vnde etiam Gregorius: *Vitam vestram*, [6] inquit, *in petra ecclesiæ, hoc est, in confessione Petri solidate*.

[6] Lib. 4. epist. 33.

Quod ergo patres *Petrum petram & fundamentum ecclesiæ* vocare soleant; nihil est quod Bellar. pro se dictum existimet. constat enim eos impropriè loquutos esse, & vel Petri fidem & cōfessionem, vel ipsum Christum intellexisse. propriè & singulariter Petrum nullus vnquam patrum fundamētum, & petram esse censuit: idq; non temere asseritur, propter authoritates, & rationes iam antea explicatas.

[7] Serm. de Pentecost. [8] Serm. 13. de ver. Dom.

Quinetiam hoc disertè ipsi nonnunquā affirmant. *Non super Petrum; non enim super hominem ædificauit ecclesiam*, inquit [7] Chrysostomus. & [8] Augustinus impro-

probat eos, *qui super homines ædificari volebant*. Nō ergo reprehēdendi sunt Caluinus & Erasmus, qui patrū de Petro dicta interpretantur; sed Bellarm. potiùs, qui patres non admittit seipsos exponentes, & verba propriè & directè ad *Petrū* rapit, quæ ipsi nō nisi obliquè, & modo quodam de Petro intelligenda censuerunt.

Origenes fideles [5] vocat *petram*, quatenus ad ædificationem corporis Christi concurrentes, ædificium quodammodo sustinent. Augustinus, Hilarius, & alii, *Petrum* dictum *petram* existimant, *propter fidei confessionem*. nonnulli autem propter Christum quem confessus est, qui verè *petra* est, *Petrum* fundamentum, & petram dictum putant; vt ex patrum dictis satis ostensum est.

[5] *Tract.* 1. *in Matth.*

At inquit Bellar. *si fideles dicātur petra, idem erit fundamentum & ædificium*. Quasi verò non hoc ipsi de *Petro* & pontificibus suis asserant. nam licèt super Christum fundatos esse putent; non dubitant tamē, quin *fundamentum*, & *petra* dici possint. Ita etiam Origenes censuit posse fideles petram dici, licèt aliàs ad corpus Christi, & ecclesiam pertinerent. Nec ad rem facit quod allegoricè hæc exponat Origenes. nam nec *Petrus*, nisi allegoricè, & per similitudinem dictus est petra: & Bellarminus non plus quàm lapis sapit, qui *petram* Matth. 16. literaliter, & propriè accipiendam censet.

Dicit secundò, *sensum proprium & literalem horum verborum*, super hāc petram ædificabo ecclesiā meam, *hunc esse, vt super Petrum ædificetur ecclesia*. Sed mirum, ni præ studio erga suum pontificem, insaniat. quis enim præter ipsum vnquam dixit hæc verba literaliter esse accipienda, & propriè? Prætetea, quis non videt Petrum & petram distingui? Postremò, vt ad *Petrum* obliquè pertinerēt; nihil tamē illa causam aduersarii afflictam subleuarent. Quod ad primū attinet, omnes vident verba hæc, *petram* & *fundamentum*, accipienda esse figuratè, atq; ita omnes patres, vt suprà ostensum est, exponunt. Bellar. verò vt pontifici regnum acquirat, non aliud molitur, quàm vt Petrus in lapidē conuertatur. Petrū à petra distingui, quòd secundū erat,

ex verbis Christi colligitur: & hoc Augustinus, & alii patres asserũt. Tertium illud necessariò infertur. nam si ad Petrum verba hæc obliquè referantur, & vel fides vel confessio Petri, vel Christus quem Petrus confessus est intelligatur, quod omnes patres, qui hunc locũ interpretantur significant: tum non erit Petrus fundamẽtum directè, aut petra ecclesiæ: multo ergo minùs monarcha erit ecclesiæ. Nec vel pili vnius faciẽdæ sunt Bellarmini argutiæ. nam etsi pronomen (*hanc*) referatur ad proximam aliquam dictionem, & ad eum quem petra designat; & licèt Christus dicat, *Tu es Petrus, & ædificabo, & non ædifico*: tamen per fundamentum rectius est intelligi Christum, vel Christi confessionem, quàm *Petrum*. nam super merum hominem propriè ecclesia ædificari non potest. & Christi confessio proxima est, & à Petro facta fuit, & semp Christus ecclesiam ædificaturus est.

Asserit tertiò *non posse dici, ecclesiam fundari super fidem absolutè.* Quasi verò non satis sit nobis, ecclesiam esse fundatam super fidem, aut cõfessionem Petri cum respectu ad Christum, vt omnis eneruetur argumenti Bellarm. vis & efficacia. Nam quod dicit Bellarm. idem esse dicere, *ecclesiam fundatam esse super Petrum, & super fidem Petri*, atque ita loquutos patres; illud longè secus est. *Petrus* enim per se subsistit; at fides Petri supra Christũ recumbit. Aduersarii contendunt ecclesiam supra Petrum fundatam, velut monarcham: quod nos negamus, patres asserunt fundatam esse super fidem, seu cõfessionem Petri: quod Bellar. hoc loco sæpiùs negat. Postremò, nusquam asserunt patres vel *Petrum obtinuisse, vt esset petra propter meritum fidei, vel esse fundamentum ecclesiæ respectu Petri*, vt Bellar. mentitur. Non *primum*, quia sic omnes, qui habent fidem, mererentur esse fundamẽta ecclesiæ; & quia ineptum esset Patres rationem reddere eius, quod nunquã dixissent; & deniq;, quia hoc ex dictis patrum non colligitur, Non *secundùm*, quia disertè Petrum respectu confessionis Christi, & non suiipsius, fundamentum dictum esse asserunt. Hilarius dicit *Petrũ supereminentem locũ beatæ fidei suæ confessione promeruisse, & inde etiam*

iam claues adeptum esse. At fides respectũ dicit ad Christum, & non in *Petrum*: nemo enim in Petrum credit, nec super fidem Petri fundatus est, quatenus ipse Petrus est. [1] Ambrosius ideo Petro hanc gratiam datam existimat, *vt petra diceretur, quia de petra habuit soliditatem constantiæ, fideiq; firmitatem.* vnde cõstat hoc omne respectu Christi fuisse, quod petræ nomen adeptus esset. Neq; aliquid habet vel Cyrillus, vel Chrysostomus, quod contra nos facit. & sanè valde absurdum esset, super personam *Petri* vel fidem Petri, quatenus in Petro esset, fundatam esse ecclesiam; quoniam omnis firmitas ecclesiæ ex Christo pendet, & fides sine obiecto Christi nulla est, & Petrus hoc tempore quando dictus est petra, infirmus erat, & paulò pòst dictus est *Satanas*, & postremò Christum turpiter abnegauit.

[1] *In Luc. lib. 6. c. 9.*

Tota ergo hæc Bellarmini de fundamento & petra disputatio vana est & inepta euagatio, nec quicquam certò & necessariò concludit. nã neq; ex verbis Christi Matt. 16. colligi potest, *Petrum* esse ecclesiæ fundamẽtum: neque patres aliter existimant esse fundamentũ, quàm quia in Christum filium Dei viui credidit, & eũ confessus est. nec idem est, *esse fundamẽtum*, & *esse ecclesiæ monarcham*; quia omnes apostoli fundamenta dicuntur. Patres deniq; hoc loco *Petrum* fundamentum quodammodo constitutũ dicunt, quia hoc loco Christum confessus est, & Christus dicit ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, tempus præsens designans. [2] At Bellar. disertè negat *Petrum adhuc fuisse fundamentum: hoc enim demum post Christi resurrectionem ei datum fuisse.* Idem etiam [3] fatetur, *Apostolos omnes dici ecclesiæ fundamenta, idque tribus modis*: quod omne pro nobis facit. inde enim probatur, ecclesię fundamentum nõ idem esse, quod monarcham. hæc enim vnius est potestas. at ex ipsius cõfessione omnes Apostoli sunt fundamenta. Respondet ergo [4] Bellarm. *cæteros Apostolos summam habuisse potestatem, vt Apostolos, seu legatos; Petrum verò vt pastorem ordinarium: illos ita habuisse plenitudinem potestatis, vt tamen Petrus esset caput eorum, atque ita vt illi ab illo penderent.* Turrecremata verò adhuc apertiùs rem [5] eloquitur. *Apostolos enim nihil aliud fuisse, quàm cardina-*

[2] *Lib. 1. de pont. c. 10 in fine.*

[3] *Ibid. c. 11.*

[4] *Ibidem.*

[5] *Lib. 1. summæ, c. 80.*

les, & Petrum papã fuisse dicit. Sed hæc nihil aliud sunt, quàm somnia delirantium potiùs, quàm firmamenta disputantium. nos enim ostendimus omnes Apostolos pariter fuisse vocatos, pariterque potestate prædicãdi donatos. Imò Apostoli docent se [6] pariter claues accepisse, & [7] pariter missos fuisse, nec aliqua demõstrari potest Apostoli alicuius in alios Apostolos superior potestas. *At*, inquit Bellarminus, *Petro soli coram aliis dictum est, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Sed nihil hoc ad rem, cùm quæ *Petro* dicta sunt, omnibus Apostolis essent communia. hìc enim claues vni promissæ sunt, at eæ omnibus Apostolis collatæ sunt Ioannis vigesimo, vt etiam ipse fatetur [1] Bellarminus. cur ergo non docet Petrum tantùm esse ordinarium pastorem? cur non ostendit, vbi Apostoli, velut legati, ab eo mandatam iurisdictionem acceperint? cur non probat Apostolos à Petro pendere? cur, inquam, qui aliâs, vbi nihil opus est, adeo redundat, & testium & argumentorum tãtum flumen effundit, hìc aridus est, & inanis, & inops probationum, & planè obmutescit? nonne animaduertit in hoc cardine causam verti? rationes nos flagitamus: ipsa etiam causa summè flagitat. hìc enim in summo discrimine causa pontificis versatur. hinc laus, hinc præmium. cur ergo non se expedit? cur nõ explicat illas suas patrum centurias? cur non in aciem producit argumẽtorum copias? nónne planè se victum fatetur, qui in ardore pugnæ, vbi maximè premitur, clam se ex acie tãquam militem ignauum subducit? Profert tandem [2] Hieronymi testimonium. sed ille vnus est; & præterea pugnam pro Bellarmin. detrectat. nunquam enim dixit ille, *Petrum esse ordinarium pastorem, & reliquos eius esse legatos*, quod Bellarmin. asserit. imò idem *ecclesiæ fortitudinem super omnes Apostolos ex æquo solidatam* dicit, quod Bellarmini causam euertit. Nec ad rem facit, *quod Petrum caput* [3] *dicit constitutum, vt schismatis tollatur occasio*: caput enim dicitur, qui dignitate & ordine primus est, licèt potestatem non habeat in eos qui sequuntur; vt apud Iudæos capita familiarum, & capita tribuum. Apud [4] Ciceronem, primus stirpis author

[6] *Ioan.* 20.
[7] *Matth.* 28.
[1] *Lib.* 1. *de pontif. Rom. c.* 12.
[2] *Lib.* 1. *cõt. Iouin.*
[3] *Ibidem.*
[4] *Pro Blancio, non longè à principio.*

thor dicitur *caput generis*, *& fons*: & in omni negotio caput dicitur, rei gerendæ primus author.

Diluitur secundum Bellarm. pro Petri *monarchia argumentum, fundatum super hæc verba Matth.* 16. Tibi dabo claues. CAP. III.

DE clauibus regni cælorum iam dicendum est. Sed vtinam, qui se Petri loco regni cælorum clauigeros esse iactant, & magnam cælos aperiendi præ se ferunt potestatem; non potiùs distorquendo claues & scripturas, & se, & suos omnes à regno cælesti excluderent. Bellarminus ex eo quia Petro dictum est, *Tibi dabo claues, monarchicam ei potestatem datam* 5 *autumat.* Sed multis nominibus hoc argumentum vitiosum est, & inualidum. nam *primò*, nihil hîc Petro datum est, sed tantùm promittitur, vt ipsi 1 aduersarii fatentur. quid ergo promissionem tantopere vrgent, cùm nec ipsi negare possint, cùm ad præstationem, & promissi solutionem ventum esset, omnibus apostolis datas fuisse, quæ hîc vni promissæ sunt claues? Atq; vt negarent, facilè tamen illud probari potest ex Ioan. 20. & Matth. 18. cap. vbi omnibus apostolis vnà datur potestas ligandi & soluendi, quæ per claues designata est. Quid? cùm nullo loco Petro data est soluendi & ligandi potestas, præterquam in istis duob. idque simul cum reliquis apostolis; num tamẽ ei soli, & pro se tantùm promissas claues dicent?

5 *Lib.* 1. *de pontif. c.* 10. *&* 12.

1 *Ibidem.*

Secundò, nullæ hîc Petro promittuntur claues, nisi quæ immediatè etiam aliis Apostolis à Christo datæ sunt. hoc autẽ nos duob. locis confirmamus. quorum primũ habemus, Matth 18. vbi Christus apostolos alloques; *Amen dico vobis*, inquit, *quodcunq; ligaueritis in terra, erit ligatũ in cælo; & quodcunq; solueritis in terra, erit solutum in cælo.* Alterum apud 2 Ioannem reperimus, vbi Christus ex æquo omnibus apostolis dicit; *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & si quorum retinueritis, erunt retenta eis.* Nemo autem negat hîc agi de potestate clauium. nam etsi clauium propriè sit aperire & claudere; tamen quoniam eis cæli aperiuntur, quorũ remissa sunt peccata, & soluta vincula; & con-

2 *Cap.* 20.

trà, cæli clauduntur eis, quorum peccata retenta sunt, & vincula fortiùs ligata: per potestatem soluendi & ligandi, remittendi etiam & retinendi, potestas omnis clauium aptissimè significatur. Hinc ergo concludere licet, quoniam omnis soluendi & ligandi potestas immediatè à Christo collata est Apostolis simul omnibus; summam ecclesiæ monarchiam, quam per claues aduersarius designari putat, Petro datam non fuisse. Hanc nostram rationem confirmant etiam patres.

3 *In Matth. tract.* 1. *Hoc dictum, Tibi dabo claues*, inquit [3] Origenes, *cæteris quoque est commune*.

4 *Lib.* 6. *de Trinit.* *O sancti & beati viri*, inquit [4] Hilarius de Apostolis loquens, *claues regni cælorum sortiti, & ligandi, atque soluendi in cælo & in terra ius adepti.*

5 *Aduers. Iouinian. lib.* 1. *At dicis*, inquit [5] Hieronymus, *super Petrum fundatur ecclesia: licèt idipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, & cuncti claues cælorum accipiant, & ex æquo super eos ecclesiæ fortitudo solidetur.*

6 *De simplicit. prælat.* Cyprianus parem omnibus apostolis potestatem delatam dicit. *Hoc*, [6] inquit ille, *erant vtique & cæteri apostoli quod fuit* Petrus, *pari consortio præditi & honoris & potestatis.*

Quòd si ergo immediatè potestatem à Christo acceperunt apostoli simul omnes; non erant illi legati Petri, nec erat Petrus, vt dicit Bellar. ordinarius & summus pastor, aut ecclesiæ monarcha. non enim ab ipso vel claues, vel aliam potestatem acceperunt.

Tertiò, nihil hîc Petro datum, aut promissum legitur, quod non etiam reliquorum apostolorum commune erat. hoc enim ex locis scripturæ, & patrum testimoniis antea citatis, quę ostendunt potestatem soluēdi, & clauium ad omnes pertinuisse apostolos, probatur. Idem etiam ex rationibus validissimis infertur. Nam si *Petrus* à Christo, & apostoli à Petro claues accepissent; tum non Christi, sed Petri fuissent apostoli. Præterea, potuisset Petrus potestatem apostolicam eis abrogare. Deinde verisimile est, Spiritum sanctum aliquo loco eos legatorum potestatem accepisse, si quid eius factum fuisset, significaturum fuisse: quod tamen non fecit. Postremò, si hoc ita fuisset; tum apostoli à Petro ordinati fuissent, & mandata accepis-

sent.

ſent. per claues enim intelligunt aduerſarii, ordinem & iuriſdictionem. At hæc nec facta ſunt, nec fieri potuerunt.

Quartò, ſi ſoli Petro clauium ſumma poteſtas data fuiſſet, tanquam Petri, & non vt eccleſiæ, & apoſtolorum perſonam gerenti; tum mortuo Petro vis omnis clauium intercidiſſet.

Poſtremò, per claues non deſignatur ſumma poteſtas. nam tum omnes ſacerdotes, quibus aduerſarii claues datas putant, ſummi eſſent pontifices; & apoſtoli quibus certum eſt claues datas fuiſſe, æquales fuiſſent Petro. Deniq; non reges, ſed ianitores & clauium cuſtodes ſummi eſſent rerumq; moderatores. Quare, etſi claues ſoli Petro fuiſſe datas demonſtrare poſſit Bellarminus; nihil tamen hoc ad ſummum Petri imperium demonſtrandum facit. nam etſi vrbes victæ clauibus traditis ſe dedere ſignificent; alia tamen eſt ratio eccleſiæ, quæ nunquam vinci poteſt, neq; vnquam ſe victam fatetur, & ſe pro ſerua & victa à pontificibus Rom. tractari valdè dolet.

Aduerſus iſta multa [1] argutatur Bellarminus, & ad ſtabiliendum Petri imperium omne ingeniũ, omnem induſtriam, omnem operam, omnes machinas adhibet. Primò, *Petro ſoli claues promiſſas dicit*: idq; ita eſſe ex Petri pronomine & nomine, & cõfeſſionis circumſtantiis, & quia datæ ſunt claues ei cui dictum eſt: *vade poſt me Satana*, probare conatur. Sed hæc in controuerſiam non veniunt. non enim quæritur, an ei ſoli promiſſæ ſint claues; ſed an non etiam in perſona Petri aliis Apoſtolis, & vniuerſæ etiam eccleſiæ promiſſæ ſint. Præterea, quæritur an pro ſe ſolo Petrus Chriſto reſponderit, & an pro ſe ſolo claues acceperit. Et Bellarm. quidem omnia ad ſolum Petrum detorquet, ſed nullum argumentum affert. Nos autem contrà putamus, Petrum non pro ſe ſolo reſpondiſſe, ſed pro aliis etiam Apoſtolis: & propterea claues non ipſi ſoli, ſed omnibus Apoſtolis eſſe promiſſas. noſtramque ſententiam & patres ſuo teſtimonio, & rerum euidentia variis argumentis confirmat. *Petrus*,

[1] *Lib. 1. de pont. c. 12.*

[1] In Matth. 16.
[2] Hom. 55. in Matth. 16.

inquit[1] Hieronymus, *ex persona omnium Apostolorum profitetur, Tu es Christus filius Dei viui.* Similiter[2] Chrysostomus; *Petrus*, inquit, *omnium Apostolorum os, vertex consortii totius, cum omnes interrogati essent, ipse solus respondet.*

[3] Serm. 13 de verb. Dom.
[4] Lib. 1. epist. 3.

[3] Augustinus etiam dicit, *vnum pro omnibus respondisse.* Ea etiam Cypriani videtur esse sententia. *Petrus*, inquit[4] ille, *super quem ædificata ab eodem domino fuerat ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & ecclesiæ voce, respondens ait, Domine, ad quem ibimus?*

[5] Matth. 16.
[6] Ibid.

Hoc etiam ex Christi verbis colligitur. ipse .n. non vnum, sed omnes interrogauit,[5] dicens; *vos, quem me esse dicitis?* nihil ergo verisimilius, quàm, vnum pro omnib. respondisse. quod etiã inde sequitur, quia Christus[6] præcepit discipulis, *vt nemini dicerent*; quòd frustra fecisset, nisi Petri respõsio omniũ fuisset cõmunis.

[7] Tractat. 50. in Ioan.
[8] Lib de agon. Christ. c. 30.
[9] In Ps. 108.
[1] Lib. 1. epist. 3.

Augustinus Petrum nomine ecclesię claues accepisse dicit. *Petrus*, [7] inquit ille, *quando claues accepit, ecclesiam sanctam significauit.* Idem[8] dicit, *ecclesiæ claues regni cælorum datas fuisse, cum* Petro *datæ essent.* Petrum[9] deniq; *ecclesiæ personam gestasse dicit, cum claues acciperet.* Cyprianus[1] etiam *eum ecclesiæ voce respondisse* scribit. quid ergo magis consentaneum & verius, quàm eum qui nomine apostolorum respondit, & figuram ecclesiæ gessit, non proprio, sed communi Apostolorum & ecclesiæ nomine respondisse? Neque ad rem facit, vtrum *parabolicè* an *historicè* figuram ecclesiæ gessit: neque vtrum ipsi soli, an non soli promissæ sint claues; quib. rimis se euasurum putat Bellarminus. nam si ei Apostolorum, & ecclesiæ personam sustinenti dicta sunt; quomodo erunt illa Petri propria? & si non sint propria; quomodo hinc probabitur Petri monarchia? sed præstat fortasse sigillatim Bellarm. dicta excutere.

[2] Col. 648.
[3] Ibid.

Quia negare non est ausus Petrum ecclesiæ personam gessisse;[2] concedit primò, *hoc historicè factum.* Quasi verò non illud fiat verissimè, quod historicè fit. Quia autem hoc ipsi summè aduersabatur;[3] dicit secundò, *eum principaliter pro se accepisse. hoc enim ex notatione personæ & nominis, & aliarum circumstantiarum sequi.* Sed si per *principaliter* intelligat *propriè*, tum

falsum

falsum est quod dicit. nam ipsum pro aliis etiam Apostolis claues accepisse ostendimus. si per *principaliter* intelligat *personaliter*; tum non negamus eum eas accepisse: sed hoc contra nos non facit. nam vt Simon Petrus filius Ionæ, qui Christum confessus est, & cui dictum est, *vade post me Satana*, claues acceperit; non tamen sequitur eum accepisse claues sibi soli, cum ecclesiæ & apostolorum personam sustinuerit.

[1] Negat ergò tertiò, *ecclesiæ fuisse legatum, aut vicarium*. Sed nihil hoc ad rem. nam personam alterius sustinere potest socius, & pro vniuersa societate quilibet è societate respondere potest. atq; hoc in potestate est vel eius, qui negotiũ alterius gerit, vel eius, cum quo negotium geritur. [1] *Col.648.*

Quartò, hæc verba, *Tibi dabo claues*, soli Petro in persona propria dicta fuisse [2] contendit. sed nihil hoc est aliud, quàm negare Petrum sustinuisse personam ecclesiæ & apostolorum; quod patres affirmant, & ipse antea fassus est. [2] *Col. 649.*

Quintò probat, quod nos dicimus, Petrum respondisse omnium Apostolorum nomine: sed [3] dicit tamẽ *respondisse, vt principem, & caput pro omnib. & solum accepisse claues, vt cæteris cõmunicaret*. Verùm nihil hoc est aliud, quàm somnium nobis suũ narrare. ostendat .n. monarcham fuisse, & solum accepisse claues, vt eas aliis communicaret. ostendat, inquam, Petrum aliis apostolis eas communicasse. hîc certamen cernitur. in hoc cardine causa vertitur. Hîc specimen sui ingenii ostendere potest. quid ergo cessat? [3] *Col.650.*

Postea verò displicet ei, quod dixit, *Petrum nomine omniũ respondisse. ipsum enim nescientibus reliquis quid dicturus esset, pro reliquis respondisse.* Qua in re nõ nobiscum tantùm, sed etiam cum Chrysostomo, Hieronymo, & Augustino; imò cũ seipso litigat. Sed videamus quomodo sententiã suam confirmat. *Si nomine omniũ*, inquit ille, *Petrus respondisset; vel id fecisset, quod cæteri hanc prouinciam illi demandassent, vel quod sciret quid illi responsuri essent.* Homo sanè acutus, & perspicax quasi verò nihil aliorũ nomine agamus, quod nõ illi mãdãt, aut nos acturos esse sciãt, & nõ sit in iure etiã *actio*

negotiorum gestorum, cum sponte aliorum negotia suscipimus, quæ nec mandantur, nec sciuntur. Præterea, hoc Petrus diuino instinctu fecit, & propterea nō requiritur mandatum, vel scientia. nihil ergo opus erat, vt *Petrum* subitò respondisse absque aliorū mandato doceret. sed hoc habet Bellar. vbi loquendum erat, tacet: vbi nihil opus est verbis, ibi verborum fundit flumen: hostem non ferit, vmbras verberat.

Ad illud quod diximus, moriente Petro clauiū vim interituram fuisse, si ipsi nullam aliam præter suam
4 *Col. 653.* personam sustinenti promissæ & datæ fuissent; 4 respondet ille, *claues non perire moriente* Petro, *aut alio pontifice Rom. sed manere in manibus Christi, & Christum nouo pontifici eas dare.* sed hæc multo sunt probatu difficiliora, quàm quod in controuersia est. Præterea alienissima sunt à veritate. nam non dedit Christus ecclesiæ, quod ipse ab eadem repetiturus esset, vt hic miserè delirans Iebusita somniat: sed in Petri persona, & apostolis potestatem dedit, quæ non modò viuentibus pontificibus Rom. sed etiam illis sublatis, & semper exerceri potest à Christi ecclesia. Pontifices verò isti nihil habent à Christo; imò nec à Petro. sed quicquid habent, hoc à cardinalibus carissimè mercantur, & turpissimè postea vendunt: claues verò ecclesiæ nec habent, nec eis vti norunt, aut eis opus habent. nam vt ipsi effractis ouilis foribus sine claue ingressi sunt; sic pro arbitratu suo hos excludunt, illos admittunt, & cuncta administrant sine clauium omni potestate.

Ad loca Matth. 18. & Ioannis 20. de potestate ligandi & soluendi, retinendique & remittendi peccata, quam nos Apostolis communiter concessam fuisse as-
1 *Col. 653.* serimus, perplexè loquitur 1 Bellar. sed respondet nihil. Primùm, Origenis, Theophylacti & Caietani varias affert sententias, easque pro imperio suo Iebusitico satis audacter reiicit. sed nec ipse meliora affert. Primò enim asserit, *certum esse, non dari per illa verba Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt; omnem potestatem clauium.* sed vnde hoc scit? & cur non facit etiam nos

certio-

certiores? imò cur non dictum suum probat? hoc sanè quod dicit, nihil est. nam *etsi determinetur potestas illa ad peccata*; tamen erit illa amplissima, cùm non solùm pœnitentia, sed etiã leges & censuræ circa peccata versentur. Præterea, Christus eo in loco ampliorẽ videtur dedisse potestatẽ. ipse enim non secus misit discipulos, quàm ipse a patre missus fuisset, hoc est, cum amplissimis mandatis. atque ita sentiunt patres. *Ita dicit mittere*, inquit [2] Cyrillus, *sicut ipse à patre missus est, vt etiam apostolatus dignitatem ostenderet, & magnitudinem potestatis eorum aperiret.* Illis verbis potestatem ligandi per excommunicationem concedi, dicit Nicolaus [3] Lyra. neque vlla pars potestatis clauium à quoquam excepta videtur.

[2] *Lib. 12. in Ioan. c. 55.*

[3] *In Ioan. 20*

[4] Asserit deinde, *verbis illis quæ habentur Matth.* 18. *nihil dari, sed tantum promitti. non enim esse apostolos factos sacerdotes, nisi in vltima cœna, neque episcopos nisi post resurrectionem.* Deinde ostendit apostolos habuisse clauem iurisdictionis his verbis, *sicut misit me pater, & ego mitto vos:* & ordinis, illis sequentibus, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. vbi autem dictum est *Petro, pasce oues meas*: ipsum constitutum fuisse ordinarium pastorem. [5] Distinguit etiam inter Ligare, & Retinere peccata. *multos enim retinere peccata, qui non possint ligare.* Postremò non alias agnoscit claues, quam ordinis & iurisdictionis. Quæ sanè omnia sunt adeo noua, & veteribus patrib. inaudita, vt nullum pro se testem ex illo numero citare possit; adeoq; absurda, vt si aliquod horum nouorum dogmatũ negaueris, nõ habeat aduersarius quò progrediatur. *Primò*, quis illi dixit, his verbis Matth 18. nihil dari? an Christus nihil dedit, cum ecclesiæ potestatẽ tribuit excommunicandi, & mox, ne ea contemneretur, ostendit eam in cælis confirmari? [1] Chrysostomus *legem hic de fratrib. peccantib promulgari dicit* [2] Glossa ordinaria disertè dicit *potestatem tribui apostolis, vt sciant qui à talibus damnãtur, humanam sententiam diuina corroborari.*

[4] *Col. 655.*

[5] *Col. 654.*

[1] *Hom 61. in Matth.*

[2] *In Matt. 18*

Quæ autem à Bellar. afferuntur pro confirmatione suæ sententiæ, figmenta sunt hominum somniantium potius, quàm solidæ demonstrationes theologicè

disputantium. neq; enim verisimile est, eos qui ad apo-
[3] Luc.6. stolatū [3] vocati sunt, alia opus habuisse ordinatione:
aut summos aposto.os præter officiū apostolatus sus-
cepisse munus episcopatus, quod apostolatu min' est.
Præterea nouum est, claues quas Christus coniunxit
separare: & absurdū, existimare *Petrum* constitui ordi-
narium pastorē per verba illa, *pasce oues meas*; & nō re-
liquos apostolos per illa verba, *prædicate euangelium*;
cum non alia ratione pascantur oues Christi, quàm
per prædicationē euangelii. quæ omnia exemplo *Pau-
li* euertuntur. Paulus eni in ex apostolatus officio ha-
buit potestatē celebrandi cœnam, & vsum clauium, &
pastoris officium sine aliqua alia ordinatione, aut mā-
dato. Sacerdotes autē qui pro viuis & mortuis sacrifi-
carēt, apostoli, aut aliqui alii à Christo nusquam facti
leguntur. Quid, quod valdè pugnat apostolos acce-
pisse à Christo iurisdictionē, & tamē à Petro pendere,
& ab ipso claues accepisse? Patres etiā nō aliud existi-
marūt esse ligare, & aliud retinere peccata. Nihil de-
niq; peruersius, quàm intelligere ordinē & iurisdictio-
nē, illas esse claues de quib. Christus loquutus est, quā-
do dixit Petro, *Tibi dabo claues*. nam claues has Chri-
stū dedisse Petro per verba illa, *Pasce oues meas*: ordinē
autē in vltima cœna, & iurisdictionem per verba, *sicut
misit me Pater*, &c. existimat Bellarm. Multi præterea
habent ordinē, & iurisdictionē, qui nō aperiunt regnū
cælorum, nec sententia sua inde aliquem excludunt.

[4] Col.655. Postea [4] contendit, *solum Petrum pastorem fuisse or-
dinarium: reliquos autem apostolos eius legatos & subditos*
fuisse dicit. Sed meræ sunt istæ offuciæ & nugæ: nus-
quam enim hoc vel ex scripturis probatur, vel ex pa-
tribus. Dictum est quidem Petro soli, *Pasce oues meas*.
sed quod tantidem valet, dictum est etiam omnib. A-
postolis. Præterea, *Petro* soli dictum est, *Tibi dabo cla-
ues*. At *Petrus* sustinuit eo in loco personam Apostolo-
rum, & totius ecclesiæ. Sed quid opus est plura, cum
reliquos omnes Apostolos *Petro* potestate pares fuisse
ostenderimus, & aduersarius nihil afferre possit, cur
illi Petri legati dicendi sint?

Postremò, patrum nobis testimonia è manib. excu-

tere [1] conatur. principiumq; facit à Cypriano. hunc enim licet *parem honorē & potestatem omnibus Apostolis tribuat*, nihil tamen contra suam sententiam dicere putat. Quod mihi nō falsum tantùm, sed etiam mirū videtur. quid n. magis pugnat, quàm *Petrum* fuisse monarcham apostolorū, & tamen parem cū eis potestatem habuisse? nonne qui Papam & Cardinales æqualem habere potestatē diceret, planè desiperet? cur ergo non idem sentiant de Bellar. nostro, qui *Petrum* & apostolos æquales fuisse dicit, & tamē Petrum vult esse monarcham, & tātum superare reliquos apostolos, quantū Papa Cardinales? Sed audiamus tamē quid pro sua sentētia afferre possit. Asserit *omnes Apostolos pares fuisse in Apostolica potestate, & habuisse candē omnino authoritate in populos Christianos, sed tamen non fuisse inter se pares.* quasi diceres non esse pares, qui parem habent in alios potestatem; aut probabiliter affirmari possit, subditos & summos monarchas pares fuisse. Dico ergo hanc responsionem inter paradoxa & mirabilia ponendam esse. quomodo enim possunt esse pares, aut parem in alios habere potestatem, qui sunt potestate impares? Præterea, repugnat hæc responsio menti Cypriani. is enim dicit pari consortio præditos fuisse potestatis, & honoris. at consortium respectum indicat inter socios, & non ad alios. Dicit quidem [2] Leo, *fuisse quandam discretionem potestatis inter Apostolos*. sed hoc planè pugnat cum Cypriano, tantùm abest, vt eius dicta explicet. Prætereà, per discretionem potestatis intelligit Leo prȩeminentiam tantùm, & non Monarchiam, qualem isti cogitant.

Similiter Cyprianus tribuit Petro præeminentiam ordinis & ætatis, nō officii aut potestatis; neq; vnquā dixit, Petrum esse vnum & *solum fundamentum*, *aut vnū caput ecclesiæ*, vt putat [3] Bellar. [4] Dicit quidem *exordium ab vnitate proficisci:* & Romam [5] appellat *Petri cathedram, & ecclesiā principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est*. eandem etiam fortasse *ecclesiæ catholicæ* [6] *matricem & radicem esse dicit*. In epistola etiam ad Iubaianum fortasse *caput & radicem* vocat. Sed nihil omnino hæc pro Petri monarchia faciunt: nec vllo modo

[1] Col. 656.
[2] Epist. 84. ad Anastas.
[3] Col. 656.
[4] De vnit. eccles.
[5] Lib. 1. ep. 3.
[6] Lib. 4. epist. 4.

probant illum vnum *fundamentum, aut caput* fuisse ecclesiæ. imò nec ecclesiæ Rom. vllam maiorem dat prærogatiuam, quam vt metropolis esset. Repetit ergo Bellarminus quæ superiùs allata sunt, de ecclesia super Petrum fundata. sed ad ea satis iam responsum est: adeò vt nihil ex Cypriano afferri posse constet, quod pro Petri faciat monarchia. Quod etiam inde colligitur, quia non dicit Petri cathedram esse radicem ecclesiæ. deinde eum condemnat, qui se *episcopum episcoporum* [1] diceret. quomodo ergo ille ferret pontificem Rom. qui se apostolicum, & vniuersalem totius orbis, & omnium episcoporum episcopum vocat?

[1] *In epist. ad Iubaian.*

Ad [2] Hilarii testimonium dicit, *accepisse quidem omnes Apostolos claues, sed non eodem modo: Petrum enim promeruisse locum supereminentem.* debuit ergo ostendere modi huius diuersitatem. Ex Hilario sanè nulla alia colligitur supereminentia, nisi quod primum locum habuit in Apostolorum catalogo, & eorum personã sustinuit in respondendo. In clauibus nullam ille potuit dicere differentiam, cùm Petro pro omnibus æqualiter datæ essent. Nec obstat quod ipse solus claues accepisset, & *eius arbitrio* [3] *permissæ essent*; quoniam tam pro se, quàm pro aliis eas accepit, & aliorum Apostolorum arbitrio non minùs permissæ sunt.

[2] *Lib. 6. de Trinit.*

[3] *Hilar. in Matth. 16.*

Ad Hieronymi [4] testimonium dicit, *omnes Apostolos claues accepisse, ita tamen vt subiecti essent Petro capiti. atque ita Hieronymum dicere.* Sed de Hieronymo mendacium dicit. nihil enim ille de subiectione apostolorum ad *Petrum* loquitur: imò contrà dicit, *ex æquo super omnes Apostolos ecclesiam esse fundatam.* at fundamentum super fundamentum locari non solet. Nec obstat quod Petrum dicit cõstitutum esse caput. nam hoc factum est respectu ætatis, ordinis, dignitatis & authoritatis, non imperii & potestatis.

[4] *Lib. 1. in Iouinian.*

De *Leone* non multum laborandum est, quid ille pro prærogatiua Petri comminiscatur. solet enim ille de Petro loquẽs omnia vberiùs dicere, vt suffragaretur sibi ipsi. Sed tamen quod [5] dicit ex Christi ad Petrũ verbis, Matth. 16. *Ius ad omnes Apostolos pertransiuisse*, pro nobis facit. neq; enim per Petrum dicit transisse, quasi per

[5] *Serm. 3. de anniuers. assump.*

per medium; sed quasi per actorem omnium nomine respondentem. Ad alia autem duo loca à Bellar. allata dico, quod etiamsi *per Petrum Christus dedit*[6] *quod aliis non negauit*; & ipsi *præ cæteris soluendi & ligandi potestas à Domino*[7] *data* sit; non tamen sequitur Petrum fuisse reliquorum Apostolorum rectorem, aut pastorem. in eius enim persona cæteri potestatem consimilem acceperunt, vt societas & collegium in persona alicuius ex societate & collegio ius acquirere solet. 6 *Ibid.* 7 *Epist. 89. ad Viennēs.*

Ad Augustini testimonia responsurus longam exorditur orationē, & tria annotat; indigna sanè, quæ vel annotentur, vel recitentur, nisi hunc vestigiis persequi quoquò proficisceretur, certum esset. Primùm ait Augustinum, vbi dicit *Petrum figurā ecclesiæ gessisse, quando claues accepit*; *historicè* hoc accepisse, nō *parabolicè*: quod absurdè fingitur, (nam reuera Petrus ecclesia esse non potuit, vt vera sint quæ in historia leguntur) & contra ipsum facit. nam si verè Petrus erat figura ecclesiæ, tū nō accepit nomine suo, sed alieno. Postremò, seipsum & suam sententiā ioculariter disputans euertit. nam si Petrus ita fuit figura vitæ actiuæ, cum audiuit *sequere me*, & cū accepit claues ecclesiæ; vt Ioannes recūbens supra pectus Domini erat figura ecclesiæ triumphātis, & quando dictū est, *si eum volo manere*, vt Augustinus dicit, & hic valde assentitur: tum Petrus parabolicè erit figura ecclesiæ militantis, vt Ioannes triumphantis, quod ipse antea negauit: & Petrus non erit historicè figura ecclesiæ militantis, quia Ioannes verè aut historicè non erat ecclesia triumphās. Nec obstat quod verè Ioānes in pectus Domini in persona sua recubuit: nam redditio similitudinis nō est in cubatione, vt vult Bellar. sed in similitudine Ioannis ad Petrum, quatenus Ioannes erat figura ecclesiæ triumphantis, vt Petrus militantis.

Secundò[1] obseruat, *non hoc velle Augustinū significare, Petrū claues ecclesiæ accepisse, velut legatū nomine regis sui sed velut principē & moderatorē totius ecclesiæ.* Quorū primū alienum est à proposito. neq; enim nos contendimus Petrū Apostolorum fuisse legatum. *Secundum* alienum est à mente Augustini. nā licèt ille Petro con- 1 *Col. 659.*

cedat inter Christi discipulos [2] primatũ, & [3] Apostolatus principatum: nunquam tamen eum reliquorum Apostolorum ita voluit esse principem, vt moderator & rector esset,& pastor ordinarius; quæ Bellarmini est sententia.

[2] *Tract. vlt. in Ioan. & in Psal.* 108.
[3] *Serm.* 23. *de verb. Dom.*

Obseruat tertiò, [4] *Petrũ duob. modis vt summũ præsulem gessisse figurã ecclesiæ, & claues accepisse: primo, vt eas cõmunicaret reliquis præsulib. secundò, vt toti sanctæ ecclesiæ cõmunicarentur.* Sed *primũ* falsum est, omnes præsules à Petri persona habuisse claues. nã de Apostolis hoc loco fatetur aduersarius [5] *eos immediatè à Christo claues habuisse*; & certum est Timotheum & Titũ a Paulo, & nõ a Petro; & multos episcopos ab aliis Apostolis claues accepisse. *Secundum* nouum est, vt omnes sancti dicantur claues in Petro accepisse. neq; .n. omnes sancti propriè soluunt & ligant; & Bellar. & pontificiæ synagogæ de clauib. sententiã planè euertit. illa enim duas tantũ claues admittit, nempe ordinẽ, & iurisdictionẽ; quarũ neutrum permittit omnib. sanctis. itaq; si quid huiusmodi dixerit Augustinus, cõtra stilum & praxim eius synagogæ loquutus est. Dicimus ergò nihil has omnes Bellar. annotationes ad Augustini contra ipsum testimoniũ elidendum valere. omnia enim Augustini verba huc spectant, vt doceat *Petro* ita collatas fuisse claues, vt vnà etiam Apostoli, & ecclesia à Christo eas acciperet. quod etiã ex eo probatur, quia claues sunt ecclesiæ, & non Petri: & quia Apostoli æquè ac *Petrus* claues habuerunt, & ad posteros eas transmiserunt.

[4] *Col.* 659.
[5] *Ibidem.*

Atque ita ruit omnis Bellarm. de clauibus disputatio. sed quoniam ipse ex illis est, qui nec victi tacent, nec deiecti quiescũt, & in clauib. Petro datis summam potestatẽ contineri pertinaciter contendit; de significatione clauium fusiùs nunc differendum est.

Claues Petro *promissas Matth.* 16. *non designare summam ecclesiæ gubernandæ potestatem: aduersus Bellarm. lib.* 1. *de pontif. Rom. c.* 13. CAP. IV.

QVod superiore capite obiter diximus, Claues nõ designare summam ecclesiæ potestatem, hoc loco propter Bellarm. pertinaciam fusiùs & vberiùs dicere

cere & demonstrare instituimus. [1] Asserit enim ille *per claues Petro datas intelligi summam potestatem in omnem ecclesiã: atq; hoc omnes Catholicos tenere.* Nos autẽ contrà, nec summam potestatem in omnẽ ecclesiam per claues designari, nec quenquã virum catholicũ ita opinari putamus; idq; rationib. inducti necessariis. [1] *Col. 661.*

Primò, claues istæ non tantùm Petro, sed etiã cæteris Apostolis datæ sunt. hoc enim [2] Origenes, hoc [3] Hilarius, hoc [4] Hieronymus docet, vt antea ostensum est: neq; quisquam patrum negat. Ne autem aliter Petro, aliter aliis Apostolis datas putemus; [5] verba Christi, quibus claues dedit Apostolis, & quæ omnib. sunt communia faciunt. & [6] Cyprianus ostendit cæteros Apostolos Petro in potestate fuisse pares. at summa potestas plurib. diuisim competere non potest. [2] *In Matth. tractat. 1.* [3] *Lib. 6. de Trinit.* [4] *Aduers. Iouin. Lib. 1.* [5] *Ioan. 20.* [6] *De simpl. prælat.*

Secundò, claues istæ non tantùm Apostolis, sed etiam inferiorib. prælatis datæ sunt. potestas enim ligãdi & soluendi omnib. pastorib. legitimè vocatis collata est. quod ex verbis Christi Matth. 18. colligitur, vbi potestas soluendi & ligandi non tantùm Apostolis, sed etiam eorum successoribus tribuitur: & ex sententiis patrum probatur. *Christus*, inquit [7] Basilius, *Petrum post se pastorem suæ ecclesiæ constituit, & consequenter omnibus pastoribus & doctoribus eandem tribuit potestatem. cuius signum est, quod omnes ex æquo ligant & absoluunt.* Idem etiam affirmat [8] Chrysostomus, qui etiam dicit *sacerdotis thronum in cælo collocatum.* *Habent*, inquit [9] Hieronymus, *eandem iudiciariam potestatem alii Apostoli: habet & omnis ecclesia in episcopis & presbyteris.* Neq; sanè opus est verbis, cum & scholastici theologi hoc [1] doceant, & aduersarii illud negare non possint. *Aliis videtur*, inquit Petrus Lombardus, *quod & mihi placere fateor, cunctis sacerdotibus hanc clauem dari, scilicet ligandi & soluendi.* Non potest ergo summa esse potestas, quæ omnib. sacerdotib. debetur: neque potest hic nodus tam facilè solui. Nam licèt aduersariis concederemus summã Petro datam potestatem; ea tamen per claues designari non potest, quæ inferioribus sacerdotibus communicantur. inferiores enim magistratus non possunt habere summam po- [7] *In ascet. c. 22.* [8] *Homil. 5. in Isai.* [9] *In Gloss. ord in c. 16. Matth. & Raban. ibid.* [1] *In 4. sent. dist. 18. & 19.*

testatem: nam ita summi essent, & non ampliùs inferiores.

Tertiò, siue per claues intelligamus *discernendi scientiam & potentiã iudicandi*, vt [2] magister; siue *potestatem & discretionẽ*, vt [3] Glossa interlinearis; siue *ordinem & iurisdictionẽ*, vt Bellar. & recentiores fere omnes Iebusitæ & Papistæ; siue, vt nostri doctores, *potestatem remittendi & retinendi peccata*: nullo modo per claues designari potest summa potestas in omnem ecclesiam. nam inferiores prælati & pastores habent discernendi scientiam, & potestatem iudicandi, & ius ordinandi, & iurisdictionem, & qui verè sunt pastores, illi remittunt & retinent peccata; idque non tantum prædicatione, sed etiam authoritate pastorali. imò multò hæc omnia vberiùs & magis legitimè sunt in episcopis & presbyteris, quàm in pontificibus Rom. qui etsi nec rectè discernant, nec rectè iudicent, nec retineant, nec remittant peccata; summam tamen, imò magis quàm summam sibi arrogant in ecclesia potestatem. Ad hoc argumentum respondere conatur Bellarmin. & multa dicit, sed nihil ad propositum [4]. Dicit primò, *non esse verum, claues promissas Petro Matth.16. datas fuisse illi Ioan. 20. amplius enim esse ligare & soluere, quàm remittere, & retinere peccata*. sed nihil hoc contra nos facit. siue enim Petro ibi datæ sint, siue non sint claues; summa potestas per eas non significatur. Deinde, siue amplius sit ligare & soluere, quàm remittere peccata & retinere, siue minus; non potest summa potestas in omnem ecclesiam per hanc soluendi & ligandi potestatem designari, cùm ea inferioribus ecclesiæ pastoribus competat. Deinde, falsum vtrobique dicit. nam omnes interpretes Ioan. 20. omnibus Apostolis communiter datas claues autumant. [5] Cyrillus super hæc verba, *Sicut misit me Pater*, & sequentia, ita ait: *Ordinauit his verbis orbis doctores, & diuinorum mysteriorum ministros*. Glossa [6] ordinaria ibidem claues datas omnibus Apostolis dicit. & sanè nisi hîc Petrus claues acceperit; vbi acceperit eas, nescit ipse Bellarmin. nam in verbis, *pasce oues meas*, clauium potestas dari non potest, nisi

2 *Sent. 4. dist.* 18. §. 2.
3 *In Ioan. c.* 20. *verb. quorum remiseritis.*
4 *Col.* 662.
5 *In Ioan. lib.* 12. *c.* 55.
6 *In Ioan.* 20.

nisi idem velit esse euangelii prædicationem, & claues: quod tamen valde & fortiter negat.

Præterea, omnes interpretes hæc æquipollere putant, *ligare & soluere*; & remittere & retinere peccata. *Quos in terris ligauerint, id est*, inquit [1] Hilarius, *peccatorum nodis innexos reliquerint. Peccatorum remissio*, inquit [2] Augustinus, *solutio est. Quorum remiseritis peccata, hoc est*, inquit [3] Glossa ordinaria, *quos dignos remissione iudicaueritis, duabus scilicet clauibus, videlicet potestatis & discretionis:* significās nihil aliud designari per remissionem peccatorum, quàm solutionem per claues. Quod & ratio probat. nam *cum iniquitates nostræ nos à Deo separent*, vt loquitur [4] Propheta; & propter peccata excludantur peccatores è regno cœlorum, & *foris [5] maneāt canes, venefici, impudici & huiusmodi:* necesse est eos quibus peccata remittūtur, solui; & quibus retinentur, ligari; & idem esse ligare & soluere, quod retinere & remittere peccata. Quod etiam authoritate [6] magistri sententiarum probatur, qui promiscuè his vocabulis vsus est; & ratione. nam si aliud esset ligare, aliud retinere peccata: aliudq; soluere, aliud remittere: tum plures essent claues quàm duæ; quod aduersarii non dabunt: aut saltem maior potestas clauium, quàm vulgus hominum Christianorum nouit.

[1] *Can.* 18. *in Matth.*
[2] *In Psalm.* 101. *ser.* 2.
[3] *In Ioan.* 20. *super verb. quorum remiseritis.*
[4] *Isa.* 59.
[5] *Ioan. apoc.* 22.
[6] *Lib.* 4 *sent. dist* 18. §. 3.

Dicit præterea, *falsum esse, nihil esse aliud remittere peccata, quàm euangelium prædicare.* Sed quid hoc ad nos? non enim ita loquitur Caluinus, aut nostrûm quisquam. dicit quidem Caluinus per Euangelii prædicationem remitti & retineri peccata: sed non excludit authoritatem pastoralem in iudiciis ecclesiasticis. Verùm audiamus quid hic sophistellus aduersus Caluinum garriat. Miratur primò, *hoc nulli veterum occurrisse, peccata remitti per prædicationem euangelii.* Quasi verò non disertè verbum Dei 7 appelletur *verbum reconciliationis*, & non omnes simul patres verbi Dei & fidei effectus agnoscant, & fateantur eos, qui credunt, absolui; eos autem, qui non credunt, damnari. Neq; ad rem facit, si nonnunquam potestatem iudiciariam pastoris intelligant, vbi de clauibus loquū-

8 2. *Cor.* 5.

tur. hæc enim rectè cum illa altera potestate consistere potest. Sed si adeo nouum est, & absurdum, vt per euangelii prædicationem claues ecclesiæ designētur; cur Bellarm. per hæc verba, *Pasce oues meas*, existimat, *Petro* claues datas, cum pascere nihil aliud sit, quàm euangelium prædicare?

¹ Col. 663.

¹ Dicit etiam *non sufficere concionem ad reconciliandum.* neque sanè nos dicimus, omnem vim clauium in verbi prædicatione positam esse. hoc nobis sufficit; per verbi prædicationem, & iudiciariam potestatem remitti & retineri peccata. at per ordinem, quem illi clauem esse volunt, nec remittitur nec retinetur peccatum. quid ergo fit? certè per ordines quos vocant, ordines ecclesiæ turbantur, omnisque euersus est ordo.

Quartum nostrum argumentum in eo fundatur, quod licèt claues Matth. 16. *Petro* promissæ essent, nō tamen intellexerunt reliqui apostoli aliquem principatū, aut monarchiam Petro datā aut promissam, nec Christus aliquid huiusmodi datum significauit. At si per claues Petro datus fuisset summus aliquis gradus super reliquos; tum nec apostoli dubitassent, aut contendissent, quis eorum esset maximus. lis enim hæc per donationem Petro factam dirempta fuisset: & Christus dicere potuisset, Nolite contendere, quia Petro monarchiam, & summam in omnem ecclesiam potestatem dedi, aut saltem promisi sed ipsi postea de præeminētia ² contēdebant, & Christus longè aliter quàm hoc modo negotium hoc decidit. ipse enim interdicit principatum hunc Monarchicum apostolis suis, quem pontifices Rom. nunc habent, & *Petro* datum fuisse putant.

² Matth. 18. & Marc. 9. & Luc. 9. & 22.

Respondet Bellar. *Apostolos hoc non intellexisse.* quomodo ergo intelligant Iebusitæ, quod summi non intelligebant apostoli? dicit *eos fuisse rudes, & multa propriè dicta non intellexisse.* scilicet. quasi verò Iebusitę doctiores sint quàm Apostoli, rectiusq́ intelligant mysteria diuina quàm Christi discipuli; & non sit absurdum apostolos non intellexisse quod Bonifacius *necessarium esse ad salutem* ³ diffiniuit.

³ Extr. de Ma. & ob c. vnam.

Dicit

Dicit prætereà *Origenem, Chrysostomum & Hieronymum in c.18. Matth. existimasse eos ex illa suspicione, quam de primatu Petri habebant, inter se contendisse.* Sed nec illi ita dicunt, nec aliquem Petro primatum præterquam præcedentiæ & authoritatis concedunt. Theophylactus ex alia suspicione dicit eos inter se contendisse.

Asserit deniq; *Christum ostendisse Petrum designatum esse principem his* 4 *verbis: qui maior est in vobis.* sed testibus & argumentis hæc probanda erant, nunc nudè res cõtrouersas affirmans, impudentiæ suæ multa nobis præbet argumenta. hoc loco enim Christus, non de vno sigillatim, sed indefinitè loquutus est. Quod autem intellexerit Petrum Luc. 22. per *maiorem*, & *præcessorem*, nemo vnquam fide dignus author dixit, aut scripsit, aut suspicatus est. 4 *Luc.* 22.

Postremum nostrum argumentum est, quòd claues non tam summæ potestatis, quam ministerii in administratione domestica signa esse soleant. hoc autem probatur exemplo ianitorum & œconomorum. illi enim claues custodiunt, vt res Domini saluæ sint domi. illi Dominis suis rationem reddunt.

5 Aduersùs ista suas etiam copias producit Bellar. sed illæ tales sunt, vt hominis arguant summam inopiam. Primum argumentum *à metaphora clauium sumitur. nam Isaiæ* 22. vt ait ille, *describitur depositio vnius summi pontificis, & institutio alterius, ablatione & traditione clauis. Sobnæ enim adempta est clauis, & Eliacim data. Isaiæ etiã* 9 *dicitur, factus est principatus eius super humerum eius. & Apoc.* 3. *Christi principatus per clauem figuratur. & quando vrbes deduntur alicui principi, offerunt ei claues in signum subiectionis. & œconomi in domo potestatem habent à Dominis suis.* Sed multa sunt huius argumenti vitia. 5 *Diluuntur argumenta Bellar. contra nostram sententiam.*

Primò, argumentum à metaphoris & similitudinibus, nisi vbi scripturæ similitudines illas probant, nihil habét firmitatis. Exẽpli gratia: dat Christus Petro claues. Hinc si quis colligeret Christum se aut sua omnia Petro dedere, vt solent victæ vrbes quæ tradunt claues, nonne is planè deliraret? similis etiam est hæc clauis metaphora.

Secundò, nuſquam in catalogo ſummorum ſacerdotum populi Dei, aliqui huius nominis reperiuntur pontifices, circa iſta ſaltem tempora. Nihil de eis [2] Ioſephus, nihil [3] Nicephorus, qui tamen ſucceſſionem pontificum Iudæorum diligenter deſcribit, ſcripſiſſe videtur. ex verbis verò ſcripturæ colligere licet, eos nō fuiſſe ſummos pontifices. Sobnam enim hunc non pontificem, ſed [4] theſaurarium aut [5] ſcribam fuiſſe dicit. eiuſdem etiam loci eius ſucceſſorem Eliacim fuiſſe probabile eſt. *Vatablus Eliacim* aulæ regiæ ex verbis prophetæ præficiendum fuiſſe putat.

2 *Antiq. lib.* 10. *cap.* 11.
3 *Lib.* 2. *c.* 4.
4 *Iſai.* 22.
5 4. *Reg.* 18. *v.* 37. & *c.* 19. *v.* 2.

Tertiò, [6] oſtendimus in ſummo pontifice apud Iudæos non fuiſſe ſummam eccleſiæ adminiſtrandæ poteſtatem. vnde ſequitur clauem illo Iſaiæ loco, licèt pontifici datam poteſtatem ſignificet, ſummam tamē poteſtatem non ſignificaſſe.

6 *Lib.* 1. *c.* 7.

Quartò, in [7] verbis illis, *principatus ſuper humerum eius*, nulla fit alicuius clauis mentio: imò nec ſignificatio. principes enim ſceptra, & non claues in humeris ferre ſolent. Sed Iebuſita hic, quia Petrum Romæ videt depictum cum clauibus in humero; idcirco delirans reges claues in humeris ferre ſolere ſomniauit.

7 *Iſai.* 9.

Quintò, per clauem Dauid poteſtas regia ſignificatur, quæ Petro nunquam conceſſa legitur. erat enim Dauid rex & non ſacerdos. Præterea, claues Chriſtus longè alia ratione habet, quàm ſacerdotes. *Ego ſolus*, [8] inquit Deus per prophetam, *deleo iniquitates, & peccata populi*. Auguſtinus etiam [1] dicit *illum ſolum peccata dimittere, qui ſolus pro peccatis mortuus eſt*. ſacerdotes autem hæc faciunt aliena authoritate, vel potiùs *facta* [2] *demonſtrant*. & plerumq; accidit, vt non ſit rata eorū ſententia. *Aliqui putant*, inquit Hieronymus, *ſe damnare innoxios, & ſoluere noxios, cum apud Dominum nō ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita quæratur*.

8 *Iſai.* 43.
1 *Apud magiſt. lib. ſent.* 4. *diſt.* 19.
2 *Ibidem.*

Sextò, vrbes victæ nullam habēt poteſtatem aliquid dandi, & non ſemper ſummo principi, ſed etiam cuicunq; ſe obſidenti claues dant. nec ex traditione illa clauium principes aliquid ſe putant adeptos. nihil ergo habet hæc ſimilitudo ſimile.

Poſtremò,

Postremò, œconomi per claues nihil aliud accipiunt, quàm ministerium: & Domino rationem reddere tenentur hîc in terris, nedum in cœlis. Præterea, claues dantur œconomo materiales. at claues ecclesiæ spirituales sunt, & [3] spiritualem tantùm potestatem designant. *3 Sent. 4. dist. 18. §. 2.*

Secundum Bellarmini argumentum super verba hæc, *Quodcunq; ligaueris, &c.* fundatur. *ligare enim in scripturis significare Præcipere, & Punire. Matth. enim* 23. *dicit Christus; alligant onera grauia.* vnde intelligere licet, si pontifices Romani hanc suam clauium potestatem tantopere desideratam obtinere potuerint; tum futurum, vt grauia & importabilia onera super humeros Christiànorum ab illis alligentur. Sed illud feliciter accidit, quod hoc argumentum non magis, quàm funis ex arena ligat.

Primò, vt Ligare quandoq; significaret *Præcipere & Punire*; non tamen propterea per ligandi potestatem summa ecclesiæ regendæ potestas designaretur. nam multi præcipiunt & puniunt, quibus tamen summa non competit potestas. [4] Omnes hoc faciunt magistratus, potestas tamen summa in omnibus esse non potest. habentq; inferiores prælati puniendi & præcipiendi potestatem: sed ea summa non est. Lictores denique habuêre ligandi potestatem, licèt ministri essent. *4 Cic. de leg. 3.*

Secundò, falsum est, Ligare Matth. 18. *idem significare, quod Punire, & Præcipere, aut quod Alligare.* nam omnes sacerdotes habent potestatem ligandi & soluendi, qui tamen non habent potestatem leges cõdendi, aut puniendi. neq; possunt onera grauia super humeros aliorum alligare, licèt libenter hoc faciant, & liberos populos ligare miserè discupiant.

Postremò probari non potest, aliquid hoc loco eximiè datum Petro, non enim dixit Christus, Matth. 18. *Quodcunq; alligaueris*, sed, *Quodcunq; alligaueritis*: cõmunem ligandi & soluendi potestatem omnibus dans apostolis. nec Matth 16. vbi dicit Petro, *quodcunq; ligaueris*, alios excludit apostolos. Præterea, antea Bellarminus nihil hîc datum, sed promissum tantùm dixit.

ostendat ergo, vbi exhibitum fuerit, quod hîc promissum est. doceat etiam his verbis datam leges condendi & abrogandi potestatem: nec speret se in Caluini testimonio hanc suam infinitam potestatem occultare posse. nam etsi his verbis excommunicandi potestas data sit, vt putat Caluinus; multi tamen ius habēt excōmunicandi, qui summam potestatem non habent.

Postremum ipsius argumentum authoritate Chrysostomi, & Gregorii nititur. Sed [1] Chrysostomi verba describens, falsi crimine se astringit. non enim dicit, *Petro commissum vniuersum orbem terrarum, & ipsum factum fuisse pastorem & caput totius ecclesiæ*, vt affirmat Bellar. sed *Petrum vniuerso orbi præpositum, & pastorem ecclesiæ futuræ constitutum*. Præterea, hoc argumentum à proposita quæstione alienum est. hoc enim loco agitur de significatione clauium: de quibus ne gry quidem Chrysostomus. Deinde, nihil hoc in loco tribuit Petro, quod non omnibus apostolis commune esset. ipsi enim totius orbis pastores constituti sunt, & eis [2] dictum est, *Ite in vniuersum mundum, &, docete omnes gentes:* non habuerunt tamen, vt aduersarii fatentur, summam in omnem ecclesiam potestatem. De capite ecclesiæ nihil dicit testis iste, licèt instar falsarii eius testimonium de capite proferat caput hoc perfidię & sceleris.

[3] Gregorius dicit, *totius ecclesiæ curam Petro fuisse commissam*. sed nihil hoc ad claues de quibus hoc loco agitur. Præterea, nihil his verbis tribuitur Petro singulariter. omnes enim reliquos Apostolos pares fuisse Petro, & totius orbis curam habuisse demonstratum est.

1 *Homil. 55. in Matth.*

2 *Marc. 16. & Matt. 28.*

3 *Lib. 4. epist. 32.*

Tertium Bellarm. argumentum pro Petri monarchia, fundatum super illa verba Christi, Pasce oues meas, *refellitur.* Cap. V.

TErtium Bellarm. argumentum, quod ille pro Petri asserenda Monarchia, tanquam triariorum subsidium firmissimum in tertio loco collocauit, ex dicto illo Christi ad Petrum, *Pasce oues meas*, omne robur suum trahit. [4] *Nam quia hoc soli Petro dictum est.*

4 *Lib. 1. de pontif. Rom. c. 14. 15. & 16.*

& quia

& quia verbum, Pasce, summam designat ecclesiasticam potestatem; & quia per oues suas Christus vniuersam suā ecclesiam intellexit: ideo summam supra omnem ecclesiam ei datam potestatem existimat. Sed adeo tenui filo hæc omnia pendent, & tam infirmis iuncturis connectuntur; vt licèt se subtiliter disputasse de pascendis ouibus putet, omnibus tamen aliis futiliter nugatus esse videatur.

Nam *primò*, hæc non sunt dicta soli Petro, quia vel solus debuit oues Christi pascere, vel ad eum solū summa pascendi oues cura & potestas spectabat: sed quia solus ter Christum negauerat. *Trina interrogatione & confessione,* inquit [1] Nazianzenus, *trinam reparauit negationem.* Ita etiam aliquot locis docet [2] Augustinus: *Redditur,* inquit ille, *trina negationi trina confessio.* Similiter in libro de pœnitentia: *Numerus,* inquit [3] Augustinus, *legitimus impleatur: ter confiteatur per amorem, qui ter negauerat per timorem.* Et in [4] sermone quodam ait: *Impletur numerus dilectionis, & deletur numerus negationis.*

Hæc etiam suo testimonio confirmat non leuis author [5] Cyrillus. *Altius quiddam,* inquit ille, *hac oratio parturit. nam quoniam cum aliis apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negauit; iure nunc ab eo terna confessio petitur.* Mirum ergo, si ex delicto tantum lucrum; cùm non nisi terna confessione illud purgari posset. potestas certè nulla qualem aduersarii fingunt, his verbis Petro committitur.

Secundò, cura ouium Christi æquè ad alios apostolos, atq; ad Petrum pertinet. Iis enim [6] dictum est simul omnibus, *Docete omnes gentes:* &, [7] *Prædicate euangelium omni creaturæ.* Quid autem aliud est docere, & prædicare euangelium, quàm pascere? *Fidem,* inquit, [8] Tertullianus, *sanctis vocibus pascimus.* Omnes simul apostoli Christi actionum testes erant. *Eritis mihi testes,* inquit [9] Christus, *& in Hierusalem, & in Iudæa, Samariaq; vsque ad vltimas terras.* [10] Paulus dicit *se vrgeri solicitudine de omnibus ecclesiis.* Etiam verba hæc Ioann. 21. non ad Petrum solum, sed ad omnes perti-

[1] In orat. in sanct. Epiph. lumin.
[2] Tract. 123. in Ioan.
[3] de vtilit. pœnitent. c. 1.
[4] Serm. 149. de tempor.
[5] Lib. 12. c. 44. in Ioan.
[6] Matth. 28.
[7] Marc. 16.
[8] Apologet. c. 39.
[9] Act. 1.
[10] 2. Cor. 11.

[1] *Lib. de agon. Christ. c.* 30.

tinent. *Cùm ei dicitur*, inquit [1] Augustinus de *Petro* verba faciens, *omnibus dicitur, amas me? pasce oues meas.* Respondet Bellarm. *hæc verba propriè & principaliter ad Petrum pertinere, ad reliquos autem, quatenus in partem solicitudinis à Petro vocantur.* Sed hoc ridiculè de apostolis affirmatur. Paulus enim licèt nihil à Petro accepisset, solicitudinem tamen habuit de omnibus ecclesiis; & reliquis apostolis omnes ecclesiæ à Christo [2] concreditæ sunt, & non à Petro, vt Bellarminus vigilans somniat.

[2] *Matth.* 28. *& Marc.* 16.

Tertiò, apostoli Petro pascendi non committũtur. vnam enim omnes apostoli habuerunt electionem, vnam ordinationem & missionem, vnam deniq; & parem potestatem. Quid, quod nos apostolos simul claues accepisse, & simul similiter & æquè ac Petrũ fundamenta esse ecclesiæ ostendimus? & sanè si ex Petri ouibus fuissent apostoli; nunquam Petrum Paulus reprehendisset, nec eum reliqui apostoli *Samariam* ablegassent, nec gregem suum eis Christus docendum commisisset, sed omnia vni Petro facienda demandasset.

Quartò, per verbum *Pasce*, non intelligitur summa potestas. nam non tantùm apostoli, sed etiam inferiores pastores gregem Christi & olim pascebant, & nũc pascunt. At inferiores pastores non habuerunt olim, nec nunc habent summam potestatem. Illud & scripturæ, & patrum testimonio probatur. *Pascite*, inquit [1] Petrus compresbyteros alloquens, *gregem, qui penes vos est, eius inspectioni vacantes.* Similiter [2] Paulus ad episcopos verba faciens: *Attendite vos ipsos*, inquit, *& totum gregem, in quo vos Spiritus sanctus constituit episcopos ad pascendam ecclesiam Dei.* Præfecti etiam & præpositi ecclesiarum dicuntur pastores Ephes. 4. [3] Chrysostomus dicit *tum ostensurum aliquem dilectionẽ suam in Christũ, si pascat eius gregem, cùm scriptum sit, Si diligis me, pasce oues meas. Singulis pastoribus*, inquit Cyprianus, *portio gregis ascripta est, quam regat vnusquisq; & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.* Si ergo pascẽdi potestas istis data sit in verbo *Pasce*, nihil est, quod isti summam Petro datam potestatem somnient.

[1] *Petr.* 5.
[2] *Act.* 20.
[3] *Lib.* 2. *de sacerd.*

Quintò,

Quintò, verbo *Pasce* Christus potiùs excitat Petrum ad faciendum, quod ex officio apostolatus ei antea incumbebat, quàm nouam & singularem ei dat potestatem. Nam *Pasce*, non significat, accipe potestatem pascēdi, sed pasce ex potestate iam accepta. omnes enim ille antea simul apostolos cum amplissimis miserat mandatis,[1] dicens: *sicut misit me pater, sic ego mitto vos.* [1] *Ioan.20.* Similiter, qui magistratum iam factum alloquens dicit, *Rege:* & qui milites iam sacramento adactos alloquens dicit, *Pugnate:* is potiùs eos ad officium susceptum faciendum hortatur, quàm nouam eis dat potestatem.

Postremò, si vsus sit optimus verborum interpres; & si ipsi Apostoli hęc Christi verba rectè intellexerūt: tum nulla Petro singularis data est potestas. cū enim in pascendo, laborando, mandando, & reliquis omnibus officii pastoralis partibus parem fuisse cæteris apostolis ostendimus. Paulus [2] dicit *se summis apostolis fuisse parem, & eos nihil sibi contulisse:* quæ omnia fusè antea disputata sunt. [2] *2.Cor.11.*

Aduersùs ista satis longam & operosam orationem texit Bellarm. eiusque subtilitatem sodales ipsius mirantur. sed & aranearum telæ subtiles sunt, quibus tamen nihil infirmius. [3] *Primò*, soli hoc Petro dictum esse contendit, *Pasce oues meas.* sed nihil opus erat in re tam clara tot probationibus. omnes enim ita esse vident, & fatentur. nos etiam causām assignauimus, cur hoc soli Petro dictum fuerit, quam ipse silentio præteriit & celauit. Sed illud in quo causa consistit, nempe gregis pascendi curam ad solum *Petrum* pertinere, docere non potuit: imò nec vnquam docebit: nec sanè verum est. nos enim Apostolos etiam reliquos pariter cum Petro oues Christi pauisse ostendimus. Hoc etiam ad aliorum pastorum curam pertinet. *Pastores sunt omnes*, inquit [4] Cyprianus, *sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascitur.* [5] Augustinus *quod Petro dictum est, pasce oues meas, omnibus dictum* existimat. & illis etiam [6] Chrysostomus suffragatur. Quod autem respondet Bellarm. *episcopos omnes à Petro in partem solicitudi-*

[3] *Lib. 1. de pont. Rom. c.14.*
[4] *De simplicit. prælator.*
[5] *De agon. Christ. c.30.*
[6] *Lib. 2. de sacerdot.*

nis vocatos esse, falsum est, nam Apostoli nihil habuerunt à Petro. episcopi verò non minùs à Paulo & reliquis Apostolis quàm à Petro ordinati sunt. Paulus e-
4 Act.14. piscopos & presbyteros in Asiaticis ecclesiis 4 instituit. idemque Titum Cretensibus, & Ephesiis Timotheum præfecit. Iacobus à Ioanne non minùs, quàm à Petro episcopus Hierosolymorũ cõstitutus est. Smyrnensibus Polycarpum Ioannes solus episcopum dedit. Indis Thomas pastores dedit. Quod autem dicit
5 Serm.3. de anniuers. ass. suæ. 5 Leo, *Petri formam cunctis ecclesiæ rectoribus præpositam*, nihil ad propositum facit: causam verò pontificum Rom. funditus euertit, qui ab hac forma longissimè discedentes, nec pascunt, nec curant Christi gregem, nec Petro vlla in re similes sunt.

6 Lib. 1. de pont. Rom. c.15. *Secundò*, 6 vrget verbum *Pasce*, & dicit *sibi non esse difficile ex voce hac demonstrare summam potestatem Petro tributam fuisse.* Sed si hoc ita esset, malè sibi & causæ suæ consuluit, qui in re tam facili, & tam necessaria hæsit. Rationes ab ipso allatæ rem esse proba-
7 Col.666. tu difficilimam ostendunt. nam quod 7 dicit *Pascere non significare simpliciter, cibum ministrare, sed potiùs procurare & prouidere alteri cibum*, falsum est. cur enim non pascant, qui cibum dant? Præterea, illud ridiculè dicitur. nam si pascant illi, qui cibos tantùm procurant; multò magis, qui cibos distribuunt, & esurientibus frangunt panem. sæpè enim cibus ab aliis præparatus, ab aliis intercipitur, vt fit in synagoga Romana. Christus enim panem vitæ fidelibus in verbo suo præparauit. at pontificum Roman. negligentia & perfidia panis non frangitur, scripturæ populo eripiuntur; eorumque perfidia canes muti & lupi truculenti pastorum cathedras occupa-
8 Luc.12. runt. Verba autem 8 Christi, qui *fidelem dispensatorem esse dicit, qui super familiam constitutus, illis dimẽsum dat in tempore*, eius causam euertunt. ostẽdunt enim œconomos & dispensatores pascere familiã, etiamsi summam non habeant potestatem. nemo autem dubitat, quin pater familiâs sit super œconomum. Præterea, causam pontificum Rom. funditus conuellunt. nam si prudens sit & fidelis dispensator, *qui familiæ dat dimensum*

mensum in tempore: tum illi nec fideles sunt, nec prudentes, quia non dant familiæ dimensum in tempore. & si dispensatores isti nihil aliud sunt, quàm œconomi, serui, & ministri; tum non debent esse Monarchæ, & tyranni.

Simile etiam argumentum est illud à verbi notatione ductum. Nam licèt reges apud [1] Homerum dicantur ποιμένες λαῶν: ridiculè tamen verborum scripturę interpretatio ex poetarum scriptis petitur. Pręterea, licèt ποιμαίνειν Matth. 2. & Apocalyp. 19. significet regere; non tamen necesse est, ita hoc loco significare. Ibidem enim Spiritus sanctus de Christi regno loquitur; hîc autem loquitur Christus de Petri ministerio, & officio pastorali, quod à regno & dominatu longè abesse debet. — [1] *Iliad. 2.*

Nec aliquod ei auxilium afferunt patres. [2] Chrysostomus non tantùm de Petro loquitur, sed etiam de omnium pastorum & episcoporum officio. quare si apud eum vox *Pasce*, significet summam potestatem; tum omnes pastores summi erunt ecclesiæ rectores. *Pastores sunt omnes*, inquit Cyprianus de simplic. prælat. *sed grex vnus ostenditur, qui ab apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.* etsi officium *Petri* explicet per verba Matth. 24. tamen nihil aliud erit Petrus, quàm *seruus prudens & fidelis.* — [2] *Lib. 2. de sacerdot.*

[3] Augustinus dicit *oues esse pascendas, hoc est, regendas & docendas.* Augustinus ad Bonifac. lib. 1. cap. 1. contra 2. Epist. Pelag. dicit *omnibus episcopis communem esse speculam pastoralem:* & [4] Gregorius pastores vocat *rectores.* sed nos hoc non negamus. agitur enim non de quauis pręfectura & regimine, sed de summa Petri potestate, hanc nos ex verbo *Pascere*, probari negamus, illamque patres illi ne attingunt quidem. loquuntur enim de præfectura & cura pascendi oues Christi, quæ cum Petro omnibus pastoribus communis est. — [3] *In cap. 21. Ioan. in ver. pasce.* [4] *Lib. de cura pastoral.*

Postremum [5] argumentum est, *propterea Apostolos & vniuersam ecclesiam Petro commendari, quia oues Christi omnes pascendæ traduntur.* Sed consequentia hæc nihil valet. nam & cæteris apostolis oues Christi — [5] *Lib. 1. de pont. Rom. c. 16.*

concreditæ ſunt, cum dictum eſt eis, *Docete omnes gentes:* non tamen ſummam poteſtatem eis datam concedit Bellar. Præterea, vt oues Chriſti concreditæ eſſent *Petro:* non tamen ſequitur apoſtolos, qui paſtores ſunt ouium, ei concreditos fuiſſe. ipſe enim non vnum elegit, ſed duodecim: nec vnum miſit, ſed omnes apoſtolos. omnium denique Apoſtolorum nomina in fundamentis cœleſtis Ieruſalem ſcripta erant.

[1] *Col. 668.* At [1] inquit ille, *Chriſtus Petro cõmiſit agnos, ouiculas, & oues; & ex hoc myſterio probari poteſt, omnes Chriſtianos Petro fuiſſe commiſſos.* At hoc myſterium nihil aliud eſt, quàm delirantis Iebuſitæ ſomnium, & malè fundatum ipſius commentum. nam in Græco eſt ἀρνία & πρόβατα. & ridiculè conſentientes codices originales ex verſione corruptiſſima corrigere conatur. Verùm vt hanc verſionem probemus; ex hoc tamen non ſequitur per oues intelligi Apoſtolos, nullus dixit hoc patrum: nec ex aliquo indicio illud colligi poteſt; nec hoc argumẽta quæ diximus permittũt. imò [2] Ambroſius non intelligit per *oues* Apoſtolos, ſed viros perfectos.

[2] *In cap. vlt. Luc.*

Dicit præterea, *quia pronomen Meas, additur ad dictionem Oues ſine reſtrictione; idcirco omnes oues intelligi; & ipſi committi vniuerſum ouile, vt ſit vnus paſtor, vt vnum ouile.* Sed nihil aliud ſunt hæc, quàm nugamenta. Apoſtolis in mandatis datur, vt doceant omnes gentes: vnde ſequitur & ouile ipſum Chriſti illis fuiſſe commiſſum. non tamen paſtores intelliguntur vocabulo ouium, vbi de docendis & paſcendis ouibus fit ſermo: relatio enim manifeſtam infert diſtinctionem. Præterea, cum ex metaphora pendeat omnis huius argumentationis vis; non eſt ea extendenda vltra ſcripturæ limites. Poſtremò, impudenter dicit, hanc eſſe ſententiam omnium patrum. neq; enim vnus eorum Apoſtolos Petro tanquam oues commiſſos fuiſſe dicit.

[3] *In Anchorat.* [3] Epiphanius *Chriſti ouile Petro concreditum* dicit: ſed non negat, quin idem reliquis Apoſtolis commiſſum fuerit. [4] dicit enim Petrum *Paulo & Barnabæ dextras dediſſe ſocietatis.*

[4] *Ibidem.*

5 Chryſo-

5 Chrysostomus asserit *fratrum curam Petro commissam fuisse*. sed quis dubitat an & reliquis Apostolis fratrum cura commissa esset? 5 *In Ioan.21.*

6 Ambrosius vocat *Petrum amoris Christi vicarium.* sed aliud est monarcham esse vniuersæ ecclesiæ; aliud, vicarium amoris Christi. omnes enim, qui amorem Christi versùs ecclesiam imitantur, dici possunt quodammodo vicarii amoris Christi. 6 *In c.vlt. Luc.*

7 *Leo*, 8 *Theophylactus*, & 9 *Bernardus* vniuersum mundum Petro commissum prædicant. sed nonne dictum est etiam omnibus Apostolis, *Euntes in vniuersum mundum prædicate euangelium?* Non fuisse Petrum Apostolorum pastorem, nos antea ostendimus. Idipsum & res docet, & consentiens veterum authoritas. non vocauit eos, non elegit eos, nullam eis dedit potestatẽ. imò contrà, omnes pariter 10 missi, & pariter à spiritu sancto 1 docti, & pariter clauibus 2 donati sunt. 3 Paulus se *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum esse Apostolum dicit*. *Confirmat se fuisse discipulum*, inquit 4 Chrysostomus, *nullo hominis interuentu.* Ita etiam 5 sentiunt Ambrosius, Hieronymus, Theophylactus, Primasius, & reliqui patres. nihil ergo in hoc loco præsidii ad summam Petri probandam potestatem reperit Bellarminus. At pontificum Rom. causa hinc funditus & radicitus euertitur. nam dum non pascunt, sed mactant & perdunt Christi oues, ostendunt se non esse Christi amoris vicarios, aut ecclesiæ pastores, aut *Petri* successores, sed potiùs mactatores gregis, & filios eius, qui homicida fuit ab initio, & germanos Antichristos.

7 *Serm.3. de assumpt. sua.*
8 *In c. vlt. Ioan.*
9 *Lib.2. de consider.*
10 *Marc.16.*
1 *Ioan.14. & Act.2.*
2 *Ioan.20.*
3 *Gal.1.*
4 *In Gal.1.*
5 *In Gal.1.*

Ad quartum Bellar pro Petri monarchia argumentum, ex multis eius prærogatiuis ductum, respondetur.

CAP. VI.

SEquitur quartum Bellarmini argumentum ad Petri monarchiam probandam allatum. Quod quidem licèt ex multis Petri prærogatiuis conflatum sit; facilè tamen paucis verbis difflari potest. nihil est enim magis ridiculum, quàm hoc argumentum vni-

[4] Lib. 1. de pont. c. 17. uersum. *Petro nomen mutatum est*, [4] inquit Bellarm. ergo *princeps & monarcha totius ecclesiæ constitutus est*. Similiter *inter Apostolos vel omnes vel aliquos primus numeratur, ipseque solus cum Domino super aquas ambulauit*, & *solus soluit tributum: ergo totius ecclesiæ adeptus est principatum*. Reliqua etiam ab istis prærogatiuis ducta argumenta eiusdem sunt generis; inepta, insulsa, stulta, & risu potiùs quàm accurata aliqua respõsione refellenda. sed hoc meliùs ex singularum prærogatiuarum examinatione constabit. Dictus est quidem Simon, idem *Petrus*. sed nomen non est ei ita mutatum, quin postea & ab [1] aliis, & ab ipso Christo dictus sit Simon. Verùm vt nomen ipsi omnino mutatum esset; non tamen sequitur ipsum propterea factum esse totius ecclesiæ principem. imò nihil Petro hac in re accidit singulariter. nam Pauli etiam nomen non minùs quàm Petri mutatum est; & filii Zebedæi dicti sunt [2] *Boanerges*, & [3] Matthæus primò dictus est *Leui*.

[1] Ioan. 21.
[2] Marc. 3.
[3] Luc. 5.

Ad secundum respondet Bellarm. *Boanerges fuisse potiùs cognomen, quàm nomen*. Quasi verò *Simon* non sit dictus cognomento *Petrus*. ita enim dicit [4] Angelus apud Lucam. *Accerse Simonem quendam, qui cognominatur Petrus*. & Leui semper postea dictus est Matthæus. *At*, inquit [5] Bellarm. *Cephas Syriacè lapidem, Græcè caput significat*. Sed nihil hæc confirmant argumentum à mutatione nominis. Præterea, falsum est Cephas Græcè significare caput. κεφαλὴ enim, & non Cephas, Græcè caput significat. Præterea, fallum est, *Petrum* dictum esse in sacris literis *Petram*. dicit enim Christus, *Tu es Petrus*, & nõ, *tu es petra*. Verùm vt quodammodo diceretur *Petrus, petra* & *caput*, vt existimat ob linguæ imperitiam [6] Optatus, & author epistolæ cuiusdam nomine Anacleti editæ; non tamen sequitur eum propterea totius ecclesiæ monarcham constitutum. nam hæc nomina cum aliis Apostolis communia erant, & inferiores prælati nonnunquam capita dicuntur; & familiarũ principes capita dicti sunt. Leo [7] dicit Christum *assumpsisse Petrum in consortium indiuiduæ vnitatis*. Sed hoc nec ipsi credo papistæ rectè dictum

[4] Act. 10.
[5] Col. 677.
[6] Lib. 2. cõtr. Parmen.
[7] Epist. 89. ad episc. Viẽnens.

dictum defendere audent. neque enim verum est, Petrum in personalem vnitatem, seu in consortium indiuiduæ vnitatis à Christo assumptum. Sed si intellexerit *Leo* nomina Christi propria, quadam significatione facta *Petro* communia, & Petrum quodammodo fuisse *petram* & *fundamentum*, vt ipse [1] quodam in loco dicit; nihil hoc contra nos facit. nos enim ostendimus, hæc nomina aliis Apostolis æquè ac Petro cõuenisse: neq; minus fuisse illos [2] fundamenta ecclesię, quàm Petrum.

[1] *Serm. 3. de anniuers. assumpt. suæ.*
[2] *Ephes. 2. & Apoc. 21.*

Petro etiam datum est, vt sæpiusculè *primus in Apostolorum catalogo poneretur*: attamen *non semper*, vt dicit [3] Bellarm. nam in prima ad Corinth. c.9. ponitur vltimo loco, vt ex istis verbis colligitur; *vt & reliqui Apostoli, & fratres Domini, & Cephas.* Similiter etiam in 1. ad Corinth. cap. 1. *vnusquisque dicit, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego Cephæ.* & 1. Corinth. 3. Siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas. in epistola ad Galat. c. 2. ponitur secundo in loco, in istis verbis: *Cumque cognouissent Iacobus, Cephas, & Ioannes.* In noui Testamenti scripturis, epistolæ Petri post Pauli, & Iacobi collocantur. Iacobus minor ante ipsum ordinatus est Hierosolymorum episcopus, vt dicit Eusebius; & propterea nominari ante ipsum meruit. Verùm vt nusquam non primus poneretur; nonne inter socios, & collegas, & senatores, vnus semper est primus, qui tamen reliquis non præest? inter consules vnus primò renuntiatus est, & ex senatoribus vnus primò rogatus est. [4] Sidrac inter adolescentes tres, qui in ignem coniecti sunt, primus nùmeratur: neque tamen Sidrac sociis suis præfuit, nec primus consul collegæ, nec princeps senatus reliquis senatoribus. cur ergo magis præsit Petrus collegio Apostolorum, etiamsi propter ætatem omnibus præter Andream, & propter dignitatem, & animi fortitudinem simul omnibus præstaret, & omnibus præponeretur? Atque hæc contra Bellarm facerent, etiamsi semper primus poneretur. illud verò multò magis, quod non semper primus ponitur. neq; enim solent principes inter gregales recenseri.

[3] *Col. 677.*
[4] *Dan. 3.*

Respondere conatur ad secundum & quartũ locum [1] Bellarm. & dicit 1. Cor. 1. *Petrum vltimo loco poni propter dignitatem, & Apostolum progredi ascendendo.* Sed absurdum est Paulo dignitate præponi *Apollo:* quod tamen futurum esset, si Bellarmini progressionem admitteremus.

[1] *Col.* 679.

Deinde dicit locum Galat. 1. *corruptum videri. nam [2] Ambrosium, Augustinum, Hieronymum & Chrysostomum non ita numerare, vt habetur in codicibus nunc omnibus.* Sed nihil magis absurdum, quàm codices originales ad scripta interpretum, tanquam regulam ad opus inflectere. & præterea, patres in expositionibus, & numeris, non semper sequuntur ordinem scripturæ.

[2] *In Gal.* 1.

Ad confirmationem argumenti, [3] dicit *Petrum primo loco poni, vt patremfamiliâs, vt ducem, & principem reliquorum.* Sed hæc est futilis ipsius cogitatio. neque enim vt vnus nominetur è collegio, & reliquorum nomina taceantur; propterea necesse est eum ducem esse, & principem collegii, cuius nomen exprimitur. Ex [4] Ignatio recitat, quomodo Christus *post resurrectionem venisset ad eos, qui circa Petrum erant.* Sed deceptus est Bellarm. ex linguæ Græcæ ignorantia. nam vbi Latinè dicimus *Petrus*, Græci dicunt *οἱ ἀμφὶ πέτρον*: & [5] Ioannes narrat eum *Petro* ad mare Tyberiadis apparuisse. Quod autem Petrus ferè semper loquitur nomine reliquorum Apostolorum, nullam hoc potestatem ei datam fuisse arguit. adhuc enim ei promissionem clauium non fuisse completam norunt ipsi aduersarii: sed vbi multi adsunt, necesse est ob vitandam confusionem, vel vnum, vel paucos loqui.

[3] *Col.* 676.

[4] *Epist. ad Smyrnens.*

[5] *Ioan.* 21.

Preterea, Petrus *solus ex Apostolis super mare legitur ambulasse.* vnde Bernardus *eum constitutum esse putat Christi vicarium vnicum, qui cunctis praeesset.* Sed Bernardi, qui tum vixit quando vniuersa ecclesiæ libertas sub pontificum Romanorũ tyrannide oppressa iacuit, in hac re non magna est authoritas. Is, vt pontificum Rom. gratiam aucuparetur, non modò ecclesiam, *sed seculum à Petro administratum esse* [6] dicit, quod

[6] *Lib. 2. de consider.*

quod nec ipsi aduersarii, nisi impudentię suæ freti pręsidio, dicere audent. Ad Bellarm. 7 argumentum respondeo, nihil ipsum facere potuisse stultius, quàm vt concluderet *Petrum factum esse monarchàm, quia super aquas ambulauit:* nam nihil hæc ambulatio ad monarchiam. Præterea, non Petrus tantùm, sed Maurus, & multi alii sancti super aquas ambularunt, vt ipsi narrant. Sunt etiam qui quosdam sub aquis ambulasse [1] dicunt: qui tamen nullam partem ecclesiasticæ politeiæ curarunt.

7 *Lib.* 1. *de pont. Rom. c.* 19.

1 *In vita Dominici, & S. Aido.*

Quarta Petri prærogatiua, inquit [2] Bellar. est, *quod ipse diuina reuelatione primus summa fidei mysteria edoctus est.* At nihil hæc prærogatiua pro summo imperio consequendo facit. neque enim quibus mysteria reuelantur, iis datur imperium. Pręterea, falsum est, quod dicit Bellarm. Ioanni enim Baptistæ ante Petrum de Christi diuinitate reuelatio facta est. Ille vocem Dei è cælo loquentis [3] audiuit: ille [4] testatus est *Christum esse filium Dei.* Neque sanè dubitandum est, quin sanctissima Dei mater se filium Dei in vtero gestasse intelligeret. Angelus enim dixit filium ipsius filium Altissimi vocatum iri. Præterea, nec *Simeon,* nec *Iosephus* cui *Maria* despõsata erat, hoc ignorasse videtur. Quod autem [5] Hilarius, & [6] Chrysostomus, & [7] alii patres vocant Petrum primum fidei confessorem, & nõnulli eorum eum primùm Christi diuinitatem cognouisse asserunt; hoc ideo faciunt, quia tam diserta in scripturis non legitur ante Petrum facta confessio: neque quenquam accepimus fidei hoc caput tam dilucidè exposuisse.

2 *Ibid.*

3 *Matth.* 3.

4 *Ioan.* 1.

5 *In Ps.* 131. *& lib.* 6. *de Trin. & in c.* 16. *Matth.*

6 *Chrys. in c.* 16. *Matth.*

7 *Athanas. ser.* 4. *contr. Arrian. & Cyrillus lib.* 12. *c.* 64. *in Ioan. & August. serm.* 124.

Quintam prærogatiuam Petri Bellar. *in stabilitate ecclesia primùm vniuersæ, deinde Romanæ ipsi promissa, & reuelata. positam dicit.* Sed hoc in loco nimis se ridiculum præbuit. quis enim præter ipsum diceret, veteres prophetas ecclesiæ & regni Christi stabilitatem ignorasse? nonne dicit [8] Isaias futurum, *vt in nouissimis diebus prępararetur mons domus Domini in vertice mõtium, & vt eleuaretur super colles?* nonne dicit [9] Daniel, regnum *populi sanctorum altissimi sempiternum fore?* Similia etiam multa habentur de perpetuitate & stabilita-

8 *Isai.* 2.

9 *Daniel* 7.

tate ecclesiæ in prophetis vaticinia. At Rom. sedis stabilitatem, quam partim iacentem, partim ruentem videmus, nec Petrus vidit, nec quisquam alius videre potuit. prædicit enim Spiritus sanctus [1] Babylonem ruiturã, & Antichristum [2] *Dominus Iesus tandem conficiet spiritu oris sui*: quod nos iam ex parte inchoatũ scimus, & perficiendum fore certò exspectamus. Quod autem dicit [3] Augustinus, portas inferorum nõ præualituras aduersùs cathedram Petri; verum est. sed intellexit ille doctrinam Petri, aut sedem saltem episcoporum Rom. qui doctrinam Petri sequebantur. non autem ipsos episcopos Rom. aut istos recentiores pontifices apostatas, & infideles.

[1] *Apoc.* 18.
[2] 2 *Thes.* 2.
[3] *In Psal. con. part. Donat.*

Quod [4] Petrus *tributum pro Christo & seipso soluit*, hoc non probat Petri principatum. illi enim imperãt qui recipiunt, & non qui soluunt tributum. Nihil est ergo quod Bellarm. hoc inter Petri prærogatiuas numeraret. Sed tanta isti argumentorum fame premũtur, vt vel lapides comesse possint, ipsi sanè omnia, etiam quæ nocent, ad Petrum detorquent. [1] Patres autem, licèt Petrum in hoc ministerio reliquis Apostolis prælatum significent; nihil tamen vnquam de monarchia eius vniuersali somniarunt. [2] Hieronymus disertè dicit, *Dominum errorem Apostolorum aliquid de principatu suspicantium ex didrachma solutione*, intellexisse, & *desiderium gloriæ, contentione humilitatis sanasse*. & sanè absurdum est dicere, Apostolos tantùm errasse, quia principatum secularem somniabant, quod Bellarminus respondet. ambitio enim non minor est, ecclesiæ hanc monarchiam cupere, quàm principatum secularem. Pontifex verò Rom. vtrumque iam adeptus est, adeo vt contra ipsum hæc Hieronymi interpretatio, vel ipsius Bellarmini confessione, aptè quadret.

[4] *Matth.* 17.
[1] *Chrysost. in Matt.* 17. *& quæst. vet. & noui test. apud August. q.* 75.
[2] *In Matth.* 18.

Septima Petri prærogatiua, inquit [3] Bellarm. *sumitur ex cap.* 5. *Luc. & Ioan.* 21. *vbi duo miracula Christi explicãtur. vtrobique enim, & in vtraque piscatione Petrus princeps inuenitur.* At ex principatu super piscatores malè probatur principatus super totam ecclesiam. ex figuris enim istis, quæ pro hominum ingenio variè torquen-

[3] *Lib.* 1. *de pontif. Rom. c.* 20.

quentur, nulla certa duci potest demonstratio. Augustinus ex miraculo Ioan. 21. designari 4 putat ecclesiā triumphantem, *quia soli boni colligentur ad vitam aeternam*. at supra ecclesiam triumphantem Petrus principatum non habet. 4 *Tract.* 122, *in Ioan.*

Praeterea, Petrus bis tantùm piscatum iuisse legitur, isti autem perpetuam ei in omnem ecclesiam dictaturam tribuunt. Postremò, miracula haec extraordinaria erant. At Petrum volunt esse iudicem ordinarium. haec autem rectè non cohaerent. Nec ad rē facit, quod 5 Ambrosius eum *magistrum nauis* vocat, quam solam Christus ascendit. hoc enim aliis Apostolis & pastoribus commune est, vt sint nauium & ecclesiarum suarum magistri. 5 *Sermon.* 11.

Christus etiam, Luc. 22. dixit Petro, *ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. sed nulla hinc colligi potest Petri praerogatiua. Christus enim non pro Petro solo, sed pro omnibus fidelibus rogabat. *Non tantùm*, 6 inquit ille, *pro eis rogo, sed pro eis etiam qui per eorum sermonem credituri sunt in me*. Praeterea, non hoc tantùm Petri est, sed omnium Apostolorum, vt fratres suos in fide vacillantes confirment. Paulus & Barnabas animas discipulorum confirmabant, Actor. 14. Similiter Iudas & Silas confirmarunt fratres, Actor. 15. quid ergo Bellarmino in mentem venit, vt 7 affirmaret, *Dominum his verbis ostendere Petrum fore principem & caput fratrum suorum*? neque enim hoc inde concluditur, nec verba haec ita exponunt patres. 8 Theophylactus ex verbis istis non colligit Petrum esse principē Apostolorum: sed quia princeps erat & petra, & fundamentum, propterea debere eum fratres confirmare. 6 *Ioban.* 17. 7 *Col* 683. 8 *In Luc.* 22.

Similiter 9 *Leo* non ideo dicit Petrum esse principē Apostolorum, quia pro eo Christus orabat: sed contra, ideo Christum pro eo orasse, quia princeps esset. Quis autem sit Petri principatus quem patres ei tribuunt, & quàm diuersus ab eo, quem statuunt papistae, mox dicemus. Interim verò hoc intelligere debemus, nec Leonem, nec *Theophylactum* Petro potestatem & imperium supra Apostolos detulisse, 9 *Serm.* 1, *de anniuers. assump. sua.*

Nona prærogatiua adeo exilis est, vt eius imperii quod isti Petro delatum somniant, molem non ferat. nam licèt Petro Christus ante alios Apostolos post resurrectionem apparuisset; tamen Mariæ Magdalenæ
[3] *Marc. c. vlt.* ante Petrum [3] apparuerat. vnde sequitur, si ex hac apparitione primatus aliquis Papalis probetur, Mariam Magdalenam primatum habere debere. Dicit qui-
[4] *In 1. Cor. 15.* dem [4] Chrysostomus Christum Petro primùm apparuisse, eumque principem vocat: sed hoc aliunde, quàm ex hac apparitione colligit. præterea, principatus de quo Chrysostomus, nihil aliud erat, quàm ordinis dignitas.

[5] *Lib. 1. de pont. Rom. c. 21.* Absurdè etiam dominatum Petri [5] Bellarminus ex pedum lotione colligit. neq; enim cui pedes primùm loti sunt, is dominus est eorum qui pòst lauantur. sunt enim nonnulli, qui Iudam primùm lotum existimant,
[6] *In c. 13. Ioa.* [7] *Ibid.* vt [6] Chrysostomus, & [7] Theophylactus. Et vt Petrus primus fuerit; nihil tamen aliud hoc designare potuit, quàm ipsum ordine fuisse primum. nihil enim facit lotio pedum ad ecclesiæ probandam monarchiam.

Ex vndecima prærogatiua nullus ad Petrum peruenisse videtur honos. Nam etsi *mortem ei soli prædixisset, & ei soli præcepisset, vt sequeretur se*, vt dicit [8] Bellar-
[8] *Lib. de pôt. Rom. 1. c. 21.* minus; non tamen inde sequitur Petro delatum esse principatum ecclesiæ. aliud est enim mortem prædicere; aliud, honoris prærogatiuam deferre. Præterea,
[9] *Ibid.* non videtur hoc verum, quod dicit [9] Bellarminus. nam filiis etiam Zebedæi Christus mortem prædixit,
[1] *Matth. 20.* vbi [1] dicit *eos calicem suum bibituros*; & omnes Christi discipuli Christum sequi tenentur, vt ipse prædixit. *si*
[2] *Marc. 8.* *quis vult me sequi*, inquit [2] Christus, *deneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

[3] *Lib. 1. de pont. Rom. c. 21.* Duodecimam Petri prærogatiuam inde colligit [3] Bellarm. *quod post Christi mortem Apostolos & discipulos conuocauit, & in locum Iudæ alium eligendum docuit. hoc enim velut patremfamiliâs fecisse dicit.* Sed neque certum est, Petrum reliquos conuocasse; neque vt conuocarit, & apud fratres concionatus sit, ideo sequitur ipsum velut patremfamiliâs, & summum moderato-
[1] *Act. 1.* rem ista fecisse. nam apostoli vnà [1] manebant, & perseue-

seuerabant in oratione; & electus est Matthias non ex Petri tantùm voluntate, sed ex reliquorum etiam apostolorum arbitrio. Quod autem Chrysostomus [2] vocat Petrum *principem*; & Occumenius *præsidentiam* ei tribuit; hoc omne contra Bellarm. facit. ostendit enim principatum *Petri* non fuisse imperium, sed tantùm ordinis & ætatis dignitatem. [2] *In Act.* 1.

Decimam tertiam Petri prærogatiuam in eo ponit Bellar. *quod post acceptum Spiritum sanctum primus promulgasset euangelium.* decimam quartam, *quod primum miraculum in testimonium fidei fecisset: decimã quintam, quòd damnauit fraudem & hypocrisin Ananiæ & Saphiræ.* Sed nulla sunt hæc principatus argumenta. non enim qui primus loquitur, potestatem habet super reliquos qui tacent; nec miraculorum operatio cum potestate semper coniuncta est. [3] Deus enim varia dona hominibus distribuit. nec solent summi monarchæ homines occidere: hoc enim ministris demandari solet. In scripturis etiam legimus Paulum & reliquos apostolos multa singulariter fecisse; eos tamen inde monarchas fuisse, nec aduersarii concedunt. *At*, inquit Bellar. *pulchrè notat* [4] *Ambrosius Petrum primum miraculum edidisse, vt ostenderet se fundamentum esse totius ecclesiæ.* At in hoc [5] Bellar. se falsarium esse ostendit. nusquam enim hoc dicit Ambrosius: neque vt dixisset, aliquod inde lucrum ad causam pontificiam accederet. [3] 1. *Cor.* 12. [4] *Serm.* 69. [5] *Lib.* 1. *de pont. Rom. c.* 22.

Decima sexta prærogatiua Petro delata fingitur, *quòd* [6] *transiret per omnes.* decima septima, *quod primus gentilibus* [7] *prædicarit.* decima octaua, *quod pro Petro in carcere constituto orationes* [8] *fierent sine intermissione ab ecclesia.* decima nona, *quod in concilio primus* [9] *loquutus esset.* vicesima, quòd Paulus Hierosolymam [10] ascenderit, *vt videret Petrum.* quæ omnia nihil aliud probant, quàm summam aduersariorum inopiam, qui etiam ex pumice aquam postulant. Summi sanè monarchæ non solent per mundum circumcursare, aut *per omnes transire.* neque qui primi prædicant euangelium, propterea principatum adipiscuntur. nec ex eo probatur Petri principatus, quia vel orationes pro eo [6] *Act.* 9. [7] *Act.* 12. [8] *Ibidem.* [9] *Act.* 15. [10] *Galat.* 1.

fiebant, vel quòd in concilio primus loquutus sit, vel quod ipsum Paulus adierit. Nam Abraham [1] pro Sodomitis orauit: & [2] Samuel pro Saule; & apostolus iubet deprecationes fieri pro regib. imò pro omnib. In [3] conciliis verò non tantùm præsidentes, sed reges & episcopi, & inferiores sæpe actionem exordiri solent. [4] Paulus denique adiit Iacobum, quem tamen superiorem fuisse nemo dicit. & hoc amicorum est officiũ, vt amicos adeant. [1] Oecumenius planè negat Paulum aliquid à Petro accepisse, aut ipsum Paulo maiorem fuisse. Idem etiam dicit honoris causa adiisse, tanquam maiorem.

[1] *Gen.* 18.
[2] 1. *Reg.* 15.
[3] *In concil. Nice Chalced. synod. sext. &c.*
[4] *Act.* 20.
[1] *In Gal.* 1.

Nec obstat, quod Chrysostomus Petrum velut *ducem, exercitum obambulasse* [2] dicit. nam omnes exercitus duces non sunt summi monarchæ. Præterea, non minùs erant reliqui apostoli copiarum Christi duces, quàm Petrus.

[2] *In Act.* 9.

Non obstat secundò, quod [3] Chrysostomus dicit fideles *quæsisse Petrum velut patrem*; & quod eum *os* [4] *apostolorum & principem* vocat: nec quod [5] Ambrosius eum *primum appellet Apostolorum*, & ei *curam ecclesiarũ delegatam* fuisse dicit: nec quod [6] Hieronymus eum *magnæ fuisse authoritatis* prædicat: nec quod dicit [7] Theodoretus Paulum ad *magnum Petrum cucurrisse, vt ab ipso solutionem controuersiæ de legalibus afferret.* hęc enim de Petro dici non negamus: at imperium illã Petri in vniuersam ecclesiam non probant.

[3] *In Act.* 9.
[4] *Hom.* 87. *in Ioan.*
[5] *In c.* 1. *ad Gal.*
[6] *In epist. ad August.* 89.
[7] *In epist. ad Leonem.*

[8] Chrysostomus dicit Paulum Petro fuisse honore parem. *Cùm honore,* inquit ille, *par esset, ascendit tamen ad Petrum, tanquam maiorem.* [9] Ambrosius vocat Paulum *vnanimem Petri coapostolum.* [10] Hieronymus licèt Petrum caput fuisse dicat respectu ordinis, idem tamen *omnes apostolos claues accepisse, & ecclesiam super omnes ex æquo fundatam fuisse* testatur. Paulus se [1] Corinthiorum *patrem* nominat: atq; in eo sensu ab aliis aliquando dicitur princeps, & primus apostolorum, & os apostolorum, & magnus apostolus.

[8] *In* 2. *ad Galat.*
[9] *In c.* 1. *ad Gal.*
[10] *Aduers. Ionin. lib.* 1.
[1] 1. *Cor.* 4.

Præterea, multa hìc falsa colliguntur, vt hoc argumentum fortiùs astringeretur. Nam quod dicit [2] Bellar. *Petrum vt primùm Iudæis, sic postea gentibus euange-*

[2] *Col.* 685.

lium

lium primum prædicasse, mendacium est. nam Christus
euangelium primus promulgauit, posteaq; apostolos *[3] Luc. 6. & 9.*
[3] emisit ad prædicandum Iudæis. multi etiam ex gen- *[4] Act. 2.*
tilib. [4] intererant in festo Pentecostes, *qui audierunt* *[5] Act. 8.*
magnalia Dei, vnusquisq; in lingua sua. [5] Philippus Sa-
maritanis & Eunucho ex vltima Æthiopia euangeliū *[6] Act. 9.*
prædicauit. [6] Paulus *loquebatur gentilibus, & disputa-*
bat cum Græcis. Nec obstat quod *antiquis diebus Petrus* *[7] Act. 15.*
se euangelium gentibus prædicasse [7] dicit; nec quod Hie- *[8] In epist. ad*
ronymus [8] asserit *Cornelium ab apostolo baptizatum* *Saluinam.*
primùm salutem gentium dedicasse; nec quod Chryso- *[9] Hom. 22.*
stomus [9] existimat *Cornelium initium fuisse gentium.* *in Acta.*
nam potuit prædicasse Petrus ab antiquis diebus, &
non tamen primus. Hieronymus verò & Chrysosto-
mus intelligunt Cornelium fuisse primum, quem pu-
blicè baptizatum fuisse, & se ecclesiæ adiunxisse con-
stat.

Falsum est etiam quod dicit *Petrum in concilio Act. 15. primum loquutū fuisse, & hoc Hieronymū in epist. 11. inter epist. Augustini docere.* neq;.n.hoc docet ibi Hieronymus, nec verum est. Lucas enim contrariū eius docet. *Cùm multa disceptatio fuisset*, inquit [1] Lucas, *dixit Petrus.* Illud deniq; ineptissimè à Bellar. conclusum est, *Petrum esse caput ecclesiæ, quia* [2] *dictum est ei, Macta & manduca.* Nam etsi capitis sit comedere, & cibum in ventrem traiicere; non tamen probatur inde Petrum esse caput, sed habere os, vt possit comedere. Præterea, ex allegoriis, vt sæpe admonuimus, nulla duci potest valida argumentatio, nisi quatenus fundamentū habent in scripturis. Neq;.n. probari potest, quia dictum est Petro, *Macta & manduca*, Petrum debuisse oues Christi mactare aut deuorare. nec probanda est pontificum Rom. crudelitas, qui quod dictum est Petro, reuerâ faciunt. ipsi enim mactant oues Christi, & vt lupi crudeles eas vorant, & propterea secundùm Bellar. sententiam dici possent capita ecclesiæ; sed capita qualia habent lupi, qui agnos Christi lacerant, laniant, & comedunt.

[1] Act. 15.
[2] Act. 10.

Affert deniq; [3] Bellarmin. octo alias Petri prærogatiuas, ex variis authorib. collectas. *Nam solū Petrum à*

[3] Lib. 1. de pont. Rom. c. 23. & 24.

Christo fuisse baptizatum; & ordinatum episcopum; solumque Petrum vicisse Simonem Magum; & Romæ sedem Diuino iussu collocasse; solumque à Christo audiuisse hæc verba, venio Romam iterum crucifigi; & solas illas ecclesias habitas esse patriarchales, quæ à Petro fundatæ sunt; & festum celebrari cathedræ Petri; & Petri nomen in literis formatis post nomen Patris & Filii & Spiritus sancti antiquitus scribi solere, prolixè scribit. Sed huic argumento dupliciter respondemus. *Primò* dicimus, aut omnes, aut plurimas ex his prærogatiuis confictas fuisse. *Secundò*, vt veræ essent; non tamen inde probari posse *Petri* imperium in omnem ecclesiam affirmamus.

[4] *Col.* 687.

Bellarm. [4] asserit *quod Christus solum Petrum suis manibus baptizauerit.* At nec certum est eum Petrum baptizasse; nec vt Petrum baptizarit, verisimile est solum à Christo baptizatum fuisse. Illud probatur, primò Ioannis testimonio. *Iesus,* inquit [5] ille, *non baptizabat, sed discipuli eius.* deinde testimonio patrum. *Ipse quidem,* inquit [6] Chrysostomus, *non baptizabat.* Similiter Augustinus ait, [7] *ipsum non tinxisse.* His etiam suffragatur Nonnus. οὐ γὰρ ἄναξ, inquit Nonnus, βάπτιζεν ἐν ὕδασιν, ἀλλὰ μαθηταί. Postremò Euthymius. *Ipsi,* [8] inquit, *baptizabant, non ille. dicit enim in sequentibus euangelista, quod ipse Iesus non baptizabat, sed discipuli eius.*

[5] *Ioan.* 4.1.
[6] *Hom.* 30. *in Ioan.*
[7] *Tract.* 15. *in* Ioan.
[8] *In c.* 3. *Ioan.*

[9] *Niceph. lib.* 2. *c.* 3.

At inquit Bellar. scribit [9] Euodius *Petri successor, ex mulierib. solā virginē, ex viris solum Petrū Christi manib. fuisse baptizatum.* At locum ille non inspexit. neque enim aliquid de virginis baptismo scribit Nicephorus; vnde hæc desumpta feruntur, nec Euodium dicit Petro, sed Apostolis successisse. Verùm vt ex Euodio aliquid huiusmodi de Petro decerpsisset Nicephorus; quis tamen non potiùs credat Ioanni & tot testibus, quàm vni Euodio?

Dicit præterea Euthymium hanc sententiam referre. sed nihil hoc pro Bellar. facit. non tantùm enim refert, sed refellit eam sententiam. Secundum probatur, quia Christus omnes apostolos ex æquo elegit, vocauit, misit. cur ergo si Petrum baptizauit, non etiam reliquos baptizaret? Postremò, ex baptismo non proba-

probatur monarchia, cùm baptismus omniũ sit christianorum, monarchia vnius tantùm.

[1] Asserit præterea *Petrum solum à Christo ordinatum fuisse episcopum, reliquos autem apostolos à* Petro. Sed repugnat scripturæ primò authoritas: deinde, & patres; postremò ratio. Paulus apertè [2] profitetur se *nec ab hominibus, nec per hominem fuisse apostolum.* Lucas [3] ostendit omnes apostolos pariter vocatos, & ad prædicandum missos fuisse. claues simul illis datas fuisse, ex Matth. 18. & Ioan. 20. manifestè colligimus. *Christus,* inquit [4] Cyprianus, *omnib. apostolis post resurrectionem parem potestatẽ tribuit.* Huc etiã pertinent omnia ferè patrũ testimonia, quæ in principio huius libri contra Petri monarchiam allata sunt. [5] Chrysostomus apostolos à Christo missos, & ordinatos dicit. [6] Cyrillus exponens hæc Christi verba, *sicut misit me pater: ordinauit his verbis,* inquit, *orbis doctores, & diuinorum mysteriorum ministros.*

Et sanè nisi à Christo immediatè ordinati fuissent apostoli, tũ non illi à Christo immediatè, sed per impositionem manuũ Petri Spiritum S. accepissent; nec fuissent Christi apostoli, sed Petri episcopi. insuper nõ haberent iurisdictionem à Christo, sed à Petro: quod ipsi [7] Bellar. displicet. Præterea, non accepissent claues à Christo, quod omnes docent patres; sed à Petro. isti enim ordinem dicunt esse clauem. Postremò, non essent episcopi apostolorum successores, nisi Apostoli essent episcopi, & episcopatus munus in apostolatu inclusum esset. Nam quod respondet Bellar. *Apostolos fuisse ordinatos episcopos, & sine ordinatione non ita fuisse;* aduersatur Petri dicto, qui apostolatum Iudæ [8] vocat *episcopatum;* & naturæ apostolatus, qui omnes apices ministerii ecclesiastici in se continet, & maior est episcopatu.

Ad argumenta Ioannis [9] Turrecrematæ, & [1] Bellar. respondeo, Omnes apostolos ad apostolicũ munus vocatos ea omnia habuisse ex ordinatione apostolica, quæ vel ad episcopale munus, vel ad ecclesiæ propagationem & administrationem necessaria erant, etiã sine alia ordinatione. Neq; obstat, *quod vel Paulo impo-*

[1] *Col.* 687.
[2] *Gal.* 1.
[3] *Luc.* 6. & 9.
[4] *De simpl. prælat.*
[5] *In c.* 10. *Matth.* & 10. *Luc.*
[6] *Lib.* 12. *in Ioan. c.* 55.
[7] *Lib.* 4. *de pont. Rom. c.* 23.
[8] *Act.* 1.
[9] *Lib.* 2. *summæ c.* 32.
[1] *Col.* 687.

sita essent manus, Act 13. vel Iacobus minor ordinatus dicitur episcopus Hierosolymorum. nam Paulus in episcopum non est ordinatus, vt fatetur etiam *Leo* contra nos testis adductus; & probatur, quia nulli loco astrictus erat, & quia se vbique apostolum, non episcopum dicit. Vbi autem Act 13. manus ipsi imponebant; non ad episcopatum vocabant; sed secūdùm morem gentis Iudæorum apostoli orantes eum Deo commendabant. Iacobus minor, vt nonnulli aiunt, non erat ex Apostolorum numero. Verùm vt esset Apostolus, non tamen aliud per ordinationem eius intelligitur, quàm quod episcopi partes peregit. & ex reliquorum apostolorum consensu Hierosolymis mansit.

1 *Col. 688.* Ad secundum [1] Bellar. argumentum respondeo, *nec Romanam ecclesiam matrem esse omnium ecclesiarum*; nec vt esset, *propterea omnes apostolos à Petro episcopos esse ordinatos.* Non *primum*, quia ecclesia Rom. filia est ecclesiæ Hierosolymitanæ, & authoritatem ante concilium Nicenum ferè nullam habuit. Non *secundum*, quia licèt Hierosolymitana ecclesia totius ecclesiæ Christianę metropolis esset; nō tamē reliquos ꝓpterea apostolos à Iacobo ordinatos esse necesse est. cur ergo magis reliq apostoli & episcopi ordinētur à Petro?

2 *Epist. 1.* [2] Anaclerus verò commentitius qui dicit *ordinem sacerdotalem à Petro cœpisse*, vel intelligit episcopos suburbicos, vel nullam fidem meretur. quis enim non absurdè ipsum apostolorum sacerdotium a Petro deriuasse videt?

3 *Epist. 91. & 93. inter epist. August.* 4 *Epist. 1. ad Orientales.* [3] Innocentii & [4] Iulii epistolæ commentitiæ sunt, & præterea nihil contra nos loquuntur Dicit quidē ille, Petrum esse *authorē honoris coepiscoporū*: & iste, *beati Petri sedem esse matrem sacerdotalis dignitatis.* sed neuter dicit apostolos à Petro fuisse in episcopos cōsecratos. Cypriani verò locus libr. 4 epist. 8. à falsario isto planè corruptus est. non .n. dicit *Romanā ecclesiam esse matricem & radicē totius ecclesiæ catholicæ*, vt ait Bellar. sed *vnitatem in doctrina esse matricem & radicem: quia quemadmodum omnes res cōcordiâ crescunt, ita & ecclesia.*

Simonem Magum fortasse vicit Petrus. neque enim aliquid certi de ea re habemus, nisi recognitionib. & consti-

constitutionibus Clementis, & huiusmodi fabulis fidē habeamus. Verùm vt Simonē vicerit Petrus; non tamen propterea monarcha erat ecclesiæ. multi .n. vincunt hæreticos, qui nullū tamen propterea gradum honoris adipiscuntur. *Sed decuit,* inquit 5 Bellar. *principem & patrē ecclesiæ, principem & patrē omnium hæreticorū vincere.* quasi verò non etiā dicatur 6 *Paulus* eum vicisse; & non multæ fuerint hæreses ante Simonem Magum; & non ad omnes pastores ecclesiæ pertineret, hæreses eradicare. 5 *Col. 689.* 6 *Niceph. lib. 2. c. 17.*

Vtrùm verò Petrus Romæ sedē aliquā episcopalem posuerit, pòst videbimus. quòd nō Diuino hoc mandato fixerit, certū est. neq; .n. mandatum aliquod eius rei extat, nec fide dignum testimonium. Scripturæ sacræ 7 ostendunt apostolos non in vnam aliquam ciuitatē, sed in vniuersum mundū missos fuisse. 8 *Leo* non dicit *Petrū* ex mandato Dei Romā se contulisse. 1 Maximus Petrū & Paulum *Romæ collocatos fuisse* ostendit; sed de mandato ne verbum quidem facit. Verùm vt mandatum aliquod eius rei extaret; nulla tamen hoc nomine super orbem præeminentia Petro debebatur. quicquid .n. de *Petro* est, *Paulum* certò scimus Romæ euangelium prædicasse, quem tamen propterea nolūt aduersarii aliqua honoris prærogatiua donari. 7 *Matth. 28. & Marc. 16.* 8 *Ser. 1. de natal. Petr. & Paul.* 1 *In serm. de natal. Petr. & Paul.*

Incertum est etiam, an *Petro* ex vrbe fugienti apparuerit Christ⁹, & ea dixerit quæ narrat 2 Hegesippus. neq; enim quem cælos oportet capere vsq; ad secundum ipsius aduentum, rectum est temere è cælis deducere. 3 Ambrosius, & 4 Gregorius, & fortasse 5 Athanasius fabulā ex Hegesippo hauserunt. Verùm vt hoc certū esset, & indubitatum; non tamē inde sequitur Petrum ecclesiæ regnum adeptum fuisse. Nā Christus in omnibus sanctis quodammodo dicitur pati. omnes enim sancti sunt membra corporis Christi mystici, & Christus Saulo ecclesiam persequenti 6 dixit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* non omnes tamen sancti regna & dominationes acquirunt. 2 *Lib. 3. de excid. Hieros. solym. c. 2.* 3 *In orat. cōtr. Auxēt.* 4 *In 4 Psal. pœnitent.* 5 *In apolog. pro fuga sua.* 6 *Act. 9.*

Quod dicit autem 7 Bellar. *solas illas ecclesias habitas esse patriarchales & primas, quas Petrus fundauerat;* multis refellitur argumentis. Nam neque ecclesia 7 *Lib. 1. de pont. Rom. c. 24.*

Romana,aut Alexandrina,aut Antiochena, habita eſt patriarchalis propter Petrũ ; nec illæ ſolæ habitæ ſunt patriarchales,quas Petrus fundauerat. Eccleſia enim Rom. primum honoris gradum adepta eſt, quia vrbs illa ſedes,ac domicilium imperii eſſet. vt teſtantur te-

[8] *Conſtantinop.* 1. c. 5. ſtes locupletiſſimi,patres concilii [8] Conſtantinopolitani & [9] Chalcedonenſis. aſſerunt enim, *τοὺς πατέρας ἀποδεδωκέναι τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πρεσβεῖα διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην*. c. 24. Eccleſia Alexandrina non propter Petrum qui nunquam Alexandriæ vixit,ſed propter vrbis etiam magnitudinem & opulentiam,& opportunitatem, nomen adepta eſt. Antiochena eccleſia non à Petro,ſed à Paulo & [1] aliis fundata eſt. Præterea,non illæ ſolæ habitæ ſunt patriarchales eccleſiæ, quæ à Petro fundatæ erant. patriarchas enim in iis vrbib. conſtituros dicit [2] Clemens, quæ olim primos Flamines habuerunt;& eccleſia Alexandrina, licèt nunquam ibi pedem poſuiſſet Petrus, habita eſt patriarchalis ; & diu ſecundum dignitatis locum inter patriarchales ſedes meruit. Nec ſatis eſt quod dicit Bellarm. *eam à Marco fuiſſe fundatam*:nam ſi Petri diſcipuli eccleſias fundare poſſent patriarchales, tum multæ huiuſmodi eccleſiæ futuræ fuiſſent.

[9] *Cap.* 28.

[1] *Act.* 13.

[2] *Diſt.* 80. c. *in illis.*

Meritò etiam ſedes patriarchalis habita eſt Hieroſolyma,totius Chriſtianæ religionis vera & vnica metropolis.nam ita decreuit [3] ſynodus Nicena,vt epiſcopus Hieroſolymitanus *poſt alios tres patriarchas habeat honorem*: & poſtea totius eccleſiæ conſenſu habita eſt Hieroſolyma ſedes patriarchalis. à [1] Hieronymo eadem Antiochenæ ſedi prælata eſt. Nec obſtat quod contrà ſcripſit ad Pammachium. Hieronymo enim potiùs credendum eſt hiſtoriam ſcribenti, quàm aduerſus inimicum declamanti. *Leonis* cõtra Iuuenalem ſtudium,teſtimonium ipſius aduerſus [2] Hieroſolymitanam eccleſiam leue facit. quicquid ille ſenſerit,hoc certum eſt, poſtea ſedem hãc ab omnibus patriarchalem iudicatam.

[3] *C.* 7.

[1] *In Præfat. in Chron. Euſeb.*

[2] *Epiſt.* 62. *ad Maxim.*

Præterea, Antiochena vrbs habita eſt patriarchalis ſedes, licèt eccleſia ibi à Barnaba, Simone Nigro, & Lucio Cyrenenſi, & non à Petro [3] fundata eſſet: & li-

[3] *Act.* 13.

cèt postea Petrus eius vrbis episcopus fuisse dicatur; translata tamē inde Petri Cathedra, vt loquitur *Marcellus*, dignitas ecclesiæ non cessauit. Constātinopolis etiam & Aquilegia patriarchalem adeptæ sunt dignitatem; licèt illa tempore Petri hoc nomen non habuisset, & hæc à Petro nihil accepisset.

Omnes deniq; ecclesiæ quib. [4] primates præsident, sunt etiam patriarchales. *Idem est patriarcha & primas*, inquit Glossa dist.80.c. vrbes. & probatur dist. 99. c. 1. omnes tamen has Petrus non fundauit.

Huc accedit, quod Petrus quasdam ecclesias fundasse dicitur, quæ tamen nullo in honore fuerunt. [5] Ioppensem .n. & Liddensem per se, & multas per discipulos fundauit ecclesias. vt [6] Rauennę, & in [7] Sicilia, quę nullam propterea meruerunt dignitatem.

Verùm vt propter Petrum patriarchalis sedes dignitatem adipisceretur; non tamen propterea sequitur *Petro* delatum esse in totam ecclesiam principatum. Gregorius [8] dicit *solam principis Apostolorum sedem in authoritate conualuisse*. euersas tamen videmus Antiochenæ & Alexandrinæ ecclesiæ sedes, quas ille [9] *Petri fuisse* putat.

Festum cathedræ Petri pontifices Rom. rerum potiti seruari mandarunt, & plebs credula recepit. sed antiquitus hoc festum locum non habuit. nam sermo ille 15. de sanctis, qui inter opera Augustini in quibusdam editionibus reperitur, Augustini non est: & Bedæ martyrologium, vt ipsi fatentur Papistæ, variis additionibus corruptum est. [1] Optatus verò non de materiali sede, sed de doctrina Petri loquitur, quæ ipsius tempore in cathedra episcoporum Rom viguit. Nunc autem in sede hac externa sedent *Scribæ* & *Pharisæi*, ibiq; antichristus palàm regnat, & Petri doctrina locū non habet. Cùm ergo nihil habeant cathedræ illius præter nudum nomen; putidè satis ex festo cathedræ Petri eius monarchiam probant, quæ nec tum locum habuit, cùm *Petrus* adhuc viueret, & veram Christi doctrinam traderet, & eius successores in eius vestigiis diligenter insisterent.

Postremò, etiamsi prima litera nominis *Petri* Apo-

[4] *Dist. 80. c. in illis.*
[5] *Clement. recognit.*
[6] *Supplemētū chronic.*
[7] *Niceph. lib. 2. c. 25.*
[8] *Lib. 6. epist. 37. ad Eulog.*
[9] *Ibidem.*
[1] *Lib. 2. cōtr. Parmen.*

stoli in *formatis literis* scribi soleret, post primas literas Patris, Filii, & Spiritus S. ineptè tamen inde [1] Bellarm. Petro orbis dominatum concessum colligit, hoc enim ex legibus, & Christi mandato, & non ex literis & apicibus hominum priuatorum probandum est. *Praeterea*, nō tantùm *Petri*, sed etiam dantis & accipientis literas formatas primae literae annotari solitae sunt. Postremò, haec [2] narratio tota de Petri primae literae in *formatis* annotatione, ex fide Attici cuiusdam pendet, quae sanè exigua est. nam inter acta conciliorum irrepsêre multa priuatorū hominum scripta, vt ex eorum voluminibus, quae in maximam molem nuper excreuerunt, videre licet. Praeterea, narrat Atticus iste, illud in concilio Niceno gestum, quod nusquam apud authores fide dignos legitur. Sed ad has futilissimas Bellar. ineptias iam satis, superq; dictum est.

[1] *Col. 694.*

[2] *Ad finem concil. Chalced.*

Testimonia patrum ecclesiae, vnde quintum sumit argumentum pro Petri *monarchia Bellarminus, ipsi extorquentur,* CAP. VII.

POstremum pro *Petri* monarchia argumentum ductum est à testimoniis patrum. sed nihil est, quod nothi isti Iebusitae patres istos iactent. est enim omnis haec de patribus & eorū scriptis [3] Bellar. disputatio nihil aliud, quàm vana & futilis monachi somniātis deliratio. Nam vt omniū patrū scripta perlegas & scruteris; nusquā tamen reperies, vbi Petrus vnicus ecclesiae moderator, vel summus monarcha, vel Apostolorū pōtifex dictus est. imò nusquā reperies vbi talis ei primatus & principatus dat9 est, qualē vel Bellar. somniat, vel pōtifices Rom. eius nomine sibi vendicat. nusquā deniq; apud patres vel regib. sceptra extorsisse, vel se supra omnē ecclesiā & concilia extulisse, vel contra leges Dei, & totius ecclesię dispēsasse, vel leges Apostolis praescripsisse, vel eos vt subditos gubernasse legitur.

At, inquit [4] Bellar. *si patres dixerint Petrum fuisse caput ecclesiae, aut primatum in Apostolos, vel ecclesiam habuisse; id satis esse debebit ad ostendendum ex patrum sententia id quod volumus.* Sed longè ille fallitur. nam si causam ille suam obtinere velit, talem ille primatum

[3] *Lib. 1. de pont. Rom. c. 25.*

[4] *Ibidem.*

& principatum ostendere debet, qualem nunc habent pontifices Romani, & quam iure successionis *Petri* sibi vendicant. Neq; enim negamus nos Petrum fuisse primum & principem in Apostolorum Catalogo, & quodammodo caput collegii apostolici: imò ecclesię quoque, si commodè intelligatur, *caput & fundamentum*. sed talem ei negamus primatum & principatũ, qualẽ ei Papistæ deferunt. Negamus, inquam, ita fuisse primum & principem & caput collegii Apostolorum, vt ipsos ordinarit, vel claues eis dederit, vel pro subditis habuerit, & totam ecclesiam solus summo iure gubernarit, quod [1] schola pontificia docet, & Bellar. hoc loco defendit, licèt miserè moliẽs nihil efficiat aut probet. Præterea, asserunt Papistæ Petrum singulari quadam ratione fuisse caput, & principem & fundamentũ ecclesiæ. Nos autem non alia ratione Petro, quàm reliquis Apostolis ista conuenire existimamus. Bellarmin. negat, & à patrib. auxilium postulat. sed ambiguitate verborum, *capitis, principis, primatus*, & huiusmodi, ludit, & lectori fucum facit.

[1] *Turrecrem. li.* 1. *& Bellar. lib.* 1 *de pont. Rom.*

[2] Origenes *summam rerum de pascendis ouib. traditam Petro* dicit, idemq; *super ipsum ecclesiam esse fundatam* affirmat. sed hoc ei cum reliquis etiam Apostolis commune erat. reliquis enim Apostolis [4] dictum est, *Docete omnes gentes*, & [5] *prædicate euangelium omni creaturæ*. & super eos, [6] *Paulus ecclesiam fundatã* esse scribit. Neque tantùm Apostoli, sed omnes episcopi pastores sunt. *Quod ergo præpositi sumus*, inquit [7] Augustinus, *inter pastores deputamur, si boni sumus.*

[2] *In c.* 6. *ad Rom.*

[4] *Matth.* 28.

[5] *Marc.* 16.

[6] *Ephes.* 2.

[7] *De ouib. c.* 1.

Eusebius Petrum *primum Christianorũ pontificẽ* [8] appellat, si modò liber mendo caret. at aliud est primum esse Apostolũ seu episcopum, & totius ecclesiæ summũ moderatorem. Illud Petri erat; hoc nulli in terris datũ est. neque enim Apostolos gubernabat Petrus, sed omnes Apostoli communi consilio regebãt ecclesiam, mandata dabant, leges ferebant, controuersias tollebant. Præterea, omnes Apostoli dici poterãt episcopi, & pontifices Christianorũ & totius ecclesiæ, ipsi enim ad pascendas & regendas omnes gentes [9] missi sunt. Augustinus enim [1] ostendit *pascere Christi oues, nihil*

[8] *In Chron. anni* 44.

[9] *Matt.* 28.

[1] *Tractat. in Ioan.* 123.

aliud esse, quàm docere & regere. At inquit Bellar. *Petrus non dicitur Romanorum episcopus, sed Christianorum: & Iacobus dicitur Hierosolymitanorum primus episcopus, & non Christianorũ.* Quasi verò nihil de Iacobo affirmari possit, quod non scribit Eusebius: aut nõ omnib. Apostolis vna & cõmunis data esset prouincia pascendi & docendi omnes Christianos. *Petrus* sanè non Romanorũ tantùm, sed omnium Christianorum erat Apostolus, vt rectè annotat Bellar. solet enim nonnunquã imprudens verũ proloqui. sed si omnium Christianorum, & non tantùm Romanorum erat episcopus; quid est, quod pontifices Rom. quasi Petrus pontifex esset Rom. omnem eius dignitatem ad se traducunt, & cõmunia omniũ beneficia ad se suumq; priuatum commodum rapiunt?

[1] *Col. 696.* [2] *Histor. eccles. lib. 2. c. 13.*

Præterea, dicit [1] Bellarm. [2] Eusebiũ vocare Petrum *omnium Apostolorũ probatissimum, & maximum*; Item *primorum principem, & ducem, ac magistrum militiæ Dei.* Quo in loco, vt nihil aliud; illud tamen probauit, se esse mendacii magistrum, & falsarium, eumque etsi non maximum, tamen nõ probandum nam ita habet Eusebius à Christophorsono conuersus: *fortem & præpotentẽ, & reliquorum omnium apostolorum propter virtutis amplitudinem facilè principem Petrum, Romam versus ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam quasi manu deduxit. qui quidem vtpote generosus & strenuus Dei dux, &c. salutarẽ animorum doctrinam palã diuulgauit.* atque ita ferè sonant codices Græci. Videat ergo Bellar. vbi Petrum Eusebius appellarit *apostolorũ ducem, ac magistrum militiæ Dei*, nisi falsi manifestè teneri velit. interim verò, intelligat nõ alio nomine Petrum ab Eusebio *principem apostolorum* vocari, quàm *propter virtutis amplitudinem.*

[1] *Serm. de iudic. Dei inter ascet.*

Basilius [1] dicit *Petrum cæteris discipulis fuisse prælatũ, eidemq; regni cælestis commissas fuisse claues.* Sed frustra testes adducit in re tam clara. nos enim nec cæteris cũ apostolis prælatũ fuisse, nec claues accepisse negamus: non tamẽ propterea sequitur eum potestate & officio apostolico fuisse prælatum; aut ideo claues accepisse, vt eas cæteris apostolis communicaret. neque hoc aut dicit

dicit Basilius, aut ex eius verbis colligitur. imò contrà, *omnes apostolos ex æquo ligare & soluere* [2] dicit. [2] *Ascet.c.22.*

Ad Gregorii Nazianzeni testimonium, qui *Petrum petram vocat, & ecclesiæ fundamenta eius fidei concredita* dicit, antea [3] responsum est. nunc ex [4] eodem ostendit, quod *reliqui discipuli Petro posthaberi se tranquillo animo ferebant.* Ad quod respondeo, agere hoc loco Nazianzenum de ordine in disputationibus seruando, in quo necesse est alium esse primum, alium secundum. dicit ergo non molestè tulisse apostolos, quod Petrus cœtui suo præsideret: hoc enim ordinem postulare significat Gregorius. At imperii prærogatiuam Petro nullam tribuit, vt ex verbis ipsius colligere licet. *Omnia,* inquit [5] ille, *ordine & modo peragebantur.* & postea: *vbi hîc austerum, vbi imperandi desiderium?* [3] *c.2.* [4] *In orat. de moderat. seruand.* [5] *Ibidem.*

Ex Epiphanio hæc verba citat [6] Bellarm. *Petrum elegit, vt esset dux discipulorum:* &, 7 *hic est, qui audiuit, pasce agnos meos, cui creditum est ouile.* Sed hæc leuiora sunt. nam inter oues aries dicitur gregis ductor; & qui primus incedit, dux dicitur itineris; & princeps senatꝰ, qui primus rogatur sententiam. Ordinum etiam ductores, licèt nullam habeant in manipulares suos potestatem, propter præcedentiam tamen duces dicuntur. Neq; hoc tantùm Petro conueniebat, vt dux diceretur. *Paulus enim,* vt ait [8] Chrysostomꝰ, *alter Michael, Christianorum dux esse sortitus est.* Ouile autem creditum est non tantùm Petro, sed etiam reliquis apostolis, quos Christus in altum ascendens velut dona [1] dedit, *ad consummationem sanctorum, & ædificationem corporis sui.* Neq; obstat quod soli Petro dictum est, *Pasce oues meas.* nam, vt inquit [2] Augustinus, *hic vnitas prædicatur, quòd vnitas commendatur,* & postea, *multi erant apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas.* [6] *Hæres.51.* 7 *In ancor.* [8] *Hom. 8. de Paulo.* [1] *Ephes.4.* [2] *de pastor. cap.13.*

Cyrillus [3] Hierosolymitanus Petrum vocat *principem apostolorum excellentissimum.* Cyrillus Alexandrinus ei nomen tribuit *principis, & capitis cæterorum.* Ita etiã, ne testibus nos obtundat non necessariis, plures alii faciunt. Sed vocabula Principis & capitis apud istos nihil aliud significant, quàm primum & præcipuum apostolum. Ita [4] princeps philosophorum, & [3] *Catech. 2.* [4] *Tuscul. 25*

[5] princeps in iure ciuili dicebatur, qui in philosophia, & iure ciuili cæteris præstitit. *Principes* etiam nominabantur milites, qui ante signa pugnabant: & principes senatus, qui in ordine illo maximè excellebant, licèt nullam haberent in ordinis sui homines potestatem. Sic etiam apostoli *principes ecclesiæ* vocantur ab [6] Augustino, & Petrus & Paulus *principes vocãtur regni Christi* à [7] Maximo. & ne longè abeamus, ipse Bellarminus, *Simonem Magum* [8] appellat *principem & patrem hæreticorum.*

Caput similiter dicitur non ille tantùm, qui potestate & imperio præditus est, sed collegii alicuius, qui ordine, & numero vel dignitate primus est. Elias dicitur *prophetarum caput* à [9] Chrysostomo: & synodus Ephesina in epistola ad Theodosium & Valentinianũ, vocat Cyrillum *episcoporum congregatorũ caput.* [10] Gregorius Paulum *caput nationum* vocat. Simon etiam primum erroris caput, & author dicitur ab [1] Eusebio. hoc nomen etiam vrbibus datur. [2] Chrysostomus vocat Antiochiam caput orbis. & [3] Prudentius Bethlehem velut caput orbis celebrat. at non habuerunt homines & vrbes istæ, propter capitis hanc rationem aliquam in cæteros homines & vrbes potestatem.

Thomas Aquinas præterea ex Cyrilli thesauro aliud citat pro Petri principatu testimoniũ, quasi Christus *Petro, quod suum est plenum, & soli dedisset.* Sed nihil eius in Cyrilli thesauro habetur, nec Thomæ, testimonium alienum citanti, in pontificis causa fides vlla adhibenda est, cõtra testis ipsius dicta. adeo enim fulgor curiæ Rom. oculos ipsius præstrinxerat, vt apostolicam Petri humilitatem agnoscere non posset. nihil autẽ magis repugnat vel rationi, vel scripturis, quàm Christum vel sua omnia Petro contulisse, vel soli præfecturam ecclesiæ dedisse.

Chrysostomus Petrum *ecclesiæ futuræ constitutum fuisse pastorem* [4] scribit. Idem etiam eum [5] *ecclesiæ caput* vocat, & *orbi præpositum* fuisse dicit. Postremò *fratrum ei curam demandatã, & orbem totũ commissum memorat.* Sed non minùs hoc aliis conueniebat apostolis ipsi.n. pastu-

[5] *Cic. in Brut.*
[6] *In psal. 67.*
[7] *Serm. 1. de natal. Petr. & Pauli.*
[8] *Lib. 1. de pontif. Rom. c. 23.*
[9] *Hom. 18. in epist. ad Rom.*
[10] *In 1. Reg. lib. 4. cap. 5.*
[1] *Lib. hist. 2. c. 12.*
[2] *Hom. 3. ad pop. Antioch.*
[3] *In enchirid.*
[4] *Hom. 11. in Matth.*
[5] *Ibid.*

pastores erant & capita ecclesiarũ, & in totum orbem prędicatũ missi sunt.[1] Chrysostom[9] aliâs de Paulo verba faciens, appellat eum ecclesiarum Dei *solicitum curatorem, credentium pronubum, omniumq; nostrûm sagenã. domosq; totius orbis apostolis apertas fuisse* [2] dicit. Curam autẽ fratrum Petro demandata nõ potestatẽ significabat, sed amorem, qui inter omnes apostolos mutuus erat. sed isti absurdè, quę patres simpliciter in honorem Petri loquuti sunt, in contemptum aliorum apostolorum detorquent. Chrysostomus Paulum laudans [3] dicit *neminem eo vel maiorem fuisse, vel æqualem.* [4] Augustinus licèt in vno Petrum Ioanni anteponat, in alio tamen hunc Petro præponit.

De Euthymio non negamus, quin *Petro quandã præsidentiam* [5] *tribuerit, eundemque orbis constitutum esse præceptorem affirmarit.* Sed præsidentia illa & potestas præcipiendi, potestatem & imperium super apostolos non denotabat. Christus enim omnes apostolos sibi designauit successores, eosq; duces constituit, & principes ecclesiæ suæ. *Animos illorum erexit*, inquit [6] Euthymius de Christo discipulos mittente loquens, *tradens eis opus suum, ac sibi successores eos constituens.* & postea: *Tanquam rex*, inquit, *duces exercitus constituens, ita discipulos præ omnibus huiusmodi stipat potestate.* Neque tantùm Petrus, sed alii apostoli constituti sunt orbis doctores, vt ex Matth. 28. constat. Hoc etiam nomen episcopis & doctoribus ecclesiæ tributũ est. [7] Basilius dictus est *magister orbis terrarum.* [8] Hieronymus vocat Originẽ *magistrum Ecclesiarum*. Chrysostomũ [9] Theodoretus laudat tanquam *doctorem orbis terrarum*. nullũ tamen illi hoc nomine adepti sunt in totam ecclesiam principatum.

Ad [10] Theophylacti testimonium, qui Petrũ *principem vocat discipulorum, & ecclesiæ petram & fundamentum*, iam responsum est. Nam non aliter *petra & fundamentum* dictus est, quàm reliqui apostoli: nec princeps apostolorum, nisi quia primus & pręcipuus. vnde etiam *Petro* [1] primatum tribuit, quia labore, cura, zelo, fortitudine, & omni virtutis genere reliquis præstitit, non autem quia reliquis apostolis more papali præfuit. Nam si ita intelligas primatum, vt isti

[1] *Hom.* 22. *ad pop. Antioch.*
[2] *Hom.* 36. *in Matth.*
[3] *Lib.* 1. *de prouident.*
[4] *Tract. in Ioan.* 124.
[5] *In c. vlt. Ioan.*
[6] *in c.* 20. *Ioan.*
[7] *Theodor. hist. lib.* 4. *c.* 19.
[8] *De loc. Hebraic.*
[9] *Lib. hist.* 5. *cap.* 32.
[10] *In c.* 22. *Luc.*
[1] *Ibidem.*

2 *Instit. 4. c. 7. §. 3.* faciunt; tum rectè dixit [2] Caluinus hoc nomen bonis ecclesiæ temporibus inauditum fuisse, & nihil Caluini accusator Bellarm. afferre potest, quod eius sententiam conuellat.

3 *In Act. 1.* [3] Oecumenius *præsidentiam discipulorum Petro commissam* dicit. Ita etiam conciliis præsunt pii episcopi, & Iacobus cœtui Apostolorum fortasse præfuit, Act. 15. Sed neq; illi, neq; iste propterea potestatem habuit super cōcilium. Cyprianus *toti orbi præsedisse* [4] dicitur: cuius tamen non erat in toto orbe summa potestas. Isti autem *Petri* exemplo, non præsidentiam tantùm pontifici Rom. postulant, sed etiam summum imperium, & supra concilium potestatem; quam nec Petro deberi vel Oecumenius, vel aliquis ex veteribus affirmare ausus est.

4 *Nazianz. in serm. de S. Cypriano.*

Hugo Ætherianus circa annum Domini 1160. floruit, & aduersùs Græcorum de processione Spiritus sancti heresim siue rogatus, siue conductus, confirmata iam pontificum Rom. tyrannide, scripsit. Quid ergo mirum, si in eorum gratiam [5] affirmauit *Petrum, eiusque successorem principem & caput esse Latinorum & Græcorum?* nihil est ergo cur eius testimonio fidem adhibeamus, qui temporibus, & fortasse pretio adductus, tyrannidem pontificum Rom. iam inualescentem defendit. Atq; vt aliquid ei tribueremus; nō tantum tamen Petro tribuit, quantum nunc synagoga Rom. defert pontifici Rom.

5 *Lib. 3. c. 17.*

Ex Latinis Cyprianus primus in aciem à Bellarm. producitur: sed auspicio parum secundo. Ipse enim *Christum omnibus apostolis parem potestatem tribuisse* disertè [6] affirmat. Verba autem Cypriani apud [7] Augustinum ab ipso citata pro nobis faciunt. *Non vendicauit*, inquit Cyprianus, *aliquid sibi insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potiùs debere.* vnde constat Petrum insolenter & arroganter facturum fuisse ex Cypriani sententia, si primatum & summam potestatem sibi arrogasset. Verùm vt intelligamus Petrum primatum suum tacuisse præ modestia; nullum tamē alium primatum intellexit Cyprianus, præterquam tempo-

6 *De simplic. prælator.*
7 *Lib. 2. de baptis. c. 1.*

temporis. primatum enim opponit non subditis, sed *posteris* & *nouellis*. Dicit etiam Cyprianus ecclesiam *supra Petrum fundatam fuisse*. sed quomodo hoc accipiendum sit, & quod nihil pro Bellarm. facit, iam sępe diximus.

At inquit Bellarm. *in libro de simplicitate prælatorum, vt suprà deduximus, facit Petrum caput, fontem, & radicem totius ecclesiæ.* At nos Cyprianũ ab ipso corruptum esse ostendimus. & sanè, si aliquid haberet, quod pro ipsius causa facere videretur, nos Cyprianum clarè loquentem audiuissemus. nunc autem, cum nihil pro Petri monarchia loquatur Cyprianus; qua fronte ausus est affirmare se hæc ex ipso deduxisse? In epistola ad Iubaianum vbi dicit *se ecclesiæ vnius caput & radicẽ tenere*, non loquitur de *Petro*, vt impudenter affirmat Bellarm. sed de vna fide catholica, quæ vnum seruauit baptismum. Præterea, non tantùm *Petrum*, sed etiam alios [1] apostolos ecclesiæ præpositos fuisse dicit. idẽque cõtra Stephanum episcopum Rom. quem isti Petri vocant successorẽ, fortiter [2] præliatur: quòd certè non fecisset, si summam super omnem ecclesiam potẽstatem Stephanus habuisset.

Maximus [3] dicit *totius ecclesiæ gubernacula Petro fuisse commissa*. sed non minùs aliis apostolis commissa erant. idem.n. Petrum & Paulũ *principes* [4] *vocat regni Christi*, non minùs Paulo, quàm Petro deferẽs ecclesię principatum. Sed multo illustriùs nos docent sacræ literæ, apostolos non aliter missos à Christo fuisse, quàm ipse à patre missus esset.

Optatus Petrum [5] appellat apostolorum caput sed nisi aduersarii eum tale fuisse caput ostendere possint, quale est pontifex Rom. qui fas nefasq; sui capitis sensu & arbitrio metitur; nihil hoc contra nos facit. nam nos episcopos capita dici posse ostendimus: nec hoc de apostolis dubitandum est. *Paulus, Andreas & Ioannes*, inquit [6] Gregorius, *quid aliud sunt, quàm singularium plebium capita?* Præterea, Optatus ridiculè Petrum caput dictum existimat, quia Cephas caput significat. *Omnium apostolorum caput Petrus*, inquit Optatus, *inde Cephas appellatus.* Postremò, nihil aduer-

[1] *In Epist. ad Iubaian.*
[2] *In epist. ad Pompeium.*
[3] *Serm. 3. de Apostolis.*
[4] *In ser. 7. de natal. Petri & Pauli.*
[5] *Lib. 2. aduer. Parmen.*
[6] *Lib. 4. epist. 38.*

ſùs nos facit vnitas cathedræ, de qua Optatus loquitur. nam vt vna ſit omnium apoſtolorum, imò & epiſcoporum orthodoxorum cathedra, nec aliter docuerit Ioannes Epheſi, Paulus Theſſalonicæ, quã Petrus Romæ; non tamen à Petro edocti ſunt, nec ei tãquam ſummo monarchæ paruerunt. At pontifices Rom. à cathedra hac, de qua loquitur Optatus, longè diſceſſerunt; & licèt Petri cathedram iactent, nihil tamen fere habent cum Petro commune.

[6] In cap. vlt. Luc.

Quod dicit [6] Ambroſius *Petrum relictum fuiſſe vicarium amoris Chriſti*; aut alienum eſt à cauſa Bellarm. aut ipſi aduerſariũ. nam nec ſolus ille in amore Chriſti vicarius relictus eſt, cum tot ſint fideles paſtores, qui vice Chriſti oues Chriſti amant & paſcunt; nec ille in eccleſiæ adminiſtratione eſt Chriſti vicarius, qui eſt amoris, cum tantum onus anguſtiæ humani pectoris capere non poſſint. Et quitquid eſt de Petro, pontifices ſanè Roman. amoris Chriſti vicarii haberi non poſſunt, qui nec paſcunt nec curant Chriſti oues, ſed contrà potiùs diſſipant, fugant, lacerant, mactant, laniant.

Præterea, dicit Ambroſius *Petrum cæteris apoſtolis prælatum fuiſſe*. ſed hoc nos non negamus, cum eum Chriſtus ſolum alloquutus ſit, & ipſe ætate & virtute, & ordine inter apoſtolos primus eſſet. Non tamen propterea ſequitur eum ſupra apoſtolos conſtitutum eſſe. nam Ambroſius vnà omnes apoſtolos Spiritum ſanctum accepiſſe, & pariter ad prædicandum miſſos fuiſſe [7] dicit.

[7] In vlt. Luc.

[8] In cap. 12. epiſt. 2. ad Corinth.

[1] In 2. ad Galat.

Idem [8] aſſerit *primatum conceſſum fuiſſe Petro, & non Andreæ*. Sed loquitur de primatu ordinis. nam idẽ primatum Paulo concedit in prædicatione gentibus faciẽda. *Paulus*, [1] inquit ille, *dignus habitus eſt habere primatum in prædicatione gentium, ſicut & habebat Petrus in prædicatione circũciſionis*. Idem de Petro & Paulo loquens, *quis cui præponatur* dubitat. At ſi Petrus ſupra omnes apoſtolos imperium habuiſſet, non dubitaſſet an Petrus Paulo præponendus eſſet.

[2] Serm. 11.

Deniq;, in ſermone quodam *eccleſiã nauiculæ* [2] *comparat, cuius magiſter Petrus eſt*. Sed allegoriæ nihil probant,

bant, nisi quatenus fundamentum habent in scripturis. Præterea, non dubitamus, quin naui Christi apostoli etiam velut magistri & gubernatores præsideant. postremò, inter magisterium nauis, & monarchiam, immane quantum interest.

De Hieronymi hac in re sententia, satis iam dictum est. ostendimus enim ex eius testimonio ecclesiam super omnes apostolos ex æquo fundatam fuisse. Quod autem Petrum, schismatis tollendi gratia, caput [3] cōstitutum dicit, id ætati delatum significat. *Ætati*, inquit, *delatum est, quia Petrus senior erat*, non autem quia in gradu collocatus est celsiori. Caput autem nō semper magistratum significat sed quod in aliqua re primum est & præcipuum. vt apud [4] Ciceronem, *caput pecuniæ fundus* dicitur, & [5] *caput bene viuendi securitas*. Sic etiam caput audaciæ & caput sceleris dici solet. Significat etiam viros principes, vt [6] *capita familiarum*, & *capita* [7] *Leuitarum*. Bellarmino autem hoc satis non est. nam nisi Petrum ita fuisse caput doceat, vt etiam monarcha fuerit supra omnes constitutus, & singulari potestate prædit⁹; nihil agit hoc autem Hieronymus de Petro nusquam affirmat. Pōtifices verò Rom: virtute sua tandem effecerunt, vt licèt capita ecclesiæ dici non possint, omnes tamen eos velut capita scelerum & perfidiæ abominentur.

Augustino iam antea satisfactum est. Nam etsi primatum Petro deferre [8] videatur; multum tamen ostendimus interesse inter prærogatiuam primatus Petro à patribus delatam, & summū totius ecclesiæ imperium. *At*, inquit [9] Bellar. *multū ille apostolatū præfert cuilibet episcopatui*. vnde ipse obseruat, *Petri cathedram multum præstare particularium episcoporum cathedris; & Cypriani sedem non esse comparandam cum Petri sede, quia est in alio genere, & differunt sedes istæ, vt totum & pars*. Sed Augustinus, vbi loquitur de Petri cathedra, non intelligit sedem pontificum Roman. sed doctrinam & honorem ipsius Petri. intelligit, inquam, ipsum apostolatum, vt est in Petro, & non episcopatum, vt à Petro deriuatus est. Quare etiāsi olim episcopi R. Petro successerint in doctrina, & externa cathe-

[3] *Lib.* 1. *adu. Iouin.*
[4] *De leg. agrar. contr. Rullum.*
[5] *Lib. de amicit.*
[6] *Numer.* 1. & 7.
[7] 1. *Paral.* 9.
[8] *Lib.* 2. *de bapt. c.* 1.
[9] *Col.* 698.

dra; non tamen in apostolatu ipsi successerunt. At posteriores pontifices, nec in Apostolatu, nec in cathedra & doctrina, Petri sunt successores.

Profert præterea loca aliquot Augustini, & authoris quæstionum veteris & noui Testamenti apud Augustinum, vbi Petrus dicitur, [1] *caput, & vertex membrorum ecclesiæ*: & [2] *magister, & pastor gregis dominici, & præpositus*. Sed nihil ista pro summa, & vnius Petri monarchia stabilienda faciunt. nos enim multos ostendimus dici posse capita, & ductores, & magistros, & [3] præpositos ecclesiæ; ad quos tamen summa potestas non pertinet. diximus etiam hæc cum reliquis apostolis fuisse cõmunia, & propterea soli Petro dictum, *Pasce oues meas*, quod ad omnes æquè pertineret, vt [4] vnitatis mysterium omnibus commendaretur.

[1] *De pœnit. serm.* 124. *de tempore.*
[2] *Quæst. vet. & noui test. q.* 75.
[3] *Cyprian. de simplicit. prælat.*
[4] *Augustin. lib. de pastor. cap.* 13.

Leonem in propria causa testimonium dicentem, nihil est quod magni faciamus. videre tamen licet, quantum posteriores pontifices ipso facti sunt inuerecundiores. Ipse enim *Petrum omnibus præpositum, & reliquos omnes sacerdotes regere solitum* [5] *dicit*; quod de fraterna solicitudine, & præeminentia sine superiore potestate, & coactione magistrali intelligendum est. At isti monarcham fuisse putant, & reliquos apostolos ei velut cardinales pontifici astitisse, eiusq; imperio paruisse prædicant: quod nunquam Leo cogitauit, aut dixit.

[5] *Serm.* 3. *de assumpt. sua.*

Secundus locus ex *Leonis* ad *Anastasium* [6] epistola sumptus, ad Petrum nihil pertinet, sed ad *Petri* sedem, in qua tunc *Leo* sedebat, & in qua nunc pontifices Romani se sedere iactant. Sed contra Bellarmini causam plurimùm facit testis iste. ostendit enim primatum delatum quibusdam cathedris propter vrbium amplitudinem & splendorem, & eum positum fuisse potius in præeminentia quadam, quàm in coactione & imperio. *Magna*, inquit [7] Leo, *dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia*; & rursus, *Quidam in maioribus vrbibus constituti solicitudinem susciperent ampliorem*. Præterea, licèt Leo omnia vendicaret episcopis Rom. tamen princi-

[6] *Epist.* 84.
[7] *Ibidem.*

pes

pes summos omni colebat officio, & in omnibus ecclesiæ negotiis posterioribus pontificibus multo fuit modestior.

Prosper non tam de Petro [8] loquitur, quàm de vrbe Roma, quæ Petri, vt ait, facta est sedes: & ꝓpterea hîc loco alieno loquitur. Sed neq; plus defert vrbi Romæ, quàm Chrysostomus Antiochiæ, & Prudentius vrbi Bethlehem. Antiochiam enim ille *caput orbis* [9] vocat; & iste idem [10] tribuit Bethlehem. Samaria etiam olim dicta est caput Ephraim apud Isaiam, cap. 7. Præterea, licèt Romæ prærogatiuam honoris tribuat *Prosper*; cum ea tamen *Palæstinam*, & *Carthaginem* coniungit, ne quis regnum ecclesiæ vrbi illi delatum putet.

[8] *De ingratis cap.* 1.

[9] *Hom.* 3. *ad pop Antioch.*

[10] *In Enchirid.*

Ergo [1] inquit ille, *Petri solium Romam, & Carthaginis alta*
Concilium repetunt.

[1] *De ingratis c.*8.

Arator *omnes Christi oues Petro commissas* [2] significat sed non minùs reliqui Apostoli toti ouili Christi, & toti orbi præfecti sunt.

[2] *In cap.* 1. *Act.*

Gregorius *Apostolorum principi Petro dominica voce totius ecclesiæ curam commissam fuisse* [3] testatur. Idem etiam *claues regni cœlorum, & curam, & principatum ei datum* significat. Sed principatum hunc nihil aliud fuisse constat, quàm primum locum, & præeminentiam, sine imperio coactiuo. sæpius etiam admonuimus totius ecclesiæ curam cæteris apostolis fuisse cõmissam. & ne longiùs quęramus, hoc ipse docet [4] Gregorius. negat enim Petrum dictum esse *vniuersalem Apostolum*, ne aliorum iura solus sibi sumpsisse videatur.

[3] *Lib.*4. *epist.*32.

[4] *Ibidem.*

Beda in tenebris & nocte ecclesiæ vixit, & in monasterio, quod tunc superstitionum & errorum schola esse cœpit, enutritus est: nihil tamẽ de Petro scripsit, quod pondus huius causæ sustineat. [5] Dicit quidem Christum *vidisse animi eius sublimitatem, cuius merito cunctæ esset praferendus ecclesiæ.* Sed non minùs elegit Christus reliquos apostolos, quos per totum orbem prædicaturos legaret. *Paulo*, inquit [6] Chrysostomus, *terra ac maria, atq; vniuersi orbis habitatio, ipsumq; deser-*

[5] *In hom. in vigil. S. Andrea.*

[6] *Hom.* 3. *de Paulo.*

tum commissum est. Dicit præterea 7 Beda Petrum *claues regni cœlorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepisse, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunq; ab vnitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semet ipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possint regni cœlestis ingredi.* Quasi verò non etiam reliqui apostoli claues acceperint, & constituti sint iudices; & non è cœlo etiam excludantur, quicunq; à fide tradita à reliquis apostolis discedunt. Præterea, *Petrus* non sibi soli claues accepit, sed etiam reliquis apostolis. sic etiam ex iudicum collegio vnus aliquis accipere potest à principe mandata toti collegio communia, licèt ipse nullam habeat supra collegas potestatem.

7 *Hom. in fest. Petr. & Paul.*

Bernardus etiam tenebris Ægyptiacis oppressus, tyrannidem sub pontificatu Rom. latentem non plenè 8 agnouit. non mirum ergo, si Eugenio suo gratificatus plusculum Petro tribuerit, vt illud omne in ipsum postea deriuaret. hanc tamen infinitam potestatem & monarchiam Petri, quàm Bellar. probandam suscepit, nunquam defendit. Imò, ex superbia pontificum Romanorum quasi per nebulam, vidit instare reuelationem Antichristi; & eos *Cōstantino potius, quàm Petro in multis successisse* agnouit.

8 *Epist. 237. & lib. 2. de consid.*

Frustra ergo Bellar. aut patrum iactat senatum, aut *viginti quatuor seniorum*, quorum in Apocalypsi meminit Ioannes, imaginem suæ causæ prætendit. nihil enim illi vel contra nos, vel pro Bellar. faciunt. illi enim omnes in meretrice Apocalyptica synagogæ Rom imaginem & mores adumbrari nos docuerunt. Putidè etiam gloriatur, *nos nihil respondere posse, nisi ipsos humana passos, & deceptos.* Sed falluntur sæpe qui triumphum ante victoriam canunt. nos enim patrum testimonia ab aduersariorū calumnia & falsitate vindicauimus. Præterea, patrum non contemnendas copias ipsis opposuimus: vnde satis constat, nobis non tantùm responsiones suppetere ad defensionem, sed etiam copias satis firmas ad victoriam. Interim verò Petri iacet monarchia: iacet etiam monachorum ex Bellarm. argutiis spes. nam quod nunc pontifices Rom.

Rom. faciunt, quando leges omnibus præscribunt, nec cuiusquam legibus parent; quando mandant & non parent; quando iubent pro imperio, & reges de solio deiiciunt; quando leges statuunt, & pro arbitrio soluunt & relaxant: hoc nullus patrum Petrum fecisse dicit.

Omnes Apostolos æquè ac Petrum pastores fuisse ordinarios, & non tantùm legatos: aduersùs Bellarm. sententiam lib. 1. de pontif. Rom. c. 12. & lib. 4. c. 25.

CAP. VIII.

QVod omnes Apostoli claues simul à Christo Iesu acceperint, non negant aduersarii. locus enim dilucidus Ioan. 20. hoc eis expressit. Neque sanè negare possunt, quin simul sint electi & missi, cum disertè hoc testentur scriptores euangelici. Fatentur etiam simul eos potestatem prædicandi & sacramenta administrandi accepisse. illud enim ex Matth. 28. & Matthæi 26. & multis scripturæ sacræ locis colligitur. Cum ergo claues, in quibus iurisdictio & ordo ponitur, pariter acceperint; & vnam etiam habuerint electionem & missionem: qui tandem factum est, vt Petro summa potestas delata sit, reliqui autem Apostoli, vt Bellar. putat, à Petro pendeant, & eius imperio subiecti sint? Respondet [1] Bellar. *Petrum pastorem fuisse ordinarium, & reliquos Apostolos legatos fuisse, & non pastores ordinarios, & cum quadam subiectione ad Petrum.* Idem etiam alio in [2] loco: *Apostoli*, inquit, *non fuerunt ordinarii sed extraordinarii, & quasi delegati pastores, quibus non succeditur.* Ioannes de [3] Turrecremata dicit, *Christum non fecisse nisi vnum curatum, hoc est, Petrum.* Idem [4] dicit *omnes Apostolos & discipulos, omnem potestatem iurisdictionis accepisse à Petro.* Neque hoc tantùm, sed etiam [5] affirmat *solum Petrum inter Apostolos immediatè à Christo factum & ordinarium fuisse episcopum: alios verò Apostolos à Petro mediatè vel immediatè.* Hinc illi duo sumunt: *primò, Petrum esse ordinarium pastorem, vnde omnis ad alios Apostolos fluxit iurisdictio: secundò, Petro soli successum esse, & nullos esse in ecclesia pastores, nisi qui à Petro & pontificibus Rom. missionem*

1 Lib. 1. de pont. Rom. c. 12. Col. 655.
2 Lib. 4 de pont. Rom. c. 25.
3 Lib. 2. summa. c. 63.
4 Ibidem.
5 Lib. 2. summa. c. 32.

habent. Nos autem, vt omnes illis effugiendi vias præcludamus, ostendemus omnes Apostolos æquè ac Petrum ordinarios fuisse pastores.

Hoc autem probatur *primò* ex scripturis; *deinde* ex patrum scriptis; *tertiò* ex legibus; *quartò* ex ratione; postremò ex aduersariorum cōfessione. *Primò* vocauit Christus Apostolos suos, & eis hanc dignitatem tri-
[5] Luc. 6. buit. *Vocauit*, inquit [5] Lucas, *discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Deinde*, potestatem illis simul dedit prædicandi. *Conuocatis duode-*
[6] Luc. 9. *cim Apostolis*, inquit [6] Lucas, *dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent, &*
[7] Matth. 28. *misit illos prædicare regnum Dei. Postea* [7] dixit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti.* atq; ita misit eos immediatè, *sicut ipse à*
[8] Ioan. 20. *Patre* [8] *missus est.* Claues etiam eis omnibus simul de-
[9] Ibidem. dit. *Quorum*, inquit [9] Christus, *remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* His etiam consonant, quæ habentur Matth. 18. *Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo; & quæcunq; sol-*
[10] Gal. 1. *ueritis super terram, erūt soluta & in cœlo.* [10] Paulus dicit *se Apostolum non ab hominibus, neq; per hominem.* Ex singulis istis locis singula argumēta duci possint. Nam si ordinarius sit pastor, qui à Deo immediatè ad pascendum vocatus, electus, & missus est; tum omnes Apostoli non minùs quàm Petrus erant ordinarii pastores. At omnes Apostoli, vt ex locis prædictis probatur, immediatè à Deo vocati, electi, & missi sunt. Consequentiam propositionis negare non possunt. Assumptionem veram esse certò constat. quid enim magis absurdum, quàm cùm scripturæ Apostolos ita vocatos, electos, & missos doceant; eos à Petro missos dicere, quod nullæ habent scripturæ? imò, patrū etiam hîc destituuntur suffragio.

Præterea, cùm omnis iurisdictio in clauium ratione contineatur; quid minùs conuenit, quàm Apostolos claues accepisse à Christo, & iurisdictionem accepisse à Petro? Postremò, quid magis à fide alienum, quàm cùm scripturæ asserant, Apostolos non esse ab homine, nec per hominem; asserere Apostolos pote-

statem

statem & iurisdictionem accepisse ab homine, & per hominem, *nempe per Petrum?*

Hoc erant, inquit [1] Cyprianus, *cæteri, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis.* at Petrum non negant ordinarium fuisse pastorem. Hieronymus *cunctos* [2] *Apostolos claues regni cœlorum accepisse* dicit. Idem etiam [3] affirmat per illa verba, *Quæcunque alligaueritis, potestatem tribui Apostolis; vt sciant homines, cùm à talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari.* Si ergo pariter acceperint claues Apostoli; pariter constituti sunt ordinarii pastores. & si à Christo eam habuerint potestatem, nihil necesse erat, eandem à Petro mutuari.

[1] *De simplic. prælator.*
[2] *Lib. 1. aduers Iouin.*
[3] *In Gloss. Matth. 18. v. alligaueritis.*

Gregorius [4] asserit *Apostolos principatum superni iudicii sortitos esse, vt vice Dei quibusdam peccata retinerent, quibusdam relaxarent.*

[4] *In Io. 20.*

Isidorus [5] dicit *episcopos per totum mundum in sedibus Apostolorum institutos esse.* Vulgo patres episcopos dicunt esse *Apostolorum successores.* at Apostolis nisi ordinarii sint, ipsi aduersarii concedunt non succedi. Iam [6] leges ordinarium esse dicunt iudicem, *qui vel iure suo, vel principis beneficio vniuersaliter iurisdictionem exercet* [7] ordinarium autem facit vel lex, vel summus princeps, vel consuetudo. Similiter ordinarius est pastor, qui vel ex lege, vel ex Christi mandato, & ecclesię consuetudine pastorale munus habet. At Apostoli non solùm ex lege Apostolatus, sed etiam ex Christi mandato potestatem, & iurisdictionem habuerunt.

[5] *Isid. lib. 2. de offic. eccle.*
[6] *L. More maiorum. & l. sequ. de iurisd. omnium Iudic. & ibi Dd. & Speculator. de offic. Iudic. ord.*
[7] *Ibidem & Doct. in c. 1. de offic. ordinarii.*

Ratio etiā hoc ita se habere docet. Nam si Apostoli non essent ordinarii; tum nec Petrus esset ordinarius. omnes enim pariter vocati, electi, & missi sunt.

Prętereà, nisi Apostoli essent ordinarii, tum episcopi maius haberent officium & ampliorem potestatem quam Apostoli. ipsi enim ordinariam habent iurisdictionem: & Ignatius [8] dicit *episcopum esse formam patris omnium.* At absurdum est maiorem esse episcoporum, quàm Apostolorum prærogatiuam, *Quis nescit*, inquit [9] Augustinus, *apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum?*

[8] *Epist. ad Trallian.*
[9] *Lib. 2. de baptism. c. 1.*

Deinde, non rectè dicerentur Apostoli [1] *fundamen-*

[1] *Ephes. 2.*

[1] *Ignat. in epist. ad Philadelph.* *ta ecclesiæ, & columnæ mundi, &* [2] *principes ecclesiastici,* si super *Petrum* fundarentur & non haberent ordinariam iurisdictionem. Esset quoque valde absurdum, in Apostolatus munere non contineri pastorale officium; cum ex [3] *donis ecclesiæ datis*, Apostoli primi commemorentur, & ipse Petrus nihil aliud haberet authoritatis, præterquam ex apostolatus functione. vnde etiam in principio suæ epistolæ [4] asserit se *Apostolum esse Iesu Christi.*

[2] *Ephes. 4.*

[4] *2. Pet. 1.*

Nulli insuper Apostolorum essent successores, nisi ordinarii essent pastores. nam legatis ipsi aduersarii norunt non solere succedi. at hoc notissimum est, Apostolorum esse successores episcopos: & Iacobo episcopos Hierosolymitanos, Paulo episcopos Athenienses, Thessalonicenses, & Colossenses; Thomæ episcopos Parthorum & Indorum; Ioanni episcopos Smyrnæenses, & Ephesinos; aliisq; Apostolis, alios episcopos successisse non minùs, quam Petro episcopos Rom. & fortasse magis.

Non esset denique verum, claues Apostolis datas fuisse immediatè à Christo. quomodo enim illi claues haberent, qui non habent iurisdictionem, quam vnam esse ex clauibus fatentur?

Accedat postremò aduersariorum confessio. Nam Innocentius [1] fatetur *Christum Apostolis, & eorum successoribus claues dedisse.* Similiter [2] Bellarm. hoc nobis dat & glossa in c. quorum dist. 68. dicit episcopos successisse in locum Apostolorum. Quomodo autem claues accipiant, & non habeant iurisdictionem, & vnde habeât episcopi ordinariam iurisdictionem, nisi Apostoli, quos habent authores, & quibus illi successerunt, ordinariam iurisdictionem habuerint?

[1] *C. firmiter. § vna, de sum. trin. & fid. cath.*
[2] *Lib. 1. de pont. Rom. c. 12.*

Aduersus ista quid Bellarminus? certè præter summam pontifici suo gratificandi voluntatem, nihil. In locis enim prædictis hoc suum dogma, in quo tanquā in fundamento omnis de Petro controuersia posita est, nudè proponit. At Ioannes Turrecremata de eo multa verba facit, & Petrum solum à Christo immediatè ordinatum prolixè [3] disputat. Primò asserit *Iacobum à Petro, Ioanne, & Iacobo ordinatum esse episcopum*

[3] *Lib. sum. 2. c. 32.*

Hiero-

Hierosolymitanum. sed nihil hoc pro solius Petri ordinatione a Christo immediatè facta facit. Præterea, hanc ordinationem ostendimus non fuisse iurisdictionis collationem, cum illam Iacobus ex apostolico officio habuerit; sed ad illius episcopatus executionem, quandam designationem.

Multas præterea Turrecremata ex Clementis, Anacleti, & Marcelli commentitiis epistolis corrogat ineptias omni responsione indignissimas. Affert etiam exemplum Pauli & Barnabæ, quos in episcopos ordinatos fuisse Act. 13. putat. sed nullum eius rei ibi habetur vestigium.

Sunt etiam, qui inde putant probari Petrum esse ordinatium pastorem, quia soli *Petro* dictum est, *Pasce oues meas*, &c. *Tibi dabo claues*, & quia patres eum *fundamentum*, & *caput ecclesiæ* vocant. sed hæc communia esse aliorum Apostolorum ostendimus. Postremò, Innocentius primus [1] asserit *à Petro esse episcopatum, & eius nominis totam authoritatem.* [2] Innocentius verò tertius, *omnes ecclesias à Petro fundatas esse* putat. quæ omnia cum apertissimis scripturæ testimoniis refellantur; quid nos in re tam clara argumenta quæramus?

[1] *In epist. ad concil. Carthag.*

[2] *Dist. 11. c. quis,*

Dubiam esse, & incertam papistarum de Petri *ad vrbem Romanam aduentu sententiam.* CAP. IX.

DE apostolatu *Petri*, eiusq; omnibus prærogatiuis ea iam diximus, quæ, vel aduersariis testibus nisi planè pertinaces fuerint, satis ostendunt eum nō habuisse monarchicum, & singularem supra apostolos & vniuersam ecclesiam principatum. Inde etiam colligimus episcopos Roman. priscos, licèt Petro maximè successissent, vniuersalem tamen supra omnes potestatem habere non debuisse. Pontifices verò Rom. quos multos iam annos pertulit ecclesia tyrānos, nec Petro successisse; nec vt in loco quodammodo successissent, hanc ab illo tyrannidem, quam omni artificio & violentia occuparunt, habere potuisse, certū est. nihil enim Petrus in reliquos apostolos insolēter, nihil contra summos principes cōtumeliosè aut super-

bè, nihil aduersùs populum Christianum iniustè aut tyrannicè egit. Præterea, nihil illi à Petro iuris habuerunt. Ac primum quidem satis demonstratum est. Superest ergo secundum demonstrandum, nempè pontifices Rom. Petro non successisse. Quoniam autem *ius successionis*, quod ipsi prætēdunt, in eo, vel [2] Bellar. ipso teste, fundatur, *quod Petrus Romæ sedem suam, iubente Domino collocauerit, atq; ibidem vsque ad mortem episcopus fuerit*: hoc fundamentum nos incertum & dubium esse ostendemus; eoq; magis, vt omnes intelligant fidem synagogæ Rom.. quam super hoc debili fundamento, & successione incertissima pontificum Rom. ædificant, aut nullam esse, aut incertam. fides enim certa esse debet, & *dubius in fide, vt ipsi* [3] fatentur, *infidelis est*.

[2] *Lib. 2. de pont. Rom. cap. 1.*

[3] *c. dubius. de hæretic.*

Probatur autem sententia nostra primò, quia nusquam ex scripturis probatur Petrum vel Romæ fuisse, vel ibi episcopatum habuisse. Nihil eius scripsit in epistolis suis Petrus, nihil Paulus, nihil qui res apostolorum gestas, & itinerum rationem diligenter & accuratè persequutus est, Lucas. Nam quę de Babylonis nomine, 1. Pet. 5, & Christianis ante Pauli profectionem ad vrbem, Romæ existentibus, & de Marco Romæ euangelium ex Petri mandato scribente affert Bellarmin. leues sunt coniecturæ, & tantæ rerum moli sustinendæ insufficientes. At [1] fides super verbum Christi, & ecclesia super fundamentum prophetarum & apostolorum structa est, vt [2] aliàs fusè disseruimus. Quare nisi ex apostolorum scriptis docere possint, *Petrum* Romæ episcopum fuisse, totam hanc suam fidem aduersarii super arenam fundatam esse, fateantur necesse est.

[1] *Rom. 10.*

[2] *Lib. de Scripturis.*

Secundò, nulla domini iussio vel extra scripturas proferri potest, vnde certò sciamus Petrum Romā ad episcopatum ibi gerendum profectum esse. Imò nec traditio aliqua hac de re certa extat. authoresque de hac re certant, & qui aduersariis fauēt, magna sunt in dissensione cōstituti. Quare nisi certam exhibere possint hac de re reuelationem; omnem synagogæ Rom de ea fidem euanescere necesse est. ipsi enim [3] fatentur fidem

[3] *1. part. sum. Th. q. 1. art. 1. & 2. & 6.*

fidem *niti reuelatione* diuina; & nõ alibi fundari, quàm in verbo Christi.

Tertiò, scripsit Petrus duas epistolas; in quibus etsi data esset occasio, nullam vrbis Romę vel mentionem facit, vel suspicionem præbet, quasi ipse inde scripsisset. at hoc non videtur verisimile, si Romæ tunc temporis fuisset. Præterea, ex prima epistola constat Petrum tunc temporis longè à Roma abfuisse, & in [4] Babylone vixisse, vnde epistola illa data est: quam vt nemo dubitet veri nominis *Babylonem* fuisse, inscriptio epistolæ facit. ex ea enim constat, Petrum ad *Asiaticas* tantùm ecclesias scripsisse. non est autem verisimile, Romæ literas ad Asiaticas ecclesias dantem, Græciæ, Illyrii, & Thraciæ ecclesias quæ in medio interiectæ erant, silẽtio præteriturum. At si Babylonem accipiamus propriè, omnia rectè conueniunt. nihil enim aptius, quàm vt Babylone præsidens Asiaticas curaret, & non Europæas ecclesias. 4 1. *Pet.* 5.

Quartò, non est verisimile Petrum Romæ existentem, & totius iam orbis omniumq; gentium episcopum constitutum, vt aduersarii affirmant, Iudæos tãtùm dispersionis curaturũ. at hoc planè ex ipsius prima constat epistola. nam Iudæos tantùm qui *aduenæ erant dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ* salutat. Auget etiam suspicionem nostrã sortitio inter ipsum & Paulum facta. Nam *vt Paulo* [5] *creditum est euangelium præputii, ita Petro circumcisionis.* Iacobus etiam & Cephas, & Ioannes, *dexteras dedere societatis Paulo & Barnabæ, vt sicut isti ad gentes, sic illi ad circumcisionem* [6] *proficiscerentur.* Quomodo ergo tam citò mutatæ sunt sortes, vt Petrus Romam proficisceretur? Respondet [7] Bellarm. *Petro datum, vt prædicaret omnibus, sed principaliter Iudæis.* sed hoc contra eum facit, cui probandum est, *principaliter cum Romanis prædicasse*, apud quos eum 25. annos sedisse dicit. Et sanè nihil incredibilius, quàm *Petrum*, cui prouincia data est principaliter prædicandi Iudæis, officio suo neglecto ad gentes profecturum, & ibi 25. annos, aut saltem magnam ætatis partem mansurum fuisse.

5 *Gal.* 2.
6 *Ibid.*
7 *Lib.* 2. *c.* 7.

Quintò, si Petro præcipuè munus hoc datum fue-

rit, vt Iudæis prædicaret, vt Paulus disertè [1] affirmat, & ex prima ipsius Petri epistola probabiliter colligitur: tum si Romæ Iudæis prædicauit, vt nemini dubiū esse debet, si modò vrbis eius episcopus fuit, religio Christiana quo tempore Paulus ad vrbem venit, illis ignota, & noua esse non potuit. at hoc planè ex verbis [2] *Lucæ* constat, Iudæos vrbis cum Paulus illuc primùm venisset, nec fidem recepisse, nec multū de Christo audiuisse. *Notum est nobis*, inquiunt illi, *de secta hac, quod vbique ei contradicitur; rogamus autem audire quæ sentis.* Respondet [3] Bellar. *hæc eos dixisse, qui ad fidem conuersi non erant; sed præter eos Romæ multos vixisse, quos Petrus conuerterat.* Sed hæc temerè affirmantur. [4] Lucas enim licèt plurimos Iudæorum conuenisse dicat, nulli tamen eorum testimonium perhibet, quasi in Christum ante Pauli aduentum credidisset.

[1] *Gal.* 1.
[2] *Act. vlt.*
[3] *Lib.* 2. *de pont. Rom. c.* 7.
[4] *Act. vlt.*

Præterea, si multi ante Paulum conuersi fuissent, cur nullus eorum ad ipsum veniebat? Postremò, multos salutans in epistola ad [5] Romanos, quæ paulò ante aduentum eius [6] scripta erat, nullum tamen nominat *Paulus* Iudæum, qui vrbis Romæ ciuis, vel inquilinus esset. Nec ad rem facit, quod *Paulus in epistola ad Rom. disputat de iustificatione ex fide sine operib. legis.* non enim Iudæi tantùm, sed etiam gentes de operibus suis superbiebant, ad quas verisimile est Paulum literas has dedisse. Non obstat etiam, quod Aquila & Priscilla Romæ tunc temporis essent: ex salutatione enim Apostoli constat, eos Italos & Græcos conuertisse potiùs, quàm Iudæos.

[5] *Cap. vlt.*
[6] *In præfat. Hieron. in epist. Pauli.*

Sextò, scripsit ad Romanos Paulus, & prætérito Petro multos salutat, claritate nominis, & officio, & omni virtutis genere ipso inferiores: quod sanè nunquam fecisset, si Petrus eo tempore Romæ fuisset. Neque sanè ante illud tempus Romæ fuisse videtur, quia Paulus, qui eorum fidem celebrat, tantum Apostolum, si modò ecclesiæ fundamentum ibi posuisset, taciturus non videtur. solet enim eorum libenter meminisse, per quos ecclesiæ primùm fundatæ sunt: vt ex epistolis ad Philippenses, Corinthios, Colossenses, & aliis nonnullis constat. Respondet Bellarminus;

minus: *Hoc* [7] *argumentum non concludere: neque enim Apostolum, cum ad Ephesios & Hebraeos scriberet, salutasse Ioannem & Iacobum, cum tamen ille Ephesi, hic Hierosolymis episcopus esset.* Sed ratio dissimilis est. nam in his epistolis neminē nominatim salutat: at in epistola ad Romanos multos nominatim salutat. Pręterea epistolam ad Hebræos genti inscribit vniuersæ: at epistola ad Romanos ad vnius vrbis homines scripta videtur. Petrum deinde propriè episcopum fuisse volunt: at Ioannes & Iacobus propriè Apostoli erant, licèt propter episcopalem curam nōnulli eis episcoporum nomen tribuant. In [1] epistola ad Hebræos *omnes ecclesiæ præpositos* salutat, *sicut alios sanctos.* cur non ergo Petrum Romæ salutaret, si ibi fuisset, cum homines aliquot plebeios salutet? Respondet secundò Bellar. *scripsisse hanc epistolam Paulum, quo tempore in Syria erat Petrus.* Sed neque sic medicinam huic vulneri reperit. nam si in Syria fuisset, vnde Apostolus Paulus hanc epistolam scripsit, aliquam eius mētionem facturus videtur. Præterea, prisci ecclesiæ episcopi toties à gregibus suis nō sunt soliti peregrinari. Tertiò, tam longæ peregrinationis aliqua causa dicenda erat. at Bellar. nullam vel causam, vel suspicionē proferre potest. Postremò, peracto cōcilio Hierosolymitano, Petrum Romam rediisse [2] dicunt. si ergo quo tempore Paulus epistolā ad Romanos scripsit, iterum in Syriā profectus est, bis in Syriā profectus est, & diutiùs ferè Romā abfuit post susceptum ecclesiæ regimen, quàm adfuit. quod de tanto Apostolo nec suspicari quidem licet, nec à sene facilè præstari potuit.

Septimò, scripsit Paulus ex vrbe Roma, ad *Galatas, Ephesios, Colossenses, Philippenses, Hebraeos,* ad *Timotheum* deniq; & Philemonem, multorumque Romanorum nomine salutem dicit plurimis, Petri nomine vbique tacito. cui autem verisimile videri potest, Paulum, qui tot homines obscuros nominat, tantum apostolum prætermissurum fuisse, si is Romæ illo tempore fuisset? Præterea, licèt alias sæpe occasiones haberet Petrum nominandi; nusquam tamen de eo vel leuissimā mentionem facit.

[7] Lib. 2. de pont. Rō. c. 7.

[1] Cap. 13.

[2] Baronius tom. 1. in Petro.

3 *Lib. 2. de pont. Rom, c. 8.*

Respondet [3] Bellarm. *non valere argumentum ab authoritate negatiuè. nam Christum fuisse circumcisum, licèt Matthæus eius non meminisset; & præsentatum, licèt illud taceat Marcus; & natum de virgine Maria, licèt Ioannes eius nihil habeat. Similiter,* inquit ille, *constat stellam nouam apparuisse Christo iam nato, licèt Lucas de ea re nihil dicat.* Quæ sanè omnia ad elidendam vim argumenti nostri nihil faciunt. nam ista licèt non habeantur apud vnum euangelistam, apud alios tamen disertè habentur. at Petri ad vrbem aduentus nusquam legitur in scripturis. vnde sequitur, non esse illud tanquam fidei caput credendum. Nam hoc argumētum ab authoritate negatiuè validè valet: *Ex scripturis non probatur*, ergo *non est dogma fidei.* Ita argumentatur Apostolus, ita etiam argumentantur patres, vt nos alibi ostendimus: idque necessariò sequitur, quia scriptura est canon fidei, & nihil est nunc necessariò credendum extra scripturas. Etiam in aliis scientiis valet argumentum ab authoritate negatiuè. rectè enim concludimus; Nusquam hoc traditum est à dialecticis, aut philosophis: ergo non est hoc Dialectices aut philosophiæ certum dogma.

Præterea, non tantùm negatiuè argumentamur ab authoritate, sed etiam à minore ad maius. nam si nominat apostolus homines obscuros, multò magis nominare debuit apostolum tam clarum: at hoc non facit. cui ergo videatur probabile, apostolum Petrum eo tempore Romæ fuisse, quando literas illas scripsit Paulus, vbi alios obscuræ notæ homines nominauit, Petrumque tacuit?

Octauò, iniuriam faceret Petro apostolo, qui non eum vbique summa contentione, & omni labore, & studio Christum prædicasse, & reliquis Apostolis, & cooperatoribus suis auxilio fuisse putaret. At si Romæ fuit quo tempore Paulus inde scripsit ad *Philippenses, Colossenses, & Timotheum*; tum sua quæsiuit, & Paulo nullam opem attulit, sed planè eum dereliquit. hoc enim disertè Apostolus, paucis nominatim exceptis, de omnibus qui tum Romæ fuerunt, affirmat. *Omnes*, [1] inquit, *quæ sua sunt, quærunt.* & Coloss. vltimo: *Salutat*

1 *Phil. 2.*

vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, & Iesus qui dicitur Iustus. hi soli sunt adiutores mei in regno Dei. Et 2. Tim. 4. *in prima defensione nemo mihi astitit, sed omnes me dereliquerunt.*

Respondet [2] Bellarminus ad primum locum, *per omnes intelligi*, non omnes, sed *quosdam*: nam *secum fuisse Timotheum, qui tamen sua non quærebat.* Sed nec certò constat, an eo tempore *Timotheus* cum *Paulo* esset (possunt enim absentes mitti, vt de Timotheo [3] scribit Paulus) nec omisit Paulus hunc nominatim excipere: quod de Petro non fecit. nec rectum est, per *omnes* intelligere, *non omnes*.

[2] *Lib. 2. de pont. Rom. c. 8.*

[3] *Phil. 2.*

Ad secundum respõdet, *loqui ipsum de domesticis suis: alioqui enim multos Romæ fuisse, qui regnum Dei promouebant.* Sed absurdum est putare ipsum loqui de domesticis suis, cum apertè loquatur de adiutoribus in regno Dei. Nec obstat, quod vbi [4] dicit *Lucam secum esse solum*, loquatur de domesticis suis. multum enim ista discrepant quoad loquendi modum: *Lucas mecum est solus:* & *hi soli sunt adiutores in regno Dei:* ibi enim de priuatis, hîc de publicis adiutoribus loquitur. Præterea, quis non potiùs credat Apostolo dicenti, *Aristarchum, Marcum*, & *Iustum* sólos se in regno Dei adiuuisse, quàm Bellarm. affirmanti, *multos præter illos regnũ Dei promouisse?* Nec obstat quod *quando scripta est epistola ad Romanos, multi tum Romæ essent fideles & Iudæi & gentiles.* nam hoc fieri potuit, & tamen quando ad Colossenses scripsit, aut Româ discesserant, aut non retinebant pristinum fidei ardorem, aut non erant, qui nominantur ab Apostolo in fine epistolæ, coadiutores in regno Dei, aut verbi Dei ministri.

[4] *2. Tim. 4*

Respondet ad tertium, *Apostolum de iis loqui qui apud Cæsarem eum iuuare potuissent. nam Lucam ibi fuisse, & tamen eum non deseruisse.* Quæ sanè longissimè absunt ab Apostoli mente. ipse enim se ab omnib. desertum queritur. Nec obstat quod Lucas secum esset. loquitur enim non de domesticis, sed de eis qui in ecclesia Rom. maximè splendebant. de aulicis auté probabile non est, ipsum loquutum esse. quid enim ipsi erat cum aulicis negotii? num aliqui erant in aula Neronis regni Dei adiutores & pastores ecclesiæ, vt nunc

in aulis principum volitare solent ex vnctorum, & rasorum grege fraterculi? num aliqui erant in palatio Neronis lebusitis similes Corycei, & homines aulicarum rerum curiosi indagatores?

[1] Col. 737. Respondet ergo [1] secundò, *Petrum Romæ non fuisse cum Paulus has literas scriberet, eum enim sæpius abfuisse, vt variis in locis constitueret ecclesias, & propterea Linum & Cletum assumpsisse, qui episcopalia munera obirent.* Sed hæc causam nostram confirmant. nam si iam tertiò ab vrbe aberat *Petrus*, & varia circuibat loca; falsum est eum Romæ 25. annos in episcopali cathedra sedisse. Præterea, si episcopi erant *Linus* & *Cletus* adhuc viuente Petro; tum non erat Petrus eo tempore episcopus, nisi fortè duos aut tres vnius vrbis velint esse episcopos. Tertiò, ex istis responsionibus nos intelligimus Petrum sæpiùs Româ abfuisse, eo tempore quo aduersarii eum Romæ episcopum fuisse fingunt. at ex argumentis eorum intelligere non possumus, eum vllo tempore Romæ fuisse.

[2] Annal. tom. 1. Postremò, pugnant hæc cum [2] Baronii scriptis. Ipse enim non nisi post mortem Petri *Linum* & *Cletum* episcopalia munera tractasse dicit.

Nonò, nulla fuit necessitas, cur Paulus Romæ de Christo testimonium perhiberet, si Petrus tam clarus & insignis Apostolus ibi iam ecclesiæ fundaméta posuisset, & Christum ibi primò prædicasset. quis enim clarius, & illustrius de Christo testimonium diceret, quàm clarissimus Christi Apostolus *Petrus*? At Dominus tamē [3] dixit *Paulo*, antequam Romam proficisceretur: *Oportere ipsum Romæ etiam de Christo testificari.* Dixit etiam de se [4] Paulus, *oportet me Romam videre.* quid autem noua ibi opus erat testificatione, si *Petrus* antea de Christo Romæ testificatus esset? cur ille videret Romam, cum *Petrus* eius vrbis episcopatum susceperat? [1] ostendit enim se super *alterius fundaméta* non solere ædificare, sed ibi prædicare vbi Christi fides nota non erat.

Decimò, testibus inter se dissentientib. & pugnantibus [2] nō creditur. at de tépore aduentus Petri ad vrbem, maxima est inter aduersarios dissensio. Damasus

[3] Act. 23.
[4] Act. 19.
[1] Rom. 15.
[2] Bartol. in l. de minore. §. plurimū. col 6. & Dd. in c. ex literis. & c. licèt causam. de probationib.

sus in suo pontificali, Nerone iam denuùm imperante, vrbem ingressum dicit. Marianus Scotus & author compilationis chronologicæ, & fasciculi temporum author, non ante quartum Claudii imperatoris annum Romam venisse asserunt. *Passionale de vitis sanctorum*, anno decimotertio Claudii venisse annotat. reliqui autem ferè omnes secundo *Claudii* anno eum episcopatum Rom. fundasse scribunt. adeoque subtiliter se rem istam inuestigasse putat [3] Baronius, nouus annalium scriptor, sed omnium qui vnquam scripserunt historias mẽdacissimus & fabulosissimus, vt diem ipsum se invenisse putet. decimoquinto enim die Kalend. Februar. Romam ingressum esse narrat. At hos omnes refellit Eusebius. is enim *Petrum* non nisi sub finem vitæ suæ Romam venisse [4] dicit. [5] Antea quidem sub Claudio dixit eum Romam venisse, sed nisi extrema tempora Claudii intelligamus, secum ipse pugnare videbitur.

[3] *Annal lib. tom. I.*

[4] *Hist. eccl. lib. 3. c. 1.*

[5] *Lib. 2. c. 13.*

Plerique papistæ asserunt Petrum 25. annos in episcopali cathedra consedisse. At hanc sententiam refellunt omnes, qui vel tertio, vel quarto Claudii anno, vel Nerone imperante Romam venisse dicunt. Nam si secũdo Claudii anno Romam venerit; decimotertio Neronis anno passum esse necesse est: is enim vicesimus quintus est annus ab anno secundo Claudii. At si post tertium aut quartum annum Claudii, aut Nerone iam imperante, Romam venerit, & anno denuùm decimotertio Neronis passus sit, quod plerique consentiunt; tum non potuit 25. annos vrbi illi praeesse.

Bellarminus [6] dicit Petrum *quinque post Christi resurrectionem annos mansisse in Iudæa, & inde profectum septem proximos annos sedisse Antiochiæ*; inde sub finem septimi anni Hierosolymam reuersum putat, & in carcerem ab Herode coniectum. Postquam verò è carcere liberatus esset, Romam profectum esse contendit anno duodecimo à Christi passione, & Claudii imperatoris anno secundo: Deinde post annos septem Hierosolymam ad concilium reuertisse, & peracto concilio illo, & mortuo Claudio, Romam secundò profectum, & ibi mortuum esse. At in

[6] *Lib. 2. de pont. Ro. c. 6.*

responsionibus suis ad *Veleni* argumenta, coactus est ter Româ egressum, & aliquo tempore ampliùs absuisse confiteri.

[1] *In annot. post Petrum.* Onuphrius verò longè aliter tempora [1] computat. nō enim ante nonum annum a morte Christi Petrum è Iudæa egressum putat: è Iudæa rectâ Romam profectum dicit. Postea ad Concilium Hierosolymitanum reuersum esse, & inde Antiochiam profectum, & ibi septem annos consedisse scribit. Post Claudii verò obitum Antiochia discessisse, & Romam venisse, & ibi vsq; ad obitum sedisse credit.

Istis ergo contraria asserentibus, quænam fides adhibenda est? Præterea, falsum videntur asserere vel clarissimi horum magistri. dicunt enim *Petrum* secundo anno Claudii Romam venisse, ibique vsque ad concilii Hierosolymitani tempora mansisse. sed hoc consistere non potest. sub mortem enim Herodis, qui, vt inquit [2] Iosephus, *tres annos sub Claudii compleuit imperio*, Hierosolymis detinebatur in carcere. statim enim post *Petri* è carcere liberationem, [3] narratur mors Herodis Agrippæ. Præterea, Eusebius [4] dicit, eum sub extremum tempus ætatis Romam venisse. Deinde, Thraseas martyr ex traditione [5] narrat, *Seruatorem mandatum dedisse Apostolis, ne ad duodecim annos Hierosolymis discederent.* Duodecimus autem annus post Christi passionem in tertium Claudii incidit. nec potest huic traditioni fidem abrogare Bellarm. nisi simul omnes traditiones in dubium reuocare velit: reliquæ enim omnes non alio nituntur fundamento. Postremò, [6] Apostolus exactis 14. annis postquam Petrum Hierosolymis vidisset, iterum ascendit Hierosolymā, vbi *Petrum* inuenit nec interea loci vllum vel leuissimum extat argumētum in scripturis *Petrum* Romam profectum esse. Neque ad rem facit, quod Hieronymus, & alii historici, *Petrum* 2. anno Claudii Romam venisse dicant. nam hoc tantùm ex auditu dicunt: & plures, & grauiores testes aliter loquuntur.

[2] *Lib. 19. antiq. c. 7.*
[3] *Act. 12.*
[4] *Hist. eccl. lib. 3. c. 1.*
[5] *Euseb hist. lib. 5. c. 17.*
[6] *Gal. 2.*

[7] *Lib. 1. de pont. Rō. c. 6.* Neque sanè verum est, quod dicit [7] Bellarmin. *Petrum ante primam profectionem ad vrbem Romam Antiochiæ præfuisse, & inde Romam profectum, & postea ad concilium*

concilium Hierosolymitanum; finitoque deinde concilio, ab mortem Claudii Romam rediisse. nam de septennali à Antiochena ante concilii Hierosolymitani principium præfectura, nullum omnino est in scripturis aut patrib. vestigium. At post cōcilii exitū, certum est Petrum aliquo tempore Antiochiæ substitisse. Ibi enim Paulus ei in faciē restitit: & id factum [8] dicit non modico spatio post cōcilii exitum; nempè postquā Iudæis & gentibus secundùm sortitionem a se factam prædicassent. Huc adde historicorum authoritatem, qui de temporibus istis aliter, quàm Bellar. loquuntur.

[8] *Gal. 2.*

Nec satisfacit huic obiectioni vbi [9] dicit, *magnam esse discordiam inter Authores de tempore ætatis Christi; item de die & mense passionis; nec minùs de tempore, quando septimanæ Danielis fluere cœperunt: de annis etiam Samuelis, Saulis, & aliorum principum Iudæorum, & Persarum multos litigare; neminem tamen ista negare.* longo enim interuallo ista à causa synagogæ pontificiæ de *Petri* ad vrbem aduentu seiuncta sunt. In scripturis enim sacris legimus Christum passum esse, & [1] *septuaginta septimanas abbreuiatas fuisse*, & Samuelem, & Saulem, & principes illos fuisse, de quibus controuersia est. At *Petrum* Romam venisse, & ibi ecclesiæ præsedisse 25. annos, apud authenticos authores non legimus. Præterea, de illis rebus scripturæ mirificè consentiunt. at de Petri episcopatu repugnantia scribunt authores.

[9] *Lib. 2. de pōt. Rom. c. 5.*

[1] *Daniel. 9.*

At, inquit [2] Bellarm. *inter authores bonos nulla est discordia.* quasi verò Damasus, & author Passionalis, quod vulgò legitur in delubris sectę pōtificię, & Wernerus, non sint boni authores; & Cæsar Baronius non habeatur author ecclesiasticæ historiæ lōgè optimus. illi tamen opinionē receptam à synagoga Rom. oppugnant, & iste à Bellarm dissentiens dicit, Petrum *anno Neronis decimotertio passum esse*, & non decimoquarto, vt putat Bellarm.

[2] *Vbi supra.*

De successoribus etiam Petri non minor inter authores contentio est. nam alii post Petrū ponunt Clementē, vt [3] Tertullianus, [4] Hieronymus & ipse [5] Clemens. His etiam suffragari videntur [6] Damasus, So-

[3] *De præscr.*

[4] *In c. 52. Isa. & in prolog. in epist. Pauli & lib. 1. in Iouin.*

[5] *Lib. 7. Cōstit. Apost. c. 17.*

[6] *In vita Petri.*

Petrum *Romæ episcopum non fuisse.*

CAP. X.

HActenus ostensum est incertum esse, an Petrus aliquando Romæ fuerit. Verùm quoquo modo se res habet, hoc sanè certum est, eum vrbis illius episcopum, si propriè loqui velimus, non fuisse. Probatur autem hoc *primò*, quia Apostoli, & pastores, seu episcopi propriè dicti ita distinguuntur, vt aliud planè sit Apostolus, aliud pastor, seu episcopus. Et *ipse*, inquit [4] Apostolus, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores.* Quid disertius dici potuit? *quosdam dedit Apostolos, alios autem pastores & doctores.* Augustinus apostolatum ab episcopatu distinguit tanquam maius officium à minore. *Quis nescit*, inquit [5] Augustinus, *illum apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum?* Quod si ergo Petrus Apostolus fuit; episcopus & pastor propriè loquendo esse non potuit, nisi & Christi dona, & membra diuidentia confundere velimus.

[4] *Ephes.* 4.

[5] *Lib.* 2. *de baptism. c.* 1.

Secundò Apostoli hoc habuerunt, vt à Christo immediatè vocarentur, & mitterentur. *Et vocauit*, inquit [6] Marcus, *duodecim & cœpit eos mittere binos & binos, & dabat eis potestatem.* [7] Lucas dicit Christum ex omnibus discipulis duodecim elegisse. Paulus se *nec ab hominibus, nec per hominem esse Apostolum* [8] prædicabat. Similiter cum eligendus esset Matthias in locum Iudæ, hoc totum Apostoli Deo permittunt. *Ostende*, [9] inquiunt illi Deum orantes, *quem elegeris.* At episcoporum longè alia est ratio. ipsi enim non à Deo immediatè, sed ab hominibus vocabantur. Paulus [1] ostendit Timotheum ordinatum esse, *cum impositione manuum presbyterii.* eidem etiam leges [2] præscribit, quales episcopi eligēdi essent, monetq́; , *ne citò manus cuiquā* [3] *imponeret.* atq; ita deinceps cæteri omnes episcopi ordinabantur. *ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν*, aiunt qui canones condiderunt vulgò dictos apostolicos. Cùm ergo Petrus à Christo solo, & non ab hominibus vocatus, electus, & ordinatus sit; vnde illi datus est episcopatus?

[6] *Marc.* 6.

[7] *Luc.* 6.

[8] *Galat.* 1.

[9] *Actor.* 1.

[1] 1. *Tim.* 4.

[2] 1. *Tim.* 3.

[3] 1. *Tim.* 5.

Tertiò, episcoporum longè inferius erat officium, quàm Apostolorum, & in Apostolorum officio quodammodo inclusum. Apostoli enim episcopos ordinabant, & causas eorũ cognoscebant, & à Christo immediatè claues acceperunt. Præterea, potestatem acceperunt scripturas canonicas edendi, & propterea in omnem veritatẽ à Spiritu sancto [3] ducti sunt. At episcoporum ea non erat prærogatiua. nulla enim in ecclesia Dei grauiora excitata sunt schismata, nec [4] hæreses exortæ sunt ab vllo tetriores, quàm ab episcopis. Cùm ergo Apostolus esset Petrus; quid opus erat, vt quasi capite diminutus ad inferiorem ordinem & dignitatem velut Patritius ad plebem transiret?

[3] *Ioan.* 14.

[4] *Petr. de Alliaco de reformat. eccl.*

Quartò, missi sunt Apostoli in vniuersum orbem, sine aliquo suæ potestatis termino, aut limitatione. *Docete*, inquit [5] Christus Apostolos in mundum ablegaturus, *omnes gentes*. & Marc. 16 *profecti in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ.* [6] Hieronymus mandatum eis datum dicit, *vt docerent omnes gentes*. vnde [7] Chrysostomus: *Iubet*, inquit, *vt in vniuersum orbem effundantur*. Hoc etiam factum fuisse docet Tertullianus. *Apostoli*, [8] inquit ille, *per Iudæam fide contestata in Iesum, & ecclesiis institutis, deinde in orbem profecti eandem doctrinam nationibus promulgarunt, & ecclesias apud vnam quamque ciuitatem condiderunt.* At episcopi non in vniuersum mundum, sed ad certas ciuitates & regiones missi sunt. Inde etiam nomina sua acceperunt, vt singuli se suam *Spartam* adeptos cognoscerent, quam ornarent. Vniuersalis episcopi nomen primis temporibus ignotum erat. illud Gregorius primus non tulit. Postremò, hortatur [9] *Petrus* compresbyteros suos, vt vnusquisque *gregem qui penes ipsos erat*, pasceret.

[5] *Matth.* 28.

[6] *In Matth.* 18.

[7] *Homil.* 91. *in Matth.*

[8] *De præscr. aduers. hæret.*

[9] 1. *Petr.* 5.

Quintò, si Petrus vrbis Romæ episcopus fuit; & hoc ex Dei ipsius ordinatione factum est: cur Petrus [1] sortitus est circumcisionem, & Paulus gentes? cur Paulus Romanis prædicauit, & non Petrus; quod ex scripturis intelligere licet? cur Petrus, neglectis Romanis, quorum regimen eum suscepisse fingunt, [2] *Iudæos*

[1] *Gal.* 2.

[2] 1. *Petr.* 1.

dæos per *Pontum, Galatiam, Cappadociam, Bithyniam,* & totam *Asiam* præcipuè curaret? episcopi enim ad ecclesiæ alicuius regimen electi & ordinati, illam curare debent. hoc enim omnes fecerunt prisci episcopi; hoc episcopi Rom. exemplo suo docuerunt. totius autem mũdi curam episcopalis muneris angustiæ non capiebant.

Sextò, non est ille mos episcoporum, vt relictò grege suo alienos greges curent. ipsi enim quasi in specula ecclesiasticæ gubernationis constituti pro grege excubant, vnde & episcopi illis nomen inditum. At Petrus, aduersarii non certò sciunt, an ad Romanos vnquam venerit. Certè si vllo tempore Romæ fuerit; & tempore concilii Hierosolymitani, & quo tempore Paulus ad Romanos scripsit. & postremò, quando Romæ docuit Paulus, & ad *Ephesios*, *Colossenses*, *Timotheum*, & *Philemonem*, & alios epistolas Romæ dedit, ab vrbe abfuit. [1] Onuphrius post concilium Act. 15. asserit eum septem annos Antiochiæ præfuisse. post exitum concilii illius certum est eum Antiochiæ fuisse. nam [2] Paulus ei ibidem *in faciem restitit*. at ista per orbem terrarum peregrinatio, vt [3] apostolici erat officii; ita planè ab episcopali munere aliena erat.

Septimò, si episcopus erat vrbis Romæ Petrus; ab aliquo ordinatum & consecratum fuisse tenendum est. nam episcopos ab aliis episcopis ordinandos docent canones: & Iacobum à Ioanne, Petro, & alio Iacobo ordinatum esse dicunt vrbis Hierosolymæ episcopum. hoc enim [4] Eusebius, & [5] Clemens, & [6] Hieronymus affirmant. At de ordinatione Petri, à quo tãdem facta fuerit, ne aduersarii quidẽ, licèt diligenter omnia inuestigarint, quicquam extricare potuerunt. Asserunt quidem à Christo vrbis Romæ episcopum ordinatum, sed nos non verba, sed testimonia certa flagitamus.

Octauò, si verbis istis, *Pasce oues meas*, ordinatus sit episcopus, seu pastor ordinarius, vt [7] asserit Bellarmin⁹, tum non magis erit vrbis Romæ, quàm totius orbis episcopus. [8] Chrysostomus enim his verbis *totius orbis curam ei demandatam* dicit. [9] Theophylactus

[1] *In annot. post Petrum apud Plat.*
[2] *Gal. 2.*
[3] *Can. Apost. 1.*
[4] *Lib. hist. eccles. 2. c. 1.*
[5] *In recognit.*
[6] *In catalog. verb Iacobus.*
[7] *Lib. 1. de pont. Rom. c. 12. & 15. & 16.*
[8] *In c. vlt. Ioan.*
[9] *In c. vlt. Ioan.*

ei *ouium totius mundi præfecturam commissam* asserit. Si autem postea nouam adeptus est ordinationem; tum iterum episcopus est ordinatus: quod canones fieri prohibent. ordinationem enim isti non minùs quàm baptismum, charecterem imprimere, & non esse reiterandum docent. Præterea, licèt vrbem Romam à Christo primatum habuisse contendant; nullum tamen huius ordinationis secundæ testimonium proferre possunt.

1 *Iohan.* 20. 2 *Lib.* 1. *de pont. Rom. c.* 12. *col.* 6. 55.

Nonò, si Apostoli vnâ omnes facti sint episcopi illis [1] verbis, *sicut misit me pater, sic ego mitto vos*, vt disertè affirmat [2] Bellarminus, tum sine alicuius loci assignatione facti sunt omnes Apostoli totius orbis episcopi, & non magis ad Petrum, quàm ad alios apostolos pertinebit vrbis Romæ episcopatus. cur enim magis ad Petrum, quàm ad alios spectaret vrbis illius cura, cum vna omnium communis esset ordinatio?

3 *Concil. Nicen. canon.* 8. 4 *C.* 1. *de apostatis.* 5 *in libr. recognit.* 6 *Libr.* 3. *aduers. hæres. cap.* 3.

Decimò, si Petrus erat vrbis Romæ episcopus; neque potuit, neque debuit, se viuente, alium ibi ordinare episcopum. Non potuit, quia duo vnius vrbis secundùm priscos ecclesiæ canones episcopi esse non [3] potuerunt. Non debuit, quia stationem suam deserere, & episcopatum relinquere, animi est abiecti; & ita facientes etiam papistæ inter apostatas [4] recensent. At Petrus dum adhuc viueret, Clementem ordinauit, si ipsi [5] credimus. alii dicunt eum *Linum* aut *Cletum* ordinasse. *fundantes*, inquit [6] Irenæus, *& instruentes beati apostoli ecclesiam Lino episcopatum ecclesiæ administrandæ tradiderunt.*

7 *Vbi supra.* 8 *De præscri.*

Vndecimo, si Petrus verè habendus sit episcopus Roman. tum non erat Paulus simul eius vrbis episcopus. hoc enim concedunt aduersarii, & facilè probari potest; quia vnius vrbis non nisi vnus debet esse eodem tempore episcopus. At ecclesia Romana non minus à Paulo, quàm à Petro fundata est. ipse enim scriptis ad Romanos literis notissimis, biennium etiam ibi docuit, quod de Petro certò affirmari non potest. [7] Irenæus dicit eos simul fundasse ecclesiam Romanam. Parē eis prærogatiuam deferunt [8] Tertullianus, [9] Atha-

9 Athanasius, 1 Epiphanius, 2 Augustinus, & reliqui ferè omnes. *In Roma*, inquit Epiphan. *fuêre primi Petrus & Paulus apostoli iidem ac episcopi.* Hieronymus Clementem 3 dicit *post apostolos ordinatum fuisse vrbis Romæ episcopum.* Nisi ergo istos cum aliis patribus ecclesiæ pugnantia loquutos existimemus, necesse est Petrum & Paulum velut apostolos, & non vt episcopos propriè dictos ecclesiam Romanam fundasse.

9 In apol. profuga.
1 In hæres. 27.
2 De cõsens. euang. lib. 1. c. 10.
3 In præfat. in ep. Pauli.

Postremò, patres nostram sententiam confirmant. Augustinus, vt diximus, officium apostolatus ab episcopatu 1 secernit. Reliqui catalogum episcoporum Roman. texentes, licèt *Petro* ecclesiæ eius fundandæ authoritatem tribuant, episcopum tamen primum alii Linum, alii Clementem constituunt. 2 Irenæus dicit Eleutherium fuisse duodecimum episcopum. *Nunc*, inquit, *duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius.* vnde constat, nec Petrum, nec Paulum ab eo habitum esse episcopum. primus enim *Linus* erat, cui ordine successere *Anacletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Higinius, Pius, Anicetus, Soter* & *Eleutherius.* Petrus etiam ab Eusebio ex episcoporum numero excluditur. *Post Pauli & Petri martyrium*, inquit 3 ille, *primus Romanæ ecclesiæ episcopatum Linus sortitò capit*, vnde in Chronico vocat Petrum *primum Christianorum pontificem.* ita enim erat, potiùs quàm Romanorum. 1 Hieronymus etiam ostendit Clementem primum fuisse vrbis Romæ episcopum, *eumque apostolis successisse* dicit. Ruffinus in præfatione in recognitiones Clementis ita scribit: *Linus & Cletus fuerunt quidem ante Clementem episcopi in vrbe Roma: sed superstite Petro*, viz. *vt illi episcopatus curam gererent, ipse verò apostolatus impleret officium*, sicut etiam apud Cæsaream inuenitur fecisse. Clarissimè verò Ioannes 2 Zonaras; *primo*; inquit, *eius anno Linus primus Romanorum episcopus moriens, thronum Anacleto reliquit.* & ne errorem fuisse putemus, *Anacletum* secundum & *Clementem* tertium 3 numerat. Quando ergo propriè loquuntur patres, Petrum nõ episco-

1 Lib. 2. de baptis. c. 1.
2 Lib. 3. aduers. hæres.
3 Lib. 3. hist. cap. 2.
1 In præfat. in ep. Pauli.
2 Annal. tõ. 2. de imperio Titi.
3 Ibidem

pum, sed apostolum vocant. quod etiam ipse populus Rom. fateri videtur, qui sedem episcopalem vrbis Romæ non in Basilica Petri, sed in delubro Ioannis Lateranensis posuit. hoc enim testantur 4 Hugo, & 5 Ioannes de Turrecremata. At si Petrus sedem Romæ posuisset, nusquam sedes episcopalis, præterquam apud ipsius Basilicam posita fuisset.

4 *In c. futuram. 12. q. 1.*
5 *Lib. 2. summæ cap. 36.*

Respondetur ad Bellarmini argumenta, quibus ille ostendere conatur, & Petrum Romam certò venisse, & episcopum ibi fuisse, Cap. XI.

Confirmata nunc nostra de Petri ad vrbem aduentu, & eius apostolatu sententia, videamus quàtum Bellarmini contra eam argumenta valeant. Ac primò quidem, quòd Petrus Romæ fuerit, *ipsius Petri testimonio se ostensurum* [1] *pollicetur. primam enim epistolam eius Babylone, hoc est, Romæ scriptam fuisse, idque Papiã testari.* Sed multa sunt huius argumenti peccata. nam non dicit Papias Petrum illam epistolam Romæ scripsisse, sed tantùm quædam de Marco [2] narrat. quæ autem sequuntur Papiæ testimonium de Marco, ea Eusebii sunt, & non Papiæ. Verùm vt vel Papias, vel Eusebius sentiret, per Babylonem Romam tropicè designari; non tamen sequitur Petrum per vocabulum illud Romã intellexisse, quod Bellarmino probandũ erat. quid enim sequutus est Eusebius, vt Romam existimaret in clausula epistolæ per Babylonẽ intelligi, cũ nihil Petrus de vrbe illa priùs vel loquutus esset, vel leuissimè significasset? aut cur ille, relicto sensu literali, ad allegoriam confugeret?

1 *Lib. 2. de pont. Rom. c. 2.*
2 *Euseb. hist. lib. 2. c. 14.*

At cur literaliter Babylonem Assyriæ ciuitatem intelligamus, probabiles afferri possũt rationes. Primò, nusquam Spiritus S. de aliqua vrbe acerbè loquitur, nulla reddita eius rei ratione. Deinde, cum ad dispersos per Asiam Iudæos scribat, verisimilius est eum Babylone, quàm Romã literas dedisse: quia si Romæ scripsisset, non videtur tantùm longinquas ecclesias Asiæ, neglectis propinquis ecclesiis Europæ, nominaturus. Babylone autem in vrbe maxima præsidentem, rectè conueniebat eum ad Asiaticos scribere taci-

tis-

tis Europæis. Postremò, nō sequitur Romę datam fuisse epistolam, licèt per Babylonem Romam intelligamus. nam tantùm salutat Iudæos dispersos verbis *ecclesiæ in Babylonia*, & nō dicit epistolam Babylone datam fuisse.

Ad [1] Hieronymi, [2] Oecumenii, & Bedæ testimonia respondeo ipsos leuissima cōiectura ductos existimasse Petrum per Babylonem Romam intellexisse, Nam quia Petrum Romæ fuisse audierant, & tamen hoc nusquam in scripturis reperiebant; hoc loco illud significari coniiciebant. sed repugnat textus litera, quæ temerè non est mutanda, & rationes suprà adductæ. cur enim subito Roma velut Babylon altera notaretur, cum nulla tam grauis accusationis ratio, vel suspicio per totam epistolam adducta esset?

1 In Catalog. v. Marcus.

2 In 1. Pet. 5.

[3] Tertullianus quidem asserit, *sub Babylonis nomine in Apocalypsi Ioannis Romam intelligi.* neq; sanè nobis vnquam in mentem venit, illud negare, ex eo enim clarè demōstratur, synagogam pontificis Rom. sedem esse Antichristi, & ex Roma nunc, tanquam ex Babylone, quæ facta est nunc habitatio dæmoniorum, & omnis spiritus immundi, exeundum esse. Non tamen propterea sequitur Petrum de Roma sub Babylonis figura loquutum esse. nam Spiritus sanctus apud [4] Ioannem apertè ostendit per Babylonem Romam intelligi. neq; enim alia vlla ciuitas tunc aut imperium habuit super reges terræ, aut super septem mōtes collocata est, quàm Roma. At Petrus ne verbulo quidem vno significat se Romam intellexisse, quādo dixit Babylonem. imò contrà rationes allatæ sunt, cur verè, sicut loquitur Petrus, [5] Babylon literaliter intelligenda sit. quibus nunc addendum est, quod Roma quando incepit esse sedes ecclesiæ, non tam aptè Babylon dici potuit, Quod autem per Babylonem in Apocalypsi non vetus Roma, sed noua Roma, vt est sedes pontificum Romanorum intelligatur, inde manifestum fit, quia post interitum imperii Rom. quod in figura pardi Apocalyp. 13. describitur, ortus & occasus noui regni papistici, quod in agni figura repræsentatur, prædicitur.

3 Lib. 3. contra Marcio. & aduers. Iudæos.

4 Apoc. 17.

5 1. Petr. 5.

Deinde, Babylon post casum suũ fiet habitatio dæmoniorum. at post imperii inclinationem ecclesia ibi florere cœpit, & non potuit dici habitatio dæmoniorum. At nunc omnes prophetiæ Ioannis in Synagogã Rom. aptissimè quadrant. Nec obstat quod Hieronymus suo tempore Christi veram confessionem Romæ fuisse[1] dixerit. eo enim tempore etsi fides adhuc sana esset, in moribus tamen magna facta est[2] mutatio, & fides in multis frigêre cœpit.

[3] Dicit secundò Bellar. *multos fuisse Romæ Christianos, antequam Paulus eò venisset. hoc enim ex epistola ad Romanos, & Actorum vltimo capite probari.* hos autem omnes *Petri prædicatione conuersos fuisse* autumat. ecclesiam deniq; Romanam *à Petro primò fundatam fuisse*, authoritate Irenæi, Eusebii, Epiphanii, Chrysostomi, Orosii, Leonis primi, Theodosii imperatoris, & Sibyllæ probare conatur. Sed multis ex partibus & hoc etiam argumentum claudicat. Nam vt multi essent Romæ ante Paulum Christiani; non tamen sequitur eos à Petro conuersos fuisse. multi enim præterea Romæ erant Christi discipuli, à quibus Romanos conuersos fuisse probabile est. Paulus in Epistola ad Romanos[4] salutat Aquilam, Andronicum, Vrbanum, & alios nonnullos. Præterea,[5] Clemens &[6] Dorotheus asserunt Barnabam primum omnium euangelium Romanis prædicasse. Quod autem respondet Bellar. *nullum ausum prædicare gentilibus ante Petri visionem Actor.* 10. & 11. nullam meretur fidem. Christus enim ad patrem ascendens apostolis disertè præcepit, vt gentibus omnibus euangelium prædicarent. *Euntes*,[7] inquit Christus, *in vniuersum mundum, prædicate euangelium omni creaturæ.* quis autem Christi mandato munitus non se tutum putaret? & ex[8] Actis apostolorum intelligimus Samaritanos ante Petri visionem recepisse euangelium: quos tamen[9] certum est non fuisse ex Iudæorum genere aut gẽte. Præterea, ex Suetonio & Tertulliano probatur, quosdam ex gentilibus Christianos fuisse tempore Tiberii imperatoris. nam eos Romæ sub Claudio tumultuatos & expulsos dicit[10] Suetonius. non est autem verisimile

[1] *Ad Marcellam epist. & lib. 2. in Iouin.*
[2] *Vide epist. ad Eustoch.*
[3] *Col. 715. & 716.*
[4] *Cap. vlt.*
[5] *Recognit. lib. 1.*
[6] *In synops.*
[7] *Marc. 16.*
[8] *Act. 8.*
[9] *4. Reg. 17.*
[10] *In Claudio.*

simile paucis tumultus crimen obiici, aut multos in vno momento à Petro fieri potuisse Christianos. [1] Tertullianus ideo negat Christũ à senatu Rom. receptum, quia antea à populis coli cœptus esset. quomodo autem coleretur à populis vbiq;, si nulli tempore Tiberii de quo loquitur ille, essent Romani Christiani? Nec sanè mirum est, Romæ fuisse Christianos imperante Tiberio, cum eisdem temporibus religionem Christianam vsq; ad Britannos peruenisse locuples author testetur [2] Gildas. [3] Orosius autẽ & [4] Platina disertè affirmant senatum tempore Tiberii decreuisse, vt expellerentur ex vrbe Christiani. quomodo autem expelli potuerunt, qui ibi non erant? Neq; sanè repugnant istis, quæ postea scribit [1] Orosius. nam expelli potuerunt Christiani, & postea se iterum manifestare, & esse incipere.

[1] *In Apologetic.*
[2] *De excid. Britan.*
[3] *Lib.7. hist.*
[4] *In vita Christi.*
[1] *Lib.7 c.6.*

Ad ista respondens Bellar. multa loquitur, sed aliena & inepta. [2] dicit *recognitionum libros inter Apocryphos censeri, & synopsin Dorotheo falsò tributam multa continere mẽdacia.* Sed si tales sint isti authores, cur tam crebro eis vtuntur aduersarii? si apocryphis scriptis, & dubiis narrationib. nullam fidem cẽsent adhibendã; cur ipsi scripta proferunt apocrypha, & authores dubios? Suetonio, Tertulliano, & Orosio nihil habet Bellarm. quod respondeat, quod nos non diluimus. [3] Profert ergo testes, vt doceat *Petrum primũ omnium prædicasse Romanis.* sed plerique aliena loquuntur, reliqui audita & fama recepta narrant, quæ nihil probant præter incertã famã. [4] Irenæus pariter *à Petro & Paulo ecclesiam Rom. fundatam fuisse scribit*, & non, vt dicit Bellarm. *primùm à Petro, deinde à Petro & Paulo. Fundantes*, inquit Irenæus, *& instruentes beati apostoli ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ ecclesiæ tradiderunt.* Præterea, de Petro tantùm quæ fama diuulgarat, tradit.

[2] *Col.717.*
[3] *Col.716.*
[4] *Lib.3. adu. hæres. c.3.*

[5] Eusebium peruersè è Græco vertisse, ne dicã corrupisse videtur Bellar. vt eius testimoniũ huc accommodaret. non enim dicit, *Petrum primum Romæ prædicasse, aut clauibus suis ibi ianuam regni cœlestis aperuisse*, vt Iebusita iste mentitur; sed tantùm, *eum salutarem*

[5] *Lib.2. hist. c.13.*

doctrinam ibi diuulgasse, vt melior interpres habet Christophorsonus: de quo tamen Eusebius nihil prę-ter auditum loquitur.

6 *Lib.* 2. *aduers. gent.* 6 Arnobius Romanos *ore Petri difflatis Simonis Magi quadrigis igneis credidisse dicit*: sed quod nulli ante Petri prædicationem ibi crederent, non dicit. Præterea, non aliter narrat ista, quàm alii, à quibus ea priùs acceperat.

7 *Hær. Carpocr. numer.* 27. 7 Epiphanius Petrum & Paulum æquat, & coniungit: tantum abest, vt Petrum ibi primùm prædicasse dicat. Imò eos duos ibi apostolos & episcopos simul fuisse scribit. de Petro autem traditionem veterem memoriæ prodit.

8 *In Psalm.* 48. 9 *Lib.* 7. *c.* 6. Neq; Chrysostomus, neq; Orosius Petrum Romanis primò prædicasse asserit. 8 ille *Petrum regiam vrbem occupasse* dicit. 9 hic eum sub initium regni Claudii Romam venisse, & ibi euangelium prædicasse scribit. sed audita tantùm narrant, & quod asserit Bellar. non habent. neuter enim eorum dicit Petrum Romanis primùm prædicasse: & nos ante eius prædicationem Christianos Romæ fuisse ostendimus.

10 *Ser.* 1. *de natal. apost.* Ex 10 Leone intelligimus Petrum Romam ad prędicandum euangelium destinatum fuisse. sed tamen destinationis huius nullos profert legitimos testes. Præterea, de tempore aduentus eius ad vrbem nihil loquitur, de quo tamen hîc præcipuè contenditur.

1 *L. Cunctos, C. de sum. Trin. & fid. cath.* Vetus traditio est *Petrum Romæ fidem Christi docuisse*, & illud imperator 1 Theodosius dicit. sed an primus, vel summus, vel medius, & vtrum de scripto an aliter eam docuerit, ex ipso scire non possumus.

2 *Part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 9. §. 14. Refert 2 Antoninus vaticinium Sibyllæ de Roma in hamo piscantis subiuganda. Sed non solus Petrus erat piscator hominum. imò nec solus ille ex piscatorum numero ad apostolatum vocatus est. Præterea, vt vrbem conuerteret, non necesse erat vel primum ipsum Romam ex Christianis venisse, vel personaliter docuisse. neq; vt Antoninus ita crederet, propterea certum est ita factum fuisse. ipse enim multas credit & narrat fabulas.

3 *Col.* 718. Concludit tertiò 3 Bellarminus Petrum Romæ fuisse,

fuisse, *quia Marcus, qui Petri erat discipulus, Romæ euangelium scripsit, prout ibidem Petrum prædicantem audierat:* quod ille testimonio Eusebii, Irenæi, Tertulliani, Damasi, Isidori, & Adonis confirmat. Quo in loco facit, quod monachum, & Iebusitam decet. incerta enim certis admiscet, & audacter mentitur. non enim ita erat Marcus Petri discipulus, quin Pauli etiam similiter esset, vt ex Act. 12. & 2. Tim. 4. probatur. Præterea, non dicit [4] Eusebius Marcum aut Petrum Romæ audiuisse, aut ibi euangelium scripsisse; *sed Romanorum rogatu scripsisse.* Similiter [5] Hieronymus non dicit Marcum audiuisse Petrum Romæ concionantem, sed *à fratribus Romæ rogatum, vt quæ à Petro audiuisset, scriptis mandaret.* quod planè ostendit Petrum eo tempore Romæ non fuisse. nam si Petrum præsentem audire potuissent, quorsum attinuit Marcum rogare, vt quæ ipse à Petro audiuisset, scriberet? si magistri adeundi copia erat, quid illi ministrum eius adirēt? Clemens & Papias nihil aliud habent, quàm quod Eusebius iam retulit.[6] Tertullianus nihil scripsit, vnde Petrum vel Romæ fuisse intelligamus: tantum abest, vt Petrum *Romæ concionantem à Marco auditum scribat.* Quid [7] Damasus, & [8] Isidorus, & [9] Ado de hac re scripserint, non multum refert. res enim vetustate obsoletas narrant: non tamen ea, quæ dicit Bellarmin. habent. Irenæus licèt testis hoc nomine citetur; lib. tamen 2. & cap. 1. nec Marci, nec Petri meminit. Atq; hac fide testes suos Bellar. producere solet.

4 *Lib. 2. hist. c. 14.*
5 *In catal. in Marco.*
6 *Lib. 4. contra Marcio.*
7 *In pontif.*
8 *In vita Marci.*
9 *In Chron.*

Quartum argumentum ex narratione de Simone Mago à Petro Romæ superato sumitur. nam quia Simonem Magum Romæ à Petro superatum narrant, idcirco Petrum Romæ fuisse colligunt. Sed multa etiā de Paulo & Tecla, & aliis apostolis, & sanctis [1] narrantur fabulosa, quibus nemo necessariò tenetur credere. Author huius narrationis fuit [2] Clemens nescio quis, in scripto apocrypho fabularum plenissimo, à quo cæteri eam accepisse videntur. Omnes audita narrant, nullus visa. quis autem credat testibus de auditu deponentibus? Certè si verum est, Petrum ibi cum Simone certasse; cur non & reliquis Clementis

1 *Apud Abdiam Babyl. & in legendis.*
2 *In recognit.*

narrationib. fides adhibeatur? Nec obstat, quod hāc eandem narrationem postea aliquot authores fide digni habeant. omnes enim ab vno fonte acceperunt: & solent nonnunquam fabulosa apud bonos alioqui authores reperiri, vt de periodo Pauli & Teclæ narratio, & huiusmodi alia nugamenta.

Quintum argumentum ex eo duci potest, quia Petrus Romæ, vt aiunt, mortuus est. hoc enim [1] Bellarm. ex sepulchro ipsius, & peregrinatione totius orbis ad apostolorum limina, & testimoniis patrum ostendere conatur. Sed neque illud certò constat, nec rationibus istis demonstrari potest. *Primum* probatur, quia nullum habet vel in sacris literis, vel apud probatos authores certum fundamentum. *secundum* ex vanitate & ineptiis argumentorum Bellar. colligitur. *Primò*, sepulchrum eius nullum est argumentum Petrum ibi mortuum esse. multorum enim corpora sanctorũ nos in alias terras delata esse legimus. Mortuus est in Ægypto Iacob: longè tamen ab Ægypto sepultus est. Iosephi ossa in terram Canaan delata sunt. Synagoga etiam Rom. in Gallia, & Germania, & Italia multa ostendit sepulchra eorum, qui alibi cæsi sunt. neq; sanè certum est ibi corpora esse, vbi sepulchra ostenduntur. sæpe enim cenotaphia vel publicè extruuntur [2] eis, qui in bello defuncti sunt, vel priuatim ab amicis in honorem eorum, quos charos in vita habuerunt. Talem tumulũ congessit [3] Andromache: talem milites [4] Druso in Germania defuncto extruxerunt. Quid, quod supposititia cadauera sæpe pro sanctorum corporibus ostẽduntur; quod homines pii nunc multis in locis factum deprehenderunt? Corporis Petri vnam partem apud Diui Petri, aliam apud Diui Pauli templum ostentant; caput in æde Diui Ioannis Lateranensis seruari contendunt. in summo templo Geneuensi Diuo Petro sacro, cerebrum se habere olim iactabant. *Pictauienses* se mandibulam Petri cum barba habere putant. nec vllus est locus Petro sacer, vbi non aliquam partem Petri, aut saltem aliquas eius reliquias papistæ seruari asserunt. atq; ea est aliorum sanctorum ratio.

[1] Lib. 2. de pont. Rom. c. 3.

[2] Thucydid. hist.

[3] Virgil. Æneid. 3.

[4] Suetonius in Claudio.

Nihil

Nihil est ergo [5] quod Bellarm. anxiè quærat, quis corpus Petri Romam detulerit. nos enim meritò dubitamus, an aliquando eius corpus Romæ conditum fuerit. Frustra etiam quærit, *si Romæ non sit Petri corpus, vbi sit.* neq; enim necesse est hoc sciri. nec vt scitu hoc necessarium esset, hoc nos dicere, sed ipse nos docere debuit. [5] *Col.* 719.

Ad Eusebii testimonium respondeo, non facere ipsum splendidissimorum *monumẽtorum Petri & Pauli mentionem*, vt falsarius iste narrat, sed tantùm [6] *inscriptionum quarundam in cœmiteriis existentium*: & nihil aliud dicere, quàm *historiarum monumentis proditum esse, Paulum securi percussum, Petrum cruci suffixum fuisse.* nihil ergo Eusebius dicit, vnde intelligamus Petri sepulchrum aliquod Romæ fuisse. [6] *Hist. lib.* 2. *cap.* 24.

Secundò, ridiculum est putare corpora sanctorum ibi condi, quò homines imperiti his superioribus annis peregrinari soliti sunt. Nam Matthias Patauii, Romæ, & Treuiris colitur. Longini corpus Mantuæ & Lugduni ostendunt. Philippus Romæ & Tholosæ, Andreas Romæ & Melphis, Stephanus multis in locis, Petrus in infinitis conditus fertur. At idem non potest plura corpora habere, nisi fortè suos sanctos Papistæ instar Geryonis velint esse Tricorporeos. Ex peregrinatione ergo ad corpus Petri, quæ nullum habet fundamentum præter superstitionem, & mendacium, non potest probari Petrum Romæ mortuum esse. 7 Nicolaus quidem fortasse *plurimos ad sepulchra Petri & Pauli confluere dixit.* sed si nunc viueret, non minùs vastitatem delubrorum synagogæ Romanæ, quam stultitiam fortasse plebis à sacrificis auaris delusæ deploraret. 7 *In epist. ad Michael.*

At, inquit Bellar. *semper creditum est, Petrum Romæ mortuum esse, vsq; ad Wiclephi ætatem.* Quasi verò credula plebs non etiam nuper legendas de Georgio, & Catharina, & Tecla, & aliis sanctis commẽtitiis veras esse crediderit. Apud Sequanos ostẽdunt corpus Claudii, & apud Colonienses trium Magorum corpora, & multis in locis alia cadauera, quæ tamen nihil minus sunt, quam corpora quorum esse feruntur. si ergo

reliquæ legendæ falsæ sint, quis non de Petro etiam quædam confingi potuisse fateatur?

Ad testimonia patrum expedita est respõsio. Nonnulli enim pro Bellarm nihil loquuntur: reliqui quæ fama incerta acceperant, narrant; sed dubia & incerta. [2] Ignatius in causa aduersarii mutus est. Neque enim dicit Petrum mortuum: tantum abest vt Romæ mortuum dixerit. Quid, quod nec Romę fuisse ex eius verbis colligitur? nam vt, quod dicit Ignatius, *præceperit aliquid Romanis*; non tamen necesse est hoc eum præsentem fecisse.

2 *Epist. ad Rom.*

Dionysius apud [3] Eusebium dicit *eodẽ tempore martyrium subiisse Petrum & Paulum*. Sed non ignorat Bellarm. multo plures aliter sentire, & synagogam Rom. eorum natalitia alio atq; alio die celebrare. Verùm vt verè dixisset Dionysius; de loco tamen martyrii Petri nihil dicit.

3 *Lib. 2. hist. cap. 24.*

Caius [4] dicit Romæ extare signa quædam, & monumenta martyrii apostolorum Petri & Pauli. Sed infinitum laborem susciperet Bellar. si omnia ipsi martyrum, & sanctorum quæ celebrantur monumenta, vera esse demonstrandum esset. Præterea, & Caius & Dionysius ille apud Eusebium ea narrant, quæ famâ diuulgata erant.

4 *Ibidem.*

[5] Egesippus, & Chronici Eusebiani author, & Origenes apud [6] Eusebium & alii etiam patres communem famam sequuti, Petrum Romæ mortuum scribunt, sed nos testimonia certa, & indubitata flagitamus. A 7 Clemente hanc narrationem acceptam historici vt in eiusmodi rebus fieri solet, posteris prodidêre. Sed cùm nullam fidem mereantur vel recognitiones, vel epistolæ Clementis; & de tota hac historia Petri multum dissentiant authores; quis exploratum habeat Petrum Romæ mortuum esse?

5 *Lib. 3. de excid. Hierosolym. c. 2.*
6 *Lib. 3. hist. cap. 1.*
7 *Epist. ad frat. Dom. 1.*

Postremum [8] argumentum sumitur à Petri episcopatu. asserit enim Bellarm. *Petrum Romæ vsq; ad mortem episcopum fuisse.* vnde omnes facilè intelligunt sequi, Petrum Romæ fuisse. videamus ergo quomodo probarit quod proposuit Asserit non *aliam ob causam Romanam ecclesiam habitam esse primam & præcipuam,*

8 *Lib. 2. de pont. Rom. cap. 4.*

quàm quia princeps Apostolorum illius ecclesiæ proprius pastor & episcopus fuit. Sed sententiam eius [5] refellunt cōcilii Chalcedonensis patres. ipsi enim primum honoris gradum pōtifici Rom. delatū significant, *quia vrbs illa sedes esset, & domicilium imperii.* Præterea, validæ rationes eam euertunt. nam si Romana ecclesia prima erat, quia Petrus eius erat proprius pastor; tum si non erat proprius eius pastor, prima esse non debuit. at nos ostendimus non fuisse Petrum eius ecclesię proprium pastorem: & aduersarii hoc necessariò fateri tenentur, qui eum his verbis *pasce oues meas*, pastorem totius mundi ordinatum dicunt. Deinde, si illæ ecclesiæ primæ esse debent, quæ à Petro fundatæ sunt; tum ecclesia *Lyddensis*, & *Ioppensis*, & *Cæsariensis*, & *Antiochena*, quę primò [6] fundatæ sunt à Petro, principatum habere debent. Postremò, si dignitatem ecclesiæ accipiunt à fundatore, vt iste prædicat; tum omnium dignissima esse debet ecclesia Hierosolymitana, quæ à Christo ipso fundata est; & vnde lux euangelii in totum orbem diffusa est.

5 Concil. Chal. c. 28.

6 Recognit. Clement.

Asserit secundò *nescire nos vbi Petrus sederit, postquam reliquit Antiochiam.* vnde putat necessariò sequi; *ipsum vrbis Romæ episcopum fuisse.* Sed conclusiunculæ istæ sunt tanquam arena sine calce. Nam vt nos non intelligamus vbi fuerit; non tamen sequitur propterea Romę fuisse. de plerisq; enim Apostolis incerti sunt historici, quò ꝓfecti sint, vbi vixerint, vbi mortui sunt. At Petrus vbi fuerit, & quid egerit, probè tenemus. substitit enim Hierosolymæ, & in partibus Syrię vsq; ad Concilium Hierosolymitanum, & postea secundum Christi mandatū, varias obiuit nationes, & multas fundauit ecclesias. Ex epistolis eius cōstat eum curasse Asiaticas ecclesias. Epiphanius [1] dicit eum *Pontū & Bithyniam sæpe visitasse.* Ex officio ei imposito certū est, eum nulli certo loco suam operam addixisse, sed pro apostolico munere totius orbis ecclesias procurasse. Quare vt non fuerit alicuius vrbis aut loci episcopus; fuit tamen Apostolus, & Apostolico iure vniuersam ecclesiam curare potuit.

1 In Hæres. 27. quæ est Carpocr.

At, inquit Bellar. *aduersarii nolūt Petrum fuisse episco-*

pum vniuersalis ecclesiæ, sed alicuius tantùm particularis, sicut fuit Ioannes Ephesinæ, Iacobus Hierosolymitanæ. Sed quæ hæc impudentia est, nobis sententiam affingere alienam? Nos sanè nec episcopum esse dicimus, nec vniuersalis ecclesiæ negamus fuisse Apostolum. imò nec Ioannem, nec Iacobum Apostolum propriè dicimus fuisse episcopum: rationemq; hanc reddidimus, quia apostolici officii fines nulli erant; episcopi autē suas habuêre certas diœceses & prouincias. hanc rationem ergo quia respondere non poterat, prudenter dissimulat aduersarius,

Pugnat postremò, vt solet, patrum copiis. sed nihil est, quod eos pro synagoga pontificia pugnaturos speret.[2] Irenæus ita numerat episcopos Rom. vt Petrum extra catalogum relinquat. Quod ergo dicit Petrum & Paulum inter episcopos Roman. primo loco poni; mendacium est, quod ipse Irenæus, si verba eius retulisset, redarguisset. Primus enim est *Linus*, 2. *Anacletus*, 3. *Clemēs*, 4 *Euaristus*, 5. *Alexander*, 6. *Sixtus*, 7. *Telesphorus*, 8. *Hyginus*, 9. *Pius*, 10. *Anicetus*, 11. *Soter*, 12. *Eleutherius.* Vnde facilè liquet patres Bellarmino aduersari.

[2] *Lib. 3. adu. hæres. c. 3.*

[3] Tertulliani verba, vt ea ad hanc causam faciliùs accommodaret, mutauit Bellarminus: ita enim solent Iebusitæ. nam non dicit Tertullianus; *vt primus ille episcopus, aliquis ex Apostolis, vel apostolicis viris fuerit*, vt habet Bellarm. sed *vt primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, &c. authorem habuerit, & antecessorem.* Vt autem illa aduersariorum, sic ista nostram sententiam confirmant. ostendunt enim Apostolos episcopos in ecclesiis à se fundatis instituisse, & non fuisse ipsos episcopos. nam Ioannes ordinauit Polycarpum primum episcopum Smyrnæ, vt Petrus Clementem Romæ, si Tertulliano credimus; cum tamen nec Petrus esset vrbis Romæ, nec Ioannes Smyrnæ episcopus. Nec causam Bellarmini iuuaret, etiamsi cōcederemus Petrum Romæ crucifixū fuisse. Tertullianus enim ita vult Clementem ordinatum fuisse, vt ipse primus esset Romæ episcopus. nam *primus episcopus alicuius loci* secundùm Tertulliani sententiam, aut *Aposto-*

[3] *Lib. de præscrip.*

Apostolum, aut apostolicum virum authorem nominare debuit.[4] Existimat præterea Bellar. *Clementē Petro succedere non potuisse, nisi Petrus Romæ esset episcopus:* sed stultè & imperitè. episcopi enim successores dicuntur Apostolorum: quod & aduersarii fatentur. *Ipsis* (Apostolis) *decedentibus*, inquit [1] Anacletus, *in locum eorum successerunt episcopi.* [4] *Col. 724.* [1] *Epist. 2.*

Cyprianus sedem Romanam [2] vocat *Petri cathedram*; quia vel Petrū ibi docuisse, vel Petri doctrinam ab episcopis Rom. receptam esse putauit. inde etiam cathedra illa dicta [3] est *locus Petri.* Sed non omnes, qui cathedras habēt, episcopi dicēdi sunt. nam apostoli oēs cathedras habent. *percurre ecclesias apostolicas*, inquit [4] Tertullianus, *apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur.* ibi nominat ecclesiam *Corinthiacam, Philippensem, Thessalonicensem, Ephesinam & Romanam.* In omnibus autem istis ecclesiis Paulus episcopus non erat, licèt propter eum apostolicam cathedram singulæ haberent. Præterea, omnes doctores, qui doctrinam Petri tradunt, cathedram Petri insident, sicut scribæ & Pharisæi rectè docentes sedebant in cathedra Mosis. [2] *Lib. 1. epist. 3.* [3] *Lib. 4. epist. 2.* [4] *De præscr.*

Eusebius, si modò Eusebii sit chronicon illud quod eius nomen fert, [5] vocat Petrum *Christianorum*, & nō Romanorum *pontificem.* quod autem additur ibidem *eum 25. annos perseuerasse episcopum vrbis Romæ*, non Eusebii testimoniū, sed alterius esse videtur assumentum. Ipse enim Eusebius [6] alibi facit Linum primum vrbis episcopū, vt iam diximus, eundemq; non minus *Paulo*, quam *Petro* successisse significat. Præterea, Petrum non nisi sub extremum vitæ tempus Romam venisse [7] dicit. Quomodo autem potuit viginti quinq; annos sedisse, cum tantùm sub extremum vitæ tempus Romam venerit? Postremò, ipsi aduersarii fatentur eum Romę nō perseuerasse. coguntur enim varias eius profectiones ab vrbe comminisci: & certum est intra 25. annos ante ipsius mortē, Hierosolymis, & Antiochiæ, & alibi fuisse. & Ruffinus [8] dicit *Linum & Cletum in vita Petri episcopatu vrbis Rom. functos esse.* [5] *In Chron. anni 44.* [6] *Lib. 3. hist. c. 2.* [7] *Ibidem. c. 1.* [8] *In præfat. in recognit. Clement.*

Epiphanius pro nobis facit. is enim non tantum Pe-

9 Hæres. 27. trum, sed Paulum [9] numerat inter ecclesiæ Rom. episcopos. Certum est ergo nõ propriè ipsum loquutum esse: quod inde etiam constat, quia eosdem vocat Apostolos & episcopos.

Quæ Athanasii nomine edita est ad solitariam vitam agentes epistola, non adeo pridem in lucem prodiit, & certas habet falsitatis notas. est enim pueriliter conficta, & inter opera olim ei ascripta non reperitur. Verùm vt aduersariis gratificemur, & fateamur genuinam esse; nihil tamen aliud inde colligi potest, quam quod *sedes Rom. apostolica* esset, & quod episcopi Rom. doctrinam suam a Petro accepissent. quæ sanè non ostendunt Petrum fuisse episcopum Rom. nam [1] Tertullianus omnes eas vocat apostolicas ecclesias, quæ ab Apostolis fundatæ sunt, exempli gratia, Thessalonicensem, Corinthiacam, Philippensem, Ephesinam, licèt Apostoli, qui eas fundarent, episcopi earundem non dicerentur. & ab Apostolis multæ ecclesiæ multa acceperunt, quę tamen eosdem non numerarunt in episcoporum suorum catalogis.

1 De præscr. aduers. hær.

2 In Synopsi. [2] Dorotheus dicit *Linum post coryphæum Petrum Romæ fuisse episcopũ.* sed hoc pro nobis facit. planè enim excipit Petrum ex episcoporum catalogo, velut Apostolum coryphæum, & Linum facit primum episcopũ. Similiter etiam Linus post Paulum censetur episcopus, cum tamen propriè Paulus eiusdem vrbis episcopus non esset.

3 Lib. 4. hist. c. 14. [3] Sozomenus sedem Romanam vocat *sedem Petri:* sed hoc ideo, quia vel vulgò creditum est Petrum quandoque Romæ docuisse, vel eam primò ordinasse. ita etiam ecclesiæ Asiaticæ, Lyddensis, Ioppensis, Cæsariensis sedes Petri dici possunt. & ecclesiæ Thessalonicensis, Philippensis, Ephesia Apostolicæ dicuntur, quia Paulus ibi docuit, licèt ibi nunquam fuerit episcopus.

4 Lib. 6 epist. 37 inter epist. Gregorii. [4] Eulogius Gregorio abblandiens, dixit *Petrum Romæ in suis successoribus sedere.* sed quis non videt ipsum impropriè loquutum? Prętereà, Petro succedunt non tantùm episcopi Rom. sed omnes, qui eius exemplo oues Christi pascunt, vt ostendit [5] Chrysostomus. *Verum*

5 De sacerd. lib. 2.

rum hoc ille tum agebat, inquit ille, *vt & Petrum & nos omnes edoceret, quanta beneuolentia ipse suam ecclesiam complecteretur, vt & nos eiusdem ecclesiæ curam diligentissimè susciperemus.* At Petrus vbique non erat episcopus. similiter nec reliqui omnes Apostoli episcopi erant; quibus tamen [6] Anacletus episcopos successisse fatetur.

[6] *Epist.* 2.

7 Optatus *episcopalem cathedram Romæ primò Petro traditam* dicit, sed eam vocat episcopalem cathedram, quæ propter episcopos succedentes facta est episcopalis; licèt Petro tunc præsidente, si Optato credimus, apostolica esset. Aut fortasse generaliter accipit vocabulũ hoc *episcopalẽ*, & apostolatum intelligit per episcopatum, vt etiam in [8] illis verbis intelligitur, *episcopatum eius alter accipiat*.

7 *Lib.* 2. *con. Parmenian.*

[8] *Act.* 1.

9 Ambrosius Petrum Apostolum *sacerdotem vocat ecclesiæ Romanæ.* Sed quid si Paulum eiusdem sacerdotem dixisset? num propterea Paulus episcopus fuisset eiusdem vrbis? respondeo ergo Ambrosium Apostolum Petrum generali significatione sacerdotem vocare.

9 *De sacram. lib.* 3. *c.* 1.

[1] Hieronymus etiam & [2] Augustinus *sedem Rom. vocant cathedram Petri.* ille etiam Damasum vocat *successorem piscatoris.* Sed ad primum responsum est cathedram non solum episcopis, sed & Apostolis & doctoribus quibusuis conuenire. Ad secundum respondeo, episcopos succedere Apostolis, etsi Apostoli non sint episcopi. Ita Clemens à Hieronymo [3] dicitur *episcopus Rom. post Apostolos ordinatus. At* inquit [4] Bellar [5] *Hieronymus dicit Petrum* 25. *annos Romæ sacerdotalem cathedram tenuisse.* At hoc Hieronymi esse non videtur. præterea, vt esset illud Hieronymi; non tamen propterea sequitur eum existimasse Apostolum in episcopum mutatum fuisse. Postremò, in annorum numero sequutus est ille catalogi author communem vulgi errorem.

[1] *In catalog. v. Petrus.* & *in epist. ad Damasum.*

[2] *Lib.* 2. *c.* 51. *contr. lit. petil,*

[3] *In præfat. in epist. Pauli.*

[4] *Col.* 725.

[5] *In catal. v. Petrus.*

[1] Prudentius dicit Petrum *sedem primam possedisse:* & [2] Prosper vocat Romam *Petri sedem* Sed neuter eorũ aliquid dixit, quò minùs hanc sedem, & cathedram vocemus apostolicam: nec vt ibi sederit Petrus, pro-

[1] *In hymno de S. Laurent.*

[2] *De ingrat.*

pterea sequitur Petrum fuisse Episcopum. episcopi enim apostolis in cathedris succedere dicuntur, licèt munus apostolicum & episcopale non confundatur.

[3] *Lib. 2. hist. sacr.*

[3] Sulpitius *inualuisse dicit apud vrbem diuinam religionem, Petro episcopatum gerente.* sed impropriè episcopatum pro apostolatu sumpsit, & non est ille optimus loquendi magister.

[4] *In epist. ad Eutych. ante concil. Chalcedon.*

Quod dicit [4] Petrus Rauennę episcopus, *Petrum in propria sede viuere, & præsidere, & præstare quærentib. veritatem*, falsitatem olet, & fraudem sectæ pontificiæ, quæ tales epistolas commentitias inter conciliorum acta obtrudere solet. Præterea, ridiculè dictum est, *Petrum nunc viuere*, & oracula instar Apollinis ex tripode pontificio fundere. Tertiò, non ita præstabat quærẽtibus veritatem, quin Synodus Chalcedonensis, inuitissimis illis, qui sedi illi præfuerunt, tribuerint sedi Constantinopolitanæ parem cum sede Romana honorem. Postremò, vt viueret Petrus, & præstaret quærentibus veritatem; non tamen sequitur ex hoc testimonio eum episcopum fuisse.

[5] *In epist. ad Leonem.* [6] *In epist. ad Tit. c. 1.* [7] *Can. 8.* [8] *Dist. 93. c. legimus, in glossa. item dist. 80. c. in illis.*

[5] Theodoretus tam Paulum, quàm Petrum sedem Romanam illustrem fecisse dicit. At ambo vnius vrbis episcopi simul esse nõ potuerunt. hoc. n. docet [6] Hieronymus. *In vna*, inquit, *ciuitate plures, vt nũcupantur, episcopi esse non possunt.* decreuitq; [7] Synodus Nicena, ἵνα μὴ ἐν τῇ μιᾷ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν. atque hoc [8] secta pontificia tenet. & nemo eorum Paulum vrbis Romæ fuisse episcopum dicit. Nihil ergo aliud dicit Theodoretus, quàm Petrum & Paulũ ecclesiam illam fundasse, quod nonnulli etiam alii patres asserunt.

[9] *In vita Petri.* [1] *De sex ætat. mund.* [2] *Lib. 1. c. 13.* [3] *In Chron.*

[9] Isidorus, [1] Beda, [2] Freculphus & [3] Ado, pontificũ Rom. qui vbiq; se *Petri* successores prædicant, iactantia in errorem abducti, rem istam, aut penitus non viderunt, aut quod vidissent, non sunt ausi dicere. non magni ergo faciendum est, si *Petrum*, aut episcopum, aut Papam dixerint,

Pontifices Rom. ineptè in propria causa testaturi producuntur. neq; enim ipse Christus Iesus, licèt veritas esset, & vita, de seipso testimonium perhibebat.

[4] *Ioan. 5.*

Si ego testimonium perhibeo de meipso, inquit [4] Christus, *testi-*

testimonium meum non est verum: alius est, qui testimonium perhibet de me. at isti & de se testimonium perhibent, & falsa testantur, si modò scripta subdititia, quæ eorum nomine circumferũtur verè illorum sint. Clemens in libro recognitionum & epistola prima ad Iacobum dicit se post Petrum cathedram accepisse. in libro verò [1] constitutionum, *se post Linum ordinatum* esse dicit. Idem narrat quomodo *Onesimus in ecclesia, quæ dicta est Philemonis*, ordinatus fuerit, cum tamen constet, *Philemonem* vnum tantùm fuisse hominem, & dominum Onesimi, & non ecclesiam. [1] *Lib.* 7. *c.* 46.

[2] Anacletus asserit *Romanam sedem primatũ habuisse à Domino*, nullum tamen Domini profert mandatum. Idem etiam contra sectam pontificiam nõnulla loquitur. nam sedem Rom. *& à Petro & à Paulo consecratam fuisse* dicit; quod ostendit Petrum non magis fuisse vrbis illius episcopum, quàm Paulum. Idem ecclesiam Antiochenam & Alexandrinam æquè ac Romanam, sedem Petri vocat. vnde colligimus non necessariò Petrum Romæ fuisse episcopum, licèt ibi eius sedes fuisse dicatur. nam nec Alexandriæ dicitur episcopus, licèt ibi eum sedem habuisse dicat Anacletus. Sedium postremò prærogatiuam secundùm vrbium amplitudinem, & splendorem assignatam fuisse [3] significat; quod Papistæ nunc negant: [4] eam enim à fundatoris persona fluxisse contendunt. [2] *Epist.* 2. [3] *Ibid.* [4] *Epist.* 3. *Anaclet.*

[5] Marcellus *Petri sedem, iubente Domino, Antiochia Romam translatam* dicit. Sed nos translationis huius instrumentum vehementer videre auemus. cur ergo cessat Bellarminus? cur non translationis tabulas exhibet? [5] *In epist.* 1. *ad Antiochenos.*

Reliqui etiam pontifices, vt *Damasus* & *Leo*, & *Gelasius*, & *Ioannes* 3. & Gregorius, & alii nonnulli episcopi Rom. testantur, sedem suam fuisse olim Petri. ita. n. [6] Bellar. At sedere potuit Romæ Petrus etiamsi non esset eius vrbis episcopus. Preterea, non est mirandũ, si ex persona Petri pontifices isti aliquam ad se gloriolam deriuare quæsierint. At, inquit Bellarm. *sanctissimi fuère.* At sanctissimorum istorum episcoporum nomine multa edita sunt scripta commentitia, & inepta: [6] *Col.* 726.

& nonnunquam homines alioqui sancti, in causa sua nimis sibi fauere solent, & propterea minùs idonei testes censentur.

Conciliorum acta & canones de Petri episcopatu nihil habent. Si autem aliquis homo priuatus in concilio aliquid ineptè scripserit, aut loquutus sit; aut si alieno nomine edita sunt scripta aliquot subdititia, & in conciliorum commentarios irrepserint; nos eis fidem adhibere non tenemur. In 7 concilio Sardicensi, quod contra nos citatur, Petrus apostolus dicitur, & non episcopus. nec propterea sequitur eum fuisse episcopum, quia concilium Iulio episcopo Rom. propter *Petri* memoriam honorē detulit. hoc .n. propterea factū est, quia in illa vrbe doctrina Petri viguisse credebatur, & non quod Petrus ibi episcopatu functus esset.

7 Can. 3.

In concilio [1] Ephesino non legimus *Celestinum episcopum Rom. dictum fuisse ordinarium successorē & vicarium beati Petri apostolorū principis.* hæc ergo vel Bellar. ipse confinxit, vel aliquis eius gregalis falsarius in cōciliorum codices nuper excusos & corruptos callidè retulit, vt & alia multa, quæ nullam merentur fidem. Verùm vt successor esset Petri; nō tamen propterea sequitur Petrum episcopatu functum esse: nec vt vicarius diceretur Petri, aliquod inde commodum reportaret. neq; enim si vicarius esset Petri, Christi posset esse vicarius, aut aliquid agere absq; Petri mandato, qd^r tamen hactenus nos prolatum non videmus.

1 Concil. Ephesin. 1. c. 16.

In concilio [2] Chalcedonensi voces quædam editæ sunt, quasi *Petrus per os Leonis* loquutus esset: quæ potiùs studium certorum hominum, quàm totius concilii iudicium declarāt. Verùm vt hæc dixissent Chalcedonenses patres simul omnes; non tamen propterea sequitur Petrum fuisse episcopum Rom. possunt enim Petri sententiam proferre, idque multo rectiùs quàm episcopi Rom. alii pastores & doctores, qui verè gregem pascunt, & Petri doctrinam sequuntur, etsi *Petrus* in locis illis vbi isti præsident, nunquam functus esset episcopatu.

2 Act. 2.

Verba [3] Mennæ patriarchæ in concilio quinto ostendunt Petro velut apostolo, & nō tanquam episcopo suc-

3 Concil. 5. act. 1.

po successum fuisse. *Contempserunt*, inquit ille, *Romanam ecclesiam, in qua est successio apostolorum.*

In concilio † sexto vnus è concilio dicit, *se literas Agathonis archiepiscopi principalis sedis antiquæ Romæ, tanquam à Spiritu sancto dictatas, per os sancti ac beatissimi principis apostolorum suscipere & amplecti.* Sed neque quod vnus aliquis dixit, illud omnibus ascribendum est, nec dixit ille aut significauit Petrum episcopum fuisse Romanum. † *Act.* 8.

Quare, vt fuerit *Petrus Romæ*, quod tamen propter multas grauissimas rationes, & pugnantes aduersariorum sententias incertum manet; tamen episcopum fuisse Romanum, verè & propriè dici non potest.



LIBER TERTIVS

De

EMENTITA PONTIFICVM ROM. IN APOSTOLICO PETRI officio successione, eorumq; vniuerso ex illo titulo in ecclesiastica monarchia iure.

Pontificem Rom Petro *non successisse in officio Apostolico.* Cap. I.

De beato Petro sanctissimo Iesu Christi Apostolo disseruimus libro superiore. nunc ergo de parum pio, & illaudato vrbis Romæ pontifice, qui se eius successorem esse iactat, disserendum est: nempè vt post disputationem de Petro, tractatus de prætẽso successionis iure, quod sibi vendicant pontifices Rom. ordine suo succedat. Qua in re, etsi nonnulla tanto Apostolo facta videri possit iniuria, quod de rebus tam apertis disputatur,

quasi ipsi possit succedere pontifex Rom. quem multiplex impietas & mores turpissimi Petro dissimilimũ esse ostendunt: tamen cum successionem hanc lingua, & manu defendant Papistæ, eamq; summa impudẽtia Christianis obtrudant; omnis eorum disputatio necessariò examinanda & refellenda erat.

Ac fundamenta quidem sententiæ nostræ iam preclarè iacta sunt. ostendimus enim nec regimen ecclesiæ monarchicum esse, nec Petro delatam fuisse ecclesiæ monarchiam. hinc necessariò sequitur, licèt pontifices Rom. rectores essent ecclesiæ, & Petri successores, non esse tamẽ eos vniuersalis ecclesiæ monarchas: multo autem illud liquidiùs constabit ex ea quæ sequitur disputatione. Nam etsi quoddam sit successionis ius à *Petro* ad omnes ipsius legitimos successores & hæredes transmissum: hoc tamen ad alios potiùs pertinere demonstrabimus. Pontifices verò Rom. nullo modo Petro successisse ostendemus. idque *primò*, quia non habent officium apostolicum: secundò, quia non habent præfecturã supra vniuersam ecclesiam: tertiò, quia discesserũt à doctrina & vestigiis Petri: postremò, qa alii potiùs in doctrina & morib. Petro successerũt.

Non successisse ipsos Petro in apostolico iure & officio, sequentia [1] docent argumenta. *Primò*, non sunt à Christo immediatè vocati & electi. ambiunt enim Papatum cupidissimè, & eliguntur à cardinalibus prece aut pretio emptis. At Petrus, vt & reliqui apostoli, à Christo immediatè vocatus est & electus. *Vocauit discipulos suos*, inquit [2] Lucas, *& elegit duodecim ex ipsis, quos & apostolos nominauit*. Apostolus etiam [3] Paulus *se neque ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christũ & Deum patrem esse apostolum ostendit*. Confirmatur idem exemplo Matthiæ, qui à Deo per sortes [4] electus est. Postremò, ratio electionis Apostolicæ nos hoc docet. neq; enim apostoli sibi apostolos, sed episcopos subrogarunt.

Respondet [5] Bellar. *in apostolatu tria esse: quorum primum est, vt immediatus sit verbi minister, & vt ab ipso Deo doctus sit*. Et fatetur, *hoc non conuenire in pontificem Rom.* at si hoc ita sit, tum fateatur pontificem Rom. in apo-

[1] *Non successisse pontifices Rom. Petro in iure apostolico.*
[2] *Luc. 6.*
[3] *Gal. 1.*
[4] *Act. 1.*
[5] *Lib. 2. de pont. Rom. c. 12. col. 744.*

in apostolico munere Petro non succedere, necesse est. [1] Respondet ergo præterea, *etsi apostoli apostolos nō constituerint; Christum tamen pontificem Rom. totius ecclesiæ pontificem, siue apostolicum pontificem constituisse.* Sed hoc pugnat cum superiore eius responsione; vbi falsus est, non esse pontificem Rom. immediatum verbi ministrum à Christo institutum, & nō sine pudoris summa iactura affirmari potuit. quis enim vspiam vel in Scripturis, vel apud authenticos scriptores legit pontificem Rom. à Christo immediatè constitutum esse pontificem apostolicum? [1] *Col. 745.*

At inquit [2] Bellar. *Pontificis Rom. sedes ab omnib. patribus appellata est sedes apostolica.* Sed nec hoc verum est, nec alio nomine appellant apostolicam, quàm quia Petrum Romæ docuisse existimarunt, & nō quia pontifici Rom. tribuebant apostolicum officium. [2] *Ibid.*

Dicit præterea *dignitatem papalem à Synodo Chalcedonensi, Act. 1. vocari apostolatum.* sed alia fortasse, quam nos, habet ille acta concilii. Præterea, vt ab aliquo appellaretur officium episcopale Apostolatus; non tamen sequitur propterea pontificem Rom. verè habere apostolicum officium. nam apostolici viri appellātur, qui similes erant apostolis; & proœmium concilii Niceni, à patribus concilii Chalcedonensis vocatur [3] *Apostolicum.* [3] *Act. 1. non longè à principio.*

Secundò, omnibus apostolis Christus potestatem dedit operandi miracula, & sanandi infirmos. *Dedit eis*, inquit [4] Lucas, *virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent.* fuitque illa potestas ad fundamenta ecclesiæ iacienda necessaria, ad maiorem fidem doctrinæ suę faciendam. at pōtifices Rom. non habent potestatem supra dæmonia, nec curant illi languores, nec miracula faciunt. Imò, dæmonia super eos potestatem habuisse leguntur. nam Syluester secundus, vt inquit [5] Platina, *adiuuante diabolo pontificatum adeptus est: hac tamen lege, vt post mortem totus illius esset.* [6] Gregorius sextus propter diaboli cultum de se dubitauit, an dignus esset sepultura. Gregorius 7. magiæ damnatus est in Synodo Brixinensi, & *Wormatiensi.* miserisq; modis complures pontifices Rom. perierunt. [4] *Luc. 9.* [5] *In Syluestr. 2.* [6] *Plat. in Gregor. 6.*

Tertiò,[3] Petro claues datæ sunt, clauiumq; tractandarum tanta scientia, vt neminem ille ligarit, qui non in cælo ligatus est, nec soluerit, qui non in cælo fuerit etiam solutus. At pontifices Rom. apostolicas has claues à Christo non acceperunt, nec eis ita scienter vsi sunt, quin sæpe & non ligandos ligarint, & nō soluendos soluerint. nam veram doctrinam & eius professores anathemate percusserunt, [4] iidemque pecuniam soluentibus quibuscunque, siue illi fornicatores sint, siue adulteri, siue drauci, siue cinædi, siue homicidæ & patricidæ, vincula facilè soluunt.

[3] *Matth.* 18. *& Ioan.* 20.

[4] *Taxa pœnit.*

Nec obstat, quod episcopi omnes & Apostolorum successores ligant & soluunt potestate clauium sibi data. non enim vniuersam apostolicam potestatem, nec apostolatum sibi vendicant; neque supra omnes clauium potestatem exercent. at pontifices Rom apostolicam supra omnes potestatem sibi sumunt; & se in aperiendo, & claudendo iudicialiter errare negant. sed nisi ostendant sibi potestatem hanc collatam, apostolicum se ius inuasisse negare non possunt.

Quartò, omnium apostolorum nomina in fundamento cælestis Hierusalem [5] scripta erant. & ecclesia [6] dicitur superstructa super fundamentū apostolorū, & prophetarum. quod ideo factum est, quia à Spiritu sancto edocti scripturas ediderunt, & fundamenta fidei nostræ. at pontifices Rom. non sunt fundamenta ecclesiæ: & fatetur [7] Bellarminus, eos non scribere libros sacros. omnes denique agnoscunt doctrinę pontificiæ & decretalium insignem corruptelam & vanitatem. quid est ergo quod apostolicum ius sibi arrogent? Dicit quidem quodam in loco [8] Bellarm. *Hieronymum vocare Damasum Petram ecclesiæ.* Sed vel impudenter ille, vel imperitè, quæ Hieronymus [9] dixit de Petro, ea ad Damasum rapit. Prętereà, nullo modo huic argumento satisfacit. nam si apostolicum ius suis pontificibus postulet, non tantùm eos fundamenta esse, sed etiam ecclesiam super eos extructam esse demonstrare tenetur.

[5] *Apoc.* 21.

[6] *Ephes.* 2.

[7] *Col.* 745.

[8] *Lib.* 2. *de pont. Rom. c.* 31.

[9] *Epist.* 1. *ad Damas.*

Quintò, Petrus vnà cum reliquis Apostolis accepit [1] *mandatum de docendis omnibus gentibus.* [2] Paulus se *& Iudæis*

[1] *Matth.* 28. *& Marc.* 16.

[2] *Rom.* 1.

& Iudais & gentibus debitorem esse dicit ad prædicandum euangelium. At pontifices Rom. non solent mundum circumire: nec prædicant illi omnibus gentibus: nec totius orbis, sed vrbis tantùm dicuntur episcopi.

Respondet [3] Bellar. *Leonem vocari ab episcopis orientalibus vniuersalis* ecclesiæ Papam. Sed neq; ex orientalium assentatione missio & potestas papalis metienda est, nec aliunde tanta potestas haberi potest, quā ex Christi mandato. Nam & [4] archiepiscopus Constātinopolitanus dictus est Oecumenicus patriarcha, cui tamen vniuersalem potestatem datam negant. & hoc Christus solis apostolis dedit, vt in vniuersum mūdum euntes euangelium prædicarent. idcirco [5] Gregorius I. hanc superbam appellationem vniuersalis episcopi repudiauit; idq; maiorum suorum exemplo, & eam patres [6] Carthaginenses condemnarunt.

3 *Col.* 745.
4 *Concil. Constant.* 5. *act.* 1.
5 *Lib.* 7. *epist.* 30.
6 *Dist.* 99. *primæ.*

Sextò, Petrus vbicunque terrarum positus episcopos ordinauit. 7 Euodium idem Antiochenis, Marcum Alexandrinis, Zacchæum Cæsariensibus, aliosq; Italis & Siculis præfecit episcopos. & hoc ipsum apostoli omnes fecerunt. At pontifices Rom. neq; in episcopi Alexandrini, nec in Antiocheni prouincia, aut regionibus orientalibus episcopos ordinasse leguntur. imò ex concilii Niceni [8] regulis potestas pontificū Rom. supra suburbicas tantùm ecclesias definita est.

7 *Clement. constit. lib.* 7. *c.* 46.
8 *Can.* 6.

Respondet [9] Bellar. hoc argumento velut febri miserè conflictatus, [1] *Maximum Antiochenum acceptum à concilio Chalcedonensi, quia à Leone confirmatus esset, &* [2] *Anthimum Constantinopolitanum ab Agapeto esse depositum, & Menam ordinatum.* Sed primò, aliud est ordinare, aliud confirmare. nam electi ad episcopatum ad communionem à vicinis episcopis admissi sunt, postquam se literis & subscriptione sua catholicos esse declarassent. ita Cornelius episcopus Rom. ab Africanis receptus & confirmatus est. *Episcopatus tui veritas*, inquit [3] Cyprianus ad Cornelium, *manifestissima confirmatione fundata est.* Et paulò antè: *Ad comprobandam ordinationem tuam, facta authoritate maiore placuit, vt per episcopos omnes in ista prouincia positos literæ fierent, vt te vniuersi collegæ nostri & communionem tuam, id est, ecclesiæ catholicæ vnitatem probarent.* Similiter summi

9 *Vbi supra.*
1 *Concil. Chalced. act.* 7.
2 *Liberat. in Breuiar. c.* 21.
3 *Lib.* 4. *ep* 8.

patriarchæ quodammodo à collegis suis confirmati sunt. At ordinare episcopos non solebant, nisi qui iurisdictionem aliquam in eos habuere. Deinde non est verū, quæ hìc narrantur de *Maximo Antiocheno*, in cōcilii Chalcedonensis actione 7. haberi, nisi fortè nouos isti habeant conciliorū commentarios. Postremò, non dicit *Liberatus* vel *Anthimum ab Agapeto depositū*, vel *Menam ab ipso tanquā patriarcha ius habente ordinatum*, sed *principis authoritate, & rogatu*, ad quem Agapetus legatus profectus est. Zonaras hæc ex cleri Cōstantinopolitani authoritate facta esse [1] ostendit. sanè si hoc ipse propria authoritate potuisset, nunquam ille a rege Gothorum ad Iustinianum legatus venisset, nec hoc precibus à principe contendisset: quod tamen ipsum fecisse constat.

[1] *In Iustin.*

Septimò, Apostoli apostolos ordinare non potuerunt. nā hoc Christi erat solius, qui in omnē ecclesiam habuit summam potestatem; & Petrus non apostolos Romæ, sed episcopos instituisse legitur. Quod si ergo Linus, Cletus, & Clemens à Petro ordinati sunt; tum episcopatum, & non apostolatum habuerunt. neq; sanè vberior est posteriorum episcoporum conditio.

Postremò, si apostolica potestate præditi fuissent pontifices Rom. nihil opus fuisset aut concilia cōgregare, aut canones ecclesiæ condere. potuissent enim illi viuo vocis oraculo negotiis & litib. omnib. finem imponere. Prætereà, non est verisimile, si talem habuissent potestatem, episcopos orientales & Africanos eis repugnaturos fuisse.

Neq; sanè multa habēt aduersarii quæ pro sua sententia fundanda proponant. Asserit [2] Bellar. *apostolicū esse munus ecclesias fundare, & fidem propagare in iis locis vbi nunquam fuit, & hoc ad pontificem Rom. spectare.* Sed neq; illud merè apostolicum est, neq; ad pontificē Rom. solùm pertinet. *Non primum*, quia multos episcopos legimus ecclesias fundasse, & semper aliquis superest locus vbi ecclesia aut fundanda est, aut propaganda, aut saltem instauranda. Apostoli autem in hoc ab episcopis differebant, quod illi per totum mundum, isti in certis locis ecclesias constituebant. Non *secun-*

[2] *Col. 745.*

secundum, quia non minùs alii episcopi, quàm pontifices Rom. ecclesias fundasse & constituisse leguntur. Ecclesiam enim Indicam post apostolorum tempora. [1] Frumentius fundauit ab Alexandria profectus. [2] Iberum regulus à captiua conuersus, à Constantino episcopum & clerum petiit. Britannos ad fidẽ adduxere *Meduinus* & *Eluanus*. Scotos conuerterunt Britãni. *Saxones* fidei documentis imbuerũt partim Galli, partim Britanni: *Phrysios* Saxones: Gothos, Græci. valdeq; impudentes sint oportet, qui hoc munus pontificibus tantùm Rom. deferunt.

[1] *Socrat. lib. 1. c. 15.*
[2] *Socrat. lib. 1. c. 16.*

Asserit etiam *Apostolorum esse munus totam ecclesiam regere: & hoc etiam esse pontificum Rom.* Sed ineptè principium petit. nos enim ideo negamus esse eos apostolos, aut apostolicã habere potestatem, quia ex morib. & legibus ecclesiæ patriarchis & episcopis sui certi fines attributi sint, quos nec pontif. Rom. violare potuerũt. neq; enim vel in Alexãdrini, vel Antiocheni, vel Constantinopolitani episcopi finibus aliquid habuit pontifex Rom. quod iure ageret. hos fines & concilium [3] Nicenũ, & [4] Chalcedonense, & multa pręterea alia concilia statuerunt.

[3] *Can. 6.*
[4] *Act. 7.*

Solent præterea crebrò inculcare, ecclesiã & sedem Rom. à patrib. *Apostolicam*, & eius episcopum *Apostolicum* dici. Sed iam respõsum est apostolicas dici ecclesias, non tantùm quæ à põtifice Rom. administrantur, sed quæ ab Apostolis fundantur. *Percurre*, inquit [5] Tertullianus, *ecclesias apostolicas, apud quas adhuc ipsæ cathedræ Apostolorũ suis locis præsidẽtur. proxima est tibi Achaia, habes Corinthũ, si non longè abes à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. si autem Italiæ adiacet, habes Romam.* Apostolicos etiam dicit viros, qui in Apostolorũ manserunt doctrina, & vestigia eorum persequuti sunt. *nec Apostolum*, [6] inquit, *nec apostolicum habuisse authorem reperiũtur.* Nihil est ergo quod vel apostolatum suum, vel pseudoapostolicum suum supercilium isti iactent. nam si cum Apostolis comparentur, eorum potestas est dissimilis, doctrina & mores dissimilimi.

[5] *De præscr. aduers. hær.*
[6] *Ibidem.*

Pontifices Rom. non esse ecclesiæ monarchas, nec habere ius ecclesiasticæ monarchiæ à Petro; *aduersus Bellarm. lib. 2 c.12.& sequentib.* CAP. II.

AT si non habeant pontifices Rom. Apostolicum officium, at saltem vniuersalem habent per omnem ecclesiam iurisdictionem. hoc enim aduersarii mordicùs tenent, nec illud sibi vlla vi eripi patiuntur.
[3] *Col.* 743. [3] Bellarm. asserit *pontificem Rom. succedere Petro in pontificatu ecclesiæ vniuersæ.* idemque *eum esse pastorem & caput ecclesiæ totius ex iure diuino contendit.* omnibus de-
[4] *Col.* 744. nique suæ sectæ hominibus credendum [4] proponit *in ecclesiæ monarchia Romanum pontificem, vt Romanum pontificem Petro succedere: hoc enim ad fidem pertinere catholicam docet.* At omnes homines verè catholici, hoc nec credendum, nec verum esse intelligunt: idq; ex iis, quæ diximus, facilè refellitur. quæcunque enim aduersus *Petri* monarchiam allata sunt, ea pontificis regnum euertunt. tollitur etiam regnum illud, vbi demonstratum est, pontificem Rom. non esse præditum apostolica authoritate. Nam si Petrus non habuit monarchicum in vniuersam ecclesiam imperium, frustra iactatur Petri successio: & si pontifex Rom. nō habeat apostolicum officium, tum certè Petro in apostolico iure non successit.

Sed & multis aliis argumentis infinita hæc ecclesiam vniuersalem gubernandi potestas, quam pontifices Rom. multos iam annos vsurparunt, & nunc sibi concedi postulant, & Bellarm. credendam proponit, euertitur.

Primò, ecclesia est domus Dei. At in domo priuata nemo sibi honorem sumit, nisi qui à patrefamiliâs vocatur, & rebus gerendis præponitur. Imò nec Christus Iesus, licèt filius Dei, pontificatum suum assumpsit, nisi missus: nec ecclesiæ administrationem suscepit, nisi à patre ecclesiæ præpositus. *Considerate*, in-
[1] *Heb.* 3. quit [1] Apostolus, *Apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei qui præfecit illum.* Quod si ergo nec Christus Iesus sine patris mandato suum assumpsit pontificatum; temere faciunt qui ecclesiæ pon-

pontificatum generalem assumunt sine mandato. in ecclesia enim Dei [2] *nemo sibi honorem sumit, nisi qui missus est, quemadmodum Aaron.* Proferant ergo pontifices Rom. mandatum Domini: ostendant missionem suam: doceant se à Domino ecclesiæ vniuersali præpositos. quid cessant? quid tacent? cur tergiuersantur? 2 *Hebr. 5.*

Asserit quidem [3] Bellarm. *probari iure diuino, pontificem Rom. Petro succedere in pontificatu ecclesiæ vniuersæ.* Sed miser ille nec ius diuinum, nec humanum profert. Vulgò asserunt *Petrum Domino iubente venisse Romam.* ita enim docet [4] Marcellus. Sed neque ille iussionis illius ostendit tabulas: neque vt Petrus Romam venerit, aliquid hoc facit ad pontificatum ecclesiæ vniuersæ episcopo Romano asserendum. neque enim omnibus debetur summus pontificatus, ad quos Petrus aut alii Apostoli venerunt. Omnes denique contendunt ecclesiam Rom. primatum habere à Domino. sed legem nullam proferunt. nihil ergo superest, nisi vt pontifices Rom. instar pseudoprophetarum, cucurrerint sine missione, & regnum inuaserint sine vllo iure.

3 *Col. 741.*

4 *In epist. ad Antiochen.*

Secundò, in descriptione totius ecclesiæ, quam accuratè expressam videmus Ephes. 4. & 1. Cor. 12. nullū videmus huic pontificatui vniuersæ ecclesiæ datum locum. at non est verisimile, Spiritum sanctum, qui Apostolorum, & Prophetarum, & Euangelistarum, & pastorum & doctorum meminit, nec vllum tacuit ecclesiæ gubernatorum genus, totius ecclesiæ monarchæ nullam mentionem facturum, si talis aliquis ecclesiæ datus fuisset. at hoc omnes vident, hunc tam bellum ecclesiæ monarcham silentio præteritum esse.

Tertiò, non tantùm vni Apostolo, sed omnibus Apostolis ecclesiam suam administrandam Christus permisit. *Quosdam enim* [5] *dedit Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Euangelistas, quosdam pastores & doctores.* atque hus ille sufficere putauit *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec omnes occurramus in vnitatem fidei,* 5 *Ephes. 4.*

& agnitionis filii Dei, & in virum perfectum. Christus etiam non Petro tantùm, sed omnibus simul Apostolis dixit, *Euntes docete omnes gentes.* neque se vspiā cum successoribus Petri tantùm, sed cum successoribus o-
[1] *Matth.* 28. mnium Apostolorum futurum dixit. [1] *Ecce ego*, inquit Christus, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Non tantùm ergo destituuntur mandato diuino pontifices Rom. sed etiam disertis verbis & mandatis à pontificatu suo excludūtur. nihil enim tam pugnat, quàm vt summa potestas ecclesiæ administrandæ & pluribus simul, & vni tantùm committatur.

Quartò, repugnat huic vniuersali pōtificum Rom. pontificatui conciliorum generaliū authoritas. Nam si summa potestas in concilio sit; tum non potest esse in Papa. at certò constat summam potest. item quoad res ecclesiæ catholicæ externas esse in concilio. illud enim leges dat, & summos pontifices constituit, & deponit, & vltimum est tribunal ecclesiæ, vt omnes
[2] *Lib.* 2. *de baptism. c.* 1. consentiunt patres. *Quanto facilius & fortius*, [2] inquit Augustinus, *quod per vniuersæ ecclesiæ statuta firmatum est, vel vnius episcopi authoritati, vel vnius prouinciæ concilio præferendum est?* Inter canones, vt vocantur, A-
[3] *Can.* 35. postolorum decretum [3] extat, ne episcopus metropolitanus quicquam faciat præter episcoporum prouincialium conscientiam. *sed nec ille præter omnium*
[4] *C.* 9. *conscientiam faciat aliquid in eorum parochiis.* [4] Idem habetur in cōcilio Antiocheno. at si nihil possit pontifex Rom. vel quisquam alius metropolitanus absque aliis episcopis; tum non est monarcha, aut summus ecclesiæ rector.

[5] *Apud Eusebium, lib.* 2. *de vit. Constant. c.* 16. Absque concilio cultus diuinus & vera religio in tuto collocari non poterat. *Non poterat*, [5] inquit Constantinus, *in loco tuto firmoque collocari, nisi vel omnes episcopi, vel maxima eorum pars in vnum conuenisset, singulique iudicium de rebus ad sacratissimam religionem pertinentibus interposuissent.* At si vnus eo tempore fuisset summus ecclesiæ rector, tum non fuisset necessarium concilium indicere, nec hæc dixisset Constantinus.

In

In conciliis quæ ex cōmuni sententia decreta erant, rata habita sunt. hoc enim exemplo concilii Niceni ostendit [1] Socrates. *Quæ communi*, inquit, *omnium sententia decreta erant, cum cuiusq; manu subscripta essent, rata habebantur, & in commentarios referebantur.* At vbi vnius summa est potestas, nullæ leges, nisi ipsius solius authoritate feruntur. [1] *Lib.1. hist. c.5.*

Concilium Nicenum limites prouinciarum definiuit, &, vt inquit [2] Ruffinus, decreuit *vt episcopus Roman. suburbicarum ecclesiarum curam gereret.* at non habet potestatem vniuersalem, cuius potestas definita erat. [2] *Lib.1.c.6.*

Editus est etiam canon [3] *vt si quis præter voluntatem & conscientiā metropolitani episcopi fuerit ordinatus, is episcopus non haberetur.* [4] Decretum est etiam, *vt qui ab aliis excommunicabantur, ab aliis ad communionem non reciperentur, præterquam ex concilii prouincialis aut generalis sententia:* eoq; decreto etiam pontifex Rom. tenebatur. nam cum [5] Marcion à patre excommunicatus peteret ab ecclesia Rom. vt in fidelium congregationem reciperetur; responderunt qui tunc sedi illi præfuerunt, *Non possumus hoc sine permissu venerandi tui patris facere.* Quod si ergo episcopus Rom. non potuit in aliena prouincia episcopos ordinare, & excommunicatos restituere; certum est eum non habuisse iurisdictionem generalem. [3] *Ca.6.* [4] *Can.5.* [5] *Epiphan. in Marcion. hæres. 24.*

Concilii Constantinopolitani patres contra pontificis Rom. sententiam [6] decreuerunt, *vt Constantinopolitanus episcopus haberet honoris primatum post episcopum Rom. quia vrbs illa erat noua Roma.* [7] Statuerunt etiam, *vt illa quæ sunt per vnamquamq; prouinciam, ipsius prouinciæ synodus dispensaret. Manifestum est*, inquiunt patres illi, *quod per singulas quasq; prouincias, prouincialis synodus administrare, & gubernare omnia debeat, secundum ea quæ sunt in Nicea definita.* At si cuncta potuêre synodi prouinciales, & definita & descripta esset pontifici Rom. sua prouincia; tum non erat pōtifex Rom. summus totius orbis episcopus & rector. [6] *Can.2.* [7] *Ibidem.*

Ecclesiæ canones pontificis Rom. decretali [8] anteponunt patres Ephesini; eumque non Dominum, [8] *In epist. ad Celestin.*

sed *collegam, & comministrum* appellant. Præterea, ostendunt synodum illam ex sanctione imperatorum [8] indictam fuisse. *Secundùm voluntate seruatoris nostri omnium*, inquiunt illi, *& sanctionem pientissimorum ac Christi amantium imperatorum, in Ephesiorum metropoli, ex multis & variis prouinciis plus quàm ducenti numero episcopi congregati sumus.* quæ omnia euertũt summam pontificum Rom. potestatem.

[8] Ibidem.

Concilium Chalcedonense *æqualia esse in negotiis ecclesiasticis Romanæ & Constantinopolitanæ ecclesiæ priuilegia* [9] statuit. & ne quis obstrepentibus pontificis Romani legatis concilium ab instituto destitisse putet; episcopi dixerũt, *hæc omnes dicimus, hæc omnib. placent.* Idem etiam [1] statuit *appellationes à metropolitanis ad episcopum Constantinopolitanum faciendas esse.* Concilia denique singulis annis cogenda [2] definit *vbi singula quæ emergerent, corrigerentur.* quæ omnia pontificum Roman. summæ potestati aduersantur. qui enim collegam habet æqualem, & omnium ad se appellationes recipere nõ potest; is summus non est princeps. Præterea, si singula corrigere potuère cõcilia prouincialia, non opus erat pontificis Rom. consilio.

[9] Act. 16.
[1] Can. 17.
[2] Can. 19.

Neq; tantùm concilia generalia, sed etiam prouincialia, argumenta nobis aduersus pontificu Rom. monarchiam præbent. Concilium Carthaginense, præsidente Cypriano, de hæreticorum baptismo contraria episcopo Rom. dogmata recepit: malè quidem: sed hoc ostendit conciliorum eo tempore à seruitute pontificum Romanorum libertatem.

In alio quodam concilio [1] decreuère patres Africani, *vt primæ sedis episcopus non appellaretur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis episcopus.* vnde obseruare licet, nullius prouinciæ primatem habuisse principatum super sacerdotes. Idem decreuere etiam patres [2] Hipponenses.

[1] Concil. Carth. 3. cap. 26.
[2] Can. 27.

Concilium [3] Mileuitanũ, cui interfuit Augustinus, appellationes ad transmarina interdixit. *Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores clerici,* inquiunt episcopi Africani, *in causis quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum*

[3] Can. 22.

suorum conquesti fuerint; vicini episcopi eos audiant, & inter eos quicquid est finiant adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum. Quod si ab eis prouocandum putarint; non prouocent, nisi ad Africana concilia, vel ad primates prouinciarum suarum: ad transmarina autem qui putauerint appellandum, à nullo intra Africam in communionem recipiantur. In concilio Africano temporibus Celestini, aduersus ambitionem pontificis fortiter iidem patres pugnarunt. *Executores clericos vestros* [4] inquiunt illi, *quibuscunque petentibus nolite mittere, nolite concedere; ne fumosum typhum seculi in ecclesiam Christi videamur inducere.* At si summa fuisset pontificũ Rom. potestas, detulissent appellationibus ad eos factis, & nuntios & executores eorum cum contumelia non reiecissent.

[4] *In epist ad Celestinum.*

Concilium Francofurdianum tempore Caroli Magni impium imaginum cultum contra sententiam Adriani pontificis Rom. oppugnauit. Similiter synodus sexta multa contra pontificum Rom. voluntatem de [5] baptismo hæreticorum, de [6] nuptiis sacerdotum, de [7] sedibus diaconorum & [8] azymis, & [9] eucharistia, & aliis nonnullis rebus decreuit. At si summa fuisset pontificum Rom. potestas; nec illi hoc tentassent, nec isti hoc passi essent.

[5] *Can. 2.*
[6] *Can. 6.*
[7] *Can. 7.*
[8] *C. 11.*
[9] *C. 23.*

Postremò, concilium Basileense [10] statuit conciliũ esse supra Papam. *Veritas est*, inquiunt illi, *catholicæ fidei sacrum generale concilium supra Papam, & alium quemuis potestatem habere:* idemque Eugenium quartum contrà sentientem, hæreticum esse pronuntiauit, & deposuit. Concilium etiam Constantiense decretum edidit de potestate concilii supra Papam: & secundùm eius decreti tenorem tres Papas exautorauit, quorum duo maximè repugnarunt; & alterum in locum exautoratorum subrogauit. Multi etiam põtifices coram concilio responderunt: vt Marcellinus corã concilio Sinuessano, Leo tertius coram Romano, & alii coram aliis. nonnulli à concilio depositi legũtur; vt Ioannes decimus tertius, & Gregorius sextus, Syluester tertius, Benedictus nonus, & alii aliquot.

[10] *Æneas Syl. lib. 1. de gest. concil. Basil.*

Quintò, hanc vniuersalem pontificum Rom. supra

ecclesiam iurisdictionem prisci patres nesciuerũt, posteriores oppugnarunt. Ignatius nullum episcopo superiorem agnoscit. *Episcopus*, [1] inquit ille, *forma est patris omnium*. ei parendum dicit, *sicut Domino*. & ne quis episcopo tantùm Rom. principatum deberi putet; illũ Ignatius episcopo Tralliano defert. *Quid est*, [2] inquit ille, *episcopus, nisi omnem principatum, & potestatem omnium illorum tenens?* Similiter in epistola ad Magnesianos: *Dignum est*, inquit, *vos obedire episcopo vestro, & in nullo ei contradicere*. Neq; potest responderi, singulos episcopos in suis ecclesiis summam habuisse potestatem, sed super omnes longè eminuisse episcopum Romanum: nam tum solus episcopus Rom. esset *forma patris omnium*; & eo obloquente contradicere possent homines Christiani suis episcopis, quod Ignatius nunquam cogitauit.

[1] *In epist. ad Tral.*
[2] *Ibidem.*

[3] Irenæus non minorem honorem defert *Polycarpo Smyrnæ* episcopo, quàm Aniceto episcopo Rom. & presbyteros, seu episcopos æquales inter se facit. Ipse etiam & alii episcopi acriter *Victorem* [4] obiurgant, quod Asiaticos à communione sua segregare conaretur. *Quorum verba*, inquit Eusebius, *Victorem acrius & acerbius coarguentium scriptis prodita adhuc extant*. At si tanta esset episcopi Rom. potestas, quantam isti prædicant; ab omni verborum acerbitate, & fortasse à reprehensione eius abstinuissent.

[3] *Lib. 3. aduers. hær. c. 3.*
[4] *Lib. hist. ecclés. Euseb. 5. c. 24.*

Polycarpum à se dissidentem circa celebrationẽ paschatis, *Anicetus* in suam sentẽtiam pertrahere nõ potuit. *neque tamen Anicetus persuadere poterat Polycarpo*, [5] inquit Irenæus apud Eusebium, *vt suum obseruandi morem deponeret*. [6] *Polycrates* etiam, & Asiæ episcopi fortiter *Victori* in controuersia de paschate repugnarunt. At si pontifex Rom. illo tempore leges vniuersæ ecclesiæ ferre potuisset; nec mutire quidem aduersus ipsum ausi essent. quis enim non summum monarcham minis armatum summè metuat?

[5] *Ibidem.*
[6] *Euseb. ecclés. hist. lib. 5. c. 23.*

Cùm Marcion à patre excommunicatus ad episcopum Rom. [7] confugeret, & ab eo vinculi solutionẽ peteret; respondit ille: *Non possumus hoc absque permissione venerandi patris tui facere. vna enim est fides, & vna concor-*

[7] *Epiphan. de hær. Mar.*

concordia, & non possumus aduersari bono comministro nostro. At nunc longe aliter loquuntur pontifices Rom. & excommunicatos post appellationem absoluunt, vt iuris canonici interpretes loquuntur, *ad cautelam,* licèt iustè excommunicati fuerint.

1 Tertullianus omnes episcopos summos vocat sacerdotes. *Dandi quidem baptismi*, inquit ille, *habet ius summus sacerdos.* quomodo autem summus, qui alteri subiectus est? 1 *De baptis.*

Cyprianus episcopos quoad potestatem pares facit. *Episcopatus,* 2 inquit ille, *vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur*. non ergo plus tenet, quàm reliqui episcopi, pontifex Romanus. *Non aliunde,* 3 inquit Cyprian. *hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quã inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Hæc certum est intelligi de singulis episcopis in suis diœcesibus. Si ergo singuli sint Christi vicarii, & eis obtemperandũ sit; non est quod pontifex Romanus super vniuersos potestatẽ sibi arroget. Idem etiam 4 vocat episcopalẽ iurisdictionem *sublimem ac diuinã potestatem.* In epistola ad Quintum dicit, *neminem se episcopum episcoporum facere.* omnes ille episcopos dicit apostolis nõ minùs succedere, quàm Romanũ. *Christus,* 5 inquit ille, *dicit ad Apostolos, & per hos ad omnes præpositos, qui apostolis vicaria ordinatione succedũt.* Cùm ergo omnes episcopi apostolis successerint, quî factũ est, vt episcopus Rom. omnem ad se apostolicam potestatem solus deriuarit? Idem superbum esse 6 dicit, se episcopum episcoporum facere. *Quis autem nostrûm,* inquit ille, *longè est ab humilitate? vtrumne ego, qui quotidie fratribus seruio, & venientes ad ecclesiam singulos benigne, & cum voto & gaudio suscipio; an tu, qui te episcopum episcopi, & iudicem iudicis ad tempus à Deo dati constituis?* hæc ille contra Pupianum: sed rectè aduersus pontificem Romanum quadrant.

2 *De simplicit. prælat.*
3 *Lib. 1. ep. 3.*
4 *Ibidem.*
5 *Lib. 4. ep. 9*
6 *Ibidem.*

Christus, inquit 7 Cyrillus, *apostolis & eorum successorib. plenam concessit potestatem.* at episcopi nemo dubitat, quin successerint apostolis. quid est ergo, cur vni pontifici Rom. plenam vendicent potestatem? 7 *In Ioa. lib. 3. cap. 23.*

8 In ascet. 23 *Omnibus pastoribus & doctoribus*, inquit [8] Basilius, *Christus eandem tribuit potestatem: cuius signum est, quòd omnes ex aquo ligant & soluunt.* quid est ergo, quod solus pontifex Rom. se omnes episcopos ligare, & à nullo ligari posse contendat?

1 In princip. lib. de dignit. sacerd. [1] Ambrosius *se & cunctos sacerdotes in beato Petro claues regni calorum suscepisse* dicit. at non aliam iurisdictionem habuit Petrus, quàm eam, quæ in clauibus figurata erat: nec erat Ambrosius pōtifex Rom. sed tantùm episcopus Mediolanensis.

2 In Tit. 1. *3 Ibidem.* *4 In epist. ad Euagr.* Hieronymus [2] dicit *ecclesiam olim communi presbyterorum consilio regi solitam. Episcopi nouerint se*, [3] inquit ille, *in communi debere ecclesias regere.* Idem [4] dicit *episcopum vbicunque fuerit, siue Romæ, siue Eugubii, siue Constantinopoli, siue Regii, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti esse, & eiusdem sacerdotii.* Respondet Bellarm. *hoc intelligi de ordine, & non de iurisdictione.* sed Hieronymus disertè loquitur de episcopatu, qui sine iurisdictione intelligi nō potest. Nec obstat quod metropolitanis amplior cōceditur iurisdictio. hoc enim ex episcoporum mutuo consensu, & ecclesiæ consuetudine potiùs, quàm ex institutione primaria fluxit: idemq; prorsus euertit pontificatū Rom. qui tāquam mare omnem metropolitanorum, & patriarcharum iurisdictionem absorpsit. Significat præterea, se non

5 Ibidem. teneri ecclesię Rom. institutis. *Quid*, [5] inquit, *mihi profers vnius vrbis consuetudinem?* Idemq; dicit *orbem maiorem esse vrbe.* ad quod nescit quid respondeat miser Iebusita: tantùm dicit, *pontificem Rom. non probasse illam consuetudinem.* Sed nihil hoc ad propositum. nam siue probarit, siue non probarit; Hieronymus apertè ostendit orbis Christiani maiorem esse, quàm vrbis Romæ authoritatem. iste autem contrà, vrbem hanc supra totum orbem extulit. Ad Nepotianum scribens dicit, *omnem ordinem ecclesiasticum suis niti rectoribus.* vnde intelligimus non esse necessariò ad pontificem

6 Col. 766. Rom. recurrendum. [6] Bellarmin. autem nesciens quò se vertat, respondet, Hieronymum *non omisisse vnum caput. nam præter archipresbyterum, archidiaconum, episcopum, & metropolitanum, posuisse ipsum in tota ecclesia*

vnum

vnum pontificem. quod ille fortasse somnians dixit. nam apud Hieronymum nihil est de isto vniuersali pontifice.

Augustinus synodo illi interfuit, vbi decretum est, *ne quis diceretur summus sacerdos, aut princeps sacerdotũ,* & vbi patres Africani appellationes ad transmarina fieri prohibuerunt. nemini ergo dubium esse potest, quin hæc infinita pontificum Rom. potestas ipsi ignota fuerit. Quod etiam ex lib. 3. de baptismo c. 3. colligitur, vbi Cypriani verba illa probat. *Neq; enim quisquam nostrûm*, inquit, *episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit. quid mansuetius? quid humilius? nulla nos certè deterret authoritas à quærendo quid verum sit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit, quomodo nec ipse potest alium iudicare.* At si nullus sit episcopus aliorum episcoporum; tum non est pontifex Rom. omnium episcoporum pastor ordinarius, nec de aliis potestatem habet iudicandi. Idem
[6] dicit, quod *vniuersaliter per ecclesiam firmatum est, vnius episcopi authoritati præferendum esse. Fidei*[1] *vnitatem idem diuersis obseruationibus celebrari posse*, & Romanæ ecclesiæ traditionibus neminem necessariò teneri censuit. Idem deniq; Innocentium papam fratrẽ
[2] appellat, & ad eum refert, vt consentiret, non autem vt legem præscriberet.

[6] *De baptis. lib. 2. c. 1.*
[1] *In epist. ad Casulan. 86.*
[2] *Epist. 90. ad Innocentium.*

Author quæstionum veteris & noui Testamenti inter opera Augustini, episcopum vocat *summum sacerdotem.* Similiter, qui librũ scripsit de 12. abusionum gradib. *abusum* [3] *putat esse, vt qui ab vno episcopo exclusus est, ab alio doctore aut episcopo reciperetur.* quod ostendit episcoporum sententias à pontifice Rom. non esse antiquandas.

[3] *Grad. 10.*

[4] Ambrosius ostendit olim ecclesiam *presbyteros habuisse, sine quorum consilio nihil agebatur.* quod ostendit ecclesię regimen esse simile formę aristocraticę. Presbyterorum ordinem sublimem esse dicit. *Quoniam,*
[5] inquit, *huius ordinis sublimis honor est, huiusmodi enim Christi vicarii sunt; idcirco non facilè de hac persona accu-*

[4] *In 1. Tim. 5.*
[5] *Ibid.*

satio debet admitti. Non debet ergo pontifex Rom. tum presbyterorum, tum episcoporum se iudicem constituere.[6] Syricium deniq; non aliter, quàm vt æqualem & *fratrem* salutat.

[6] Epist. 81. lib. 10.
[7] Hom. 3. ad popul. Antioch.

7 Chrysostomus primas defert ecclesiæ Antiochenæ. *Ciuitatum,* inquit ille, *omnium Antiochena nostra Christo est optatissima: & sicut Petrus inter apostolos primus Christum prædicauit, sic inter ciuitates, sicut iam prædixi, hæc prima tanquam coronam admirabilem Christianorum tenet appellationem.* Item homil. 16 ad populum Antiochenum: *Quæ verò est ciuitatis nostræ dignitas, cõtigit primum discipulos Antiochiæ appellari Christianos. hoc autem ciuitatum, quæ sunt in mundo, ciuitas habet nulla, neque ipsa Romuli ciuitas: propterea contra omnem terrarum orbem Antiochia oculos erigere potest.* Idem licèt indignissimè ab aliis episcopis tractatus; nunquam tamen pontificem Rom. appellauit, quod absq; dubio fecisset, si eius summam fuisse potestatem cogitasset.

Gregorius primus, cùm Ioannes Constantinopolitanus se vniuersalẽ episcopum dicere conaretur: *Quis est iste,*[8] inquit, *qui contra statuta euangelica, contra canonum decreta nouum sibi nomen vsurpare præsumit?* hoc nomẽ ille à pontificibus Rom. repudiatum fuisse[9] dicit: & inde colligit propinqua esse[1] antichristi tempora. At si vniuersalem haberet episcopus Rom. potestatem; frustra ille pro vno hoc vocabulo, quod nunc amplexi sunt pontifices Rom. tumultuatus esset. Cùm episcopus Alexandrinus se aliquid fecisse, sicut iussisset Gregorius, dixisset; *mihi,* inquit[2] Gregorius, *loquitur dicens, Sicut iussistis: quod verbum iussionis peto à meo auditu remoueri: quod scio quis sum, qui estis. loco enim mihi fratres estis, moribus patres. non ergo iussi, sed quæ vtilia visa sunt, indicare curaui.*

[8] Lib. 4. epist. 32. ad Mauritium.
[9] Ibidem.
[1] Lib. 4. epist. 34.
[2] Lib. 7. epist. 30. ad Eulogium.

Bernardus etiam contra pontificis Romani dominationem præclarum dicit testimonium. *Planum est,*[1] inquit, *apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & vsurpare aude aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. planè ab alterutro prohiberis,* &[2] postea: *forma apostolica hæc est, dominatio interdicitur, indicitur*

[1] De consid. lib. 2.
[2] Ibidem.

citur ministratio. Et vt intelligam⁹, quàm præclarè Eugenii prælationem probarit; Pauli longè esse dissimilem ostendit. *Numquid*, [3] inquit ille, *ad eum de toto orbe confluebant ambitiosi, auari simoniaci, sacrilegi, concubinarii, incestuosi, & quæque istiusmodi monstra hominum, vt ipsius apostolica authoritate, vel obtinerent honores ecclesiasticos, vel retinerent?* & [4] postea: *Inter hæc*, inquit, *tu pastor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate. oues quid capiunt? si auderem dicere, dæmonum magis, quàm ouium pascua hæc. scilicet, sic Petrus faciitabat, sic Paulus ludebat.* Idem ab istis ecclesiam miserè lacerari significat. *Murmur*, inquit, *loquor, & querimoniam ecclesiarum: truncari se clamitant, & demembrari.*

[3] *Lib. 1. de consid.*
[4] *Lib. 4. de consid.*

Sextò, infinitam hanc potentiam pontificum Rom. in tenebris Ægyptiacis aliquot viri boni improbarũt, aliquot detestati sunt. Fridericus secundus ostendit ecclesiam in paupertate & humilitate fundatam fuisse: pontifices verò Rom. nimium superbire. [5] *Romanam enim ecclesiam tanto auaritiæ succensam incendio & cõcupiscentia manifesta, quod bonis ecclesiasticis nõ sibi pro voto sufficientibus, imperatores, reges, & principes exhæredare, & tributarios constituere non veretur.* [6] Queritur idem, *simonias, exactiones diuersas & à seculis inauditas incessanter exerceri, & vsuris manifestis & palliatis mundum infici.*

[5] *Matth. Paris in Henr. 3. p. 335.*
[6] *Ibidem.*

Asserebat, inquit [7] Matthæus Paris, *Helias* (summus minister minorum) *dominum papam contra iura imperii debacchari, pecuniam tantummodo sitire & variis argumentis extorquere, preces, missas, processiones & ieiunia non curare.*

[7] *In Henr. 3. p. 501.*

[8] Eberardus episcopus Salizburgensis pontificum Rom. tyrãnidem graphicè depingit. *Non pontificio more*, inquit ille, *gregi consulunt, sed potiùs immanitate tyranni licentia debacchantur. Iustitia rarescit, impietas, auaritia, cupiditas honorum, pecuniæ studium, libido crebrescit.* idcirco non dubitat pontifices Rom. appellare *flamines Babyloniæ*, & dicere: *quod in templo Dei sedeant, & extollantur supra omne id quod colitur*; quod antichristi proprium est.

[8] *Auentinus Annal. 7.*

[1] *Apud Orth. Grat.*

[1] Nicolaus de Clemangiis queritur, quod pontifices Rom. *cæteras ecclesias exspoliassent cuncta ingurgitando.*

[2] *In form. res. conf. rei cõuent.*

Heu, inquit [2] Petrus de Ferratiis, *miseri imperatores, & principes seculares, qui hoc & alia sustinetis, & vos seruos pontificum facitis, & mundum per eos infinitis modis vsurpari videtis, nec de remedio cogitatis.*

[3] *Serm. 33. in cantic.* [4] *In Psal. qui habitat. ser. 6.*

Sed quid nos recentiorum querelas persequamur, cum Bernardus suo tempore [3] ostendat *intestinam & insanabilem fuisse plagam ecclesiæ?* ministros ille Christi dicit *antichristo seruire*: & breui [4] fore, *vt antichristus reuelaretur.*

[5] *Lib. 4. epist. 32.* [6] *Lib. 4. epist. 34.* [7] *Lib. 4. epist. 32.*

Septimo, ex pontificum Rom. & aduersariorum confessione intelligimus potestatem hanc infinitam in omnem ecclesiam à pontificibus Roman. contra ius & mores ecclesiæ vsurpatam esse. Hoc enim Gregorius docet, vbi vniuersalis episcopi appellationem [5] repudiat. Idem se nesciente episcopum *Salonitanæ* vrbis ordinatum [6] significat, & se illud impedire non potuisse. Imperatori idem obediens fuit. *quantum*, [7] inquit, *ad me attinet, serenissimis iussionibus obedientiam præbeo.*

[8] *Epist. 9. ad Theodos.* [9] *Epist. 24. Leon.*

Leo apertè fatetur, se potestatem concilii indicendi non habuisse. *Pietas*, inquit [8] Leo, *vestra supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam iubeatis haberi episcopale concilium.* & Epistola 24. *omnes* [9] *sacerdotes cum lachrymis & gemitibus mansuetudini vestræ supplicant, vt generalem synodum iubeatis intra Italiam celebrari.* At concilii indicendi potestas præcipua nunc pars est iurisdictionis pontificiæ.

[1] *In epist. 1. ad Iacob. fratrẽ Dom.*

Clemens in epistola quadam [1] dicit *Iacobum fratrem Domini esse episcopum episcoporũ, & regere ecclesiam Hebræorum Hierosolymis, & omnes vbiq; ecclesias.* vnde sequitur, episcopum Rom. eo tempore non habuisse potestatem regendi ecclesiam vniuersam. Idem dicit *Christum esse ecclesiæ gubernatorem, & episcopum esse proretam* at proreta non habet monarchicam potestatem.

[2] *Epist. 1.*

Anacletus [2] dicit *omnes episcopos habere claues regni cælorum, & debere eos omnium ecclesiarum curam habere.*

At si

At si omnes à Christo habent potestatem; tum non pendet eorum iurisdictio à pontifice Rom. Reliqui etiam pontifices in suis decretalibus passim vocant episcopos alios, *collegas, consacerdotes, comministros, coepiscopos, fratres.* at monarchæ in imperio nullos admittunt socios, aut collegas.

Nullus patriarcharum, inquit [1] Pelagius, *vniuersalitis vocabulo vnquam vtatur: quia si vnus patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Quomodo ergo vniuersalis episcopi nomine negato, potestatem sibi arrogent pontifices Rom. vniuersalem? aut cur sibi hoc nomen vendicent, quod pii episcopi repudiarunt? [1] *Dist. 99. c. nullus.*

Atq; hæc de pontifice Roman. intelligenda esse ostendit Gratianus. *Vniuersalis,* [2] inquit ille, *nec pontifex Rom. appelletur.* atq; hoc ille *Pelagii* secundi & Gregorii primi authoritate probat, ne temerè illud dixisse putaretur. [2] *Dist. 99. c. Primæ.*

Abbas Panormitanus, quòd causam agens pontificis, eum *dominum ecclesiæ* [3] vocasset, à patribus concilii Basileensis acriter reprehensus est [3] *Æneas Syl. de gest. concil. Basil. lib. 1.*

Omnes episcopi, inquit [4] Cardinalis Cusanus, *sunt æquales quoad iurisdictionem. itaq; papatus est de iure positiuo, vt & omnes gradus maioritatis & minoritatis.* Et hoc necessariò sequitur ex communi sectæ pontificiæ positione, vbi iurisdictionem asserit esse alteram ex clauibus, & claues omnibus sacerdotibus datas esse dicit. [4] *Lib. 2. de concord. c. 13.*

Ante synodum Nicenam, inquit [5] Æneas Syluius, qui postea Pius secundus dictus est, *vnusquisq; sibi vixit, & paruus respectus habebatur ad ecclesiam Rom.* Quomodo autem haberetur paruus respectus, & vnusquisq; sibi viueret, si à Domino data esset pontifici potestas vniuersalis in omnem Ecclesiam? [5] *In epist. quadam.*

Postremò, omnes [6] fatentur pontificem Romanum propter hæresim posse deponi: neque licèt hoc Bellarm. quodammodo negitet; contrarium affirmare audet. Fatentur etiam pontificem sacerdoti peccata confitentem ipso minorem esse. At si summus esset ecclesiæ monarcha; nec posset à concilio deponi, [6] *Dist. 40. in c. pap. & ibid.*

quod nullam habet supra ipsum potestatem; neq; deberent claues pontificis cuiusquam alterius clauibus subiici.

Octauò, inde refellitur pontificum Rom. principatus, quia non ex Christi institutione, nec ex Petri successione; sed partim ex conciliorum decretis, partim ex vrbis splendore, partim ex principum legibus, partim ex armorum potentia, ambitione & superbia hominum, & fraudibus & prę{s}tigiis insignibus originem habuit. Quod ex concilio Niceno, & legibus & moribus ecclesiæ non mediocrẽ authoritatem adepti sint, probatur *primò* ex ipsius concilii verbis. *Mos antiquus*, inquiunt [1] patres illi, *perduret in Ægypto, Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam episcopo Romano parilis mos est.* Quę sanè non aliam habent sententiam, quàm vt Alexandrinus præsit ecclesiis per suam patriarchiam, sicut Rom. præerat suis. nisi enim ita exponamus, prorsus ridicula erit sententia. nam si Alexandrino concedatur in sua prouincia potestas, quia pontifex Romanus in eandem habet iurisdictionem; stultitiæ summæ patres arguemus; qui ex ratione allata legis suæ vim omnem eneruant. Quomodo enim haberet Alexandrinus potestatẽ in *Ægypto* & *Libya*, si pontifex Rom. summam haberet quiduis ibi statuendi potestatem? Nostram etiam interpretationem confirmat Ruffinus, qui episcopo Rom. *ecclesiarum suburbicarum procurationem commissam* dicit, nõ aliter ac Ægyptiarum & Libycarum ecclesiarum cura Alexandrino commissa fuit. Hoc loco autem obseruandum est, patres concilii hanc prouinciarum diuisionem non ex lege Diuina, aut apostolica, sed ex more vetusto ducere. *quoniam* inquiũt illi, *episcopo Rom. parilis mos est.* Hunc autem morem lege illi confirmarunt. decreuerunt enim, *vt apud cæteras prouincias, honor suus vnicuiq; seruaretur ecclesiæ.*

[1] Can. 6.

Probatur *secundò* ex ecclesiæ historia: quia ante eius concilii tempora parum potuit episcopus Romanus. *Victorem* enim contẽpsere episcopi *Asiatici*, suumque morem celebrandi paschatis vsq; ad Niceni concilii

cilii tempora perduxêre. Cyprianus Stephani episcopi Rom. sententiæ de rebaptizandis hæreticis non cessit. nec aliquid ante ea tempora statuisse, vel mandasse legitur pontifex Romanus, quod quidem ab omnibus receptum fuerit.

Probatur *tertiò* ex verbis concilii [1] Chalcedonensis. testatur enim concilium, *ecclesiam Romanam à patribus habuisse primatum*.

Probatur *quartò* ex confessione pontificum Rom. Nam in conciliis Africanis, vbi actum est de appellationum iure; non protulêre ius diuinum, quod nunc Bellarmin. prætendit, nec Petri successionem, in qua semper ferè delitescunt, sed [2] canones concilii Niceni. at si ius diuinum habuissent, nihil fuisset stultius, quàm in regulis patrum hærere. Postea verò, cum apertè deprehensi essent, quod commentitium canonem protulissent; ad concilii Sardicensis decretum quoddam etiam commentitium cõfugerunt. Eorum etiam exemplo & Iebusitæ, & alii omnes causæ pontificiæ propugnatores, canones & patres ad probãdum pontificis Rom. primatum afferre solent. Cardinalis Cusanus apertè [3] fatetur papatum esse de iure positiuo. & Æneas [4] Syluius ante tempora concilii Niceni, singulos absque respectu Romanæ ecclesiæ sibi vixisse dicit.

Probatur *postremò* ex ratione. nam si episcopus Cõstantinopolitanus ex actis & decretis conciliorum primatum accepit: non aliunde etiam pontifex Rom. primatum suum habuit. at illud exploratissimum est. Probatur propositionis consequentia, quia vbique patres parem prærogatiuam patriarchis veteris & nouæ Romæ, & aliis omnibus quoad iurisdictionem singulorum tribuunt, & in legibus coniungunt, vt ex concilio [5] Niceno, [6] Constantinopolitano primo, & [7] Chalcedonensi colligitur. Assumptio etsi multis argumentis probari possit, nos tamen cõcilii Constantinopolitani & Chalcedonensis decretis contenti erimus. *Constantinopolitanæ ciuitatis episcopum*, inquiunt [8] patres Constantinopolitani, *habere oportet primatus honorẽ post Rom. episcopum, quoniã est noua Ro-*

[1] *Act.* 16.
[2] *Concil. Carth. sexti sub Bonif.* 1. c. 3.
[3] *Vbi suprà.*
[4] *Vbi suprà.*
[5] *Can.* 6.
[6] *Can* 2.
[7] *Act.* 16.
[8] *Can.* 5.

ma. atq; hic canon in decreta pontificum Rom. [3] relatus est. Chalcedonenses etiam patres *sequentes definitiones sanctorum patrum & regulam*, vt [4] aiunt, *diffiniunt Constantinopolitanã ecclesiã noua Roma, aequis cum seniore Roma priuilegiis frui, & in ecclesiasticis sicut illam maiestatem habere negotiis, & secundam post illam existere.* Respondet [5] Bellarm. *nõ esse hoc legitimum decretum concilii, quia sine pontifice Rom. & eius legato factum est. Non valere enim quod sine illo, aut eius legato actum est.* at Synodus illa vniuersa, cui potiùs credendum est, legitimum esse decreuit, & legem illam, obloquentibus licèt multùm legatis pontificis, firmauit. Praeterea ne aliqua inde dubitatio oriretur; vlteriùs [6] decreuerũt, *vt illa synodi sententia obtineret, in qua plures essent numero sacerdotes, etiamsi duo, aut tres per contentionẽ suam contradicerent.*

Neque sanè aliquando pontificis Rom. consensus magis requirebatur, quàm alterius alicuius patriarchę; nec hoc dicit [7] synodus septima quod ipse scribit. frustra ergo à Bellar. citatur.

Dicit praeterea [8] Bellarmin. *duo esse in eo decreta falsa.* Sed quis nõ miretur huius fraterculi impudẽtiam, qui tot patres falsi arguere audet? nos sanè & pontificẽ Rom. à synodo Nicena & cõsuetudine habuisse primatum ostendimus: & mox docebimus hoc propter vrbis splendorem ei datum fuisse: quae duo Bellar. pro censoria sua authoritate velut falsa notauit. Neq; nos [9] Leonem contrà dicentem moramur. Gelasium verò commentitium, velut hominem κενόγγελάσιμον, & ridiculum meritò ridemus. iste enim *euangelica Domini voce ecclesiam Rom. primatum obtinuisse* [1] dicit, apertè & impudenter mentiens. ille absque ratione frustra contra veritatem pro dignitate ecclesiae Rom. pugnat. Verùm quicquid est de Romana ecclesia, certum est Constantinopolitanam ecclesiam à synodorum decretis primatum habuisse, quod nos hoc loco asserimus.

Quod autem diximus ex vrbis Romae splendore & amplitudine ecclesiam Rom. primatum adeptam esse, testatur Irenaeus. *Ad hanc ecclesiam*, [2] inquit ille, *pro-*

pter

[3] *Dist.* 22. *Constantinopolitana.*
[4] *Act.* 16.
[5] *Lib.* 2. *de pont. Rom. c.* 17.
[6] *Act.* 16.
[7] *Act.* 6.
[8] *Col.* 771.
[9] *Epist.* 52. *ad Martian.*
[1] *In concil.* 70. *episcop.*
[2] *Lib.* 3. *adu. haeres. c.* 3.

pter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, eos qui vndique sunt fideles. nullam autem principalitatē ille intelligit, præterquam nominis Rom. Præterea, si Constantinopolitana ecclesia, *quia* [3] *noua erat Roma, primatū adepta est*, vt patres concilii asserunt: necesse est, vt vetus Roma propter vrbis & imperii gloriam primatum adepta fuerit. Postremò, hoc disertè docent patres Chalcedonenses.[1] asserunt enim *sedi seniores Romæ propter imperium ciuitatis illius patres consequenter priuilegia reddidisse:* & propterea ēt Constātinopolitanæ ecclesiæ paria priuilegia tribuerunt. quorum decreto licèt intercessissent pontificis legati, illud tamen magno reliquorum consensu perlatum est. neq; Leonem contrà scripturientem postea vel flocci fecerunt. hoc enim decretum semper ratum habitum est.

3 *Can 5. cōc. Constantinopol.*

1 *Act. 16.*

Ex principum præterea legibus authoritatem magnam ecclesia Rom. adepta est. *Sancimus*, inquit [2] Iustinianus *secundùm synodorum definitiones, sanctissimum senioris Romæ papam primum esse omnium sacerdotum; beatissimum autem archiepiscopum Constantinopoleos nouæ Romæ secundum habere locum.* Idem regulis synodorum, quæ antea ista decreuerant, authoritatem & vim tribuit. quæ sanè ille frustra definiuisset, si absq; controuersia omnes primatum pontificis Rom. à Christo institutum existimassent. Hunc etiam primatum Phocas patricida cōfirmauit. *Bonifacius tertius*, inquit [3] Platina, *à Phoca imperatore obtinuit, vt sedes beati Petri Apostoli, quæ caput est omnium ecclesiarum, ita & diceretur & haberetur ab omnibus.*

2 *Nouell.* 131.

3 *In Bonif.* 3.

Proferunt etiam legem quandam Constantini, quę quoniam multa in ea donauit Constantinus, Donatio Constantini vulgò dicitur. In lege illa commentitia ita loquutus fingitur [4] imperator. *Vtile iudicamus, &c. vt sicut beatus Petrus in terris vicarius filii Dei videtur esse constitutus; ita & pontifices ipsius principis Apostolorum in terris principatus potestatem, ampliùs quàm terrena imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, cōcessam à nobis nostroq; imperio obtineant.* & postea: *decernentes sancimus, vt principatum teneat tam su-*

4 *Dist. 96. c. Constantinus.*

per quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quàm etiam super omnes in vniuerso orbe terrarũ ecclesias Dei. Nemo autem qui authentica habet scripta, ad huiusmodi adulterina confugere solet commenta.

Atque ita magnam in ecclesia Christi, quoad res ecclesiasticas, pontifices Roman. adepti sunt potestatem. Principum etiam benignitate opes adepti sunt. Carolus Magnus, debellato imperatore Græcorum, exarchatus Rauennæ partem eis donauit. Eius [5] filius plura eis donasse fertur. Mathildis, quàm Gregorio septimo [6] constat perfamiliarem fuisse, eos ex asse heredes fecit.

[5] *C. ego Ludouicus. dist. 63.*

[6] *Pizzarrus in histor. Genuens.*

Sed cum omnia ista sitim ambitionis pontificum Rom. explere non poterant, arma tractare cœperunt. Armorum potentia Gregorius septimus, Henricum quartum, Paschalis secundus, Henricum quintum, Fridericum primum Alexander tertius, Fridericum secundum Gregorius nonus, & Innocentius quartus grauiter afflixerunt. Atq; eò tandem imperatores Romanos perduxerunt, vt quorum illi authoritate sedem suam [1] adipisci soliti sunt, eos postea in sua verba iurare coegerint. Per hos trecentos fere annos nullus legitimus habitus est imperator, quem pontifices non confirmarunt & coronarunt. adeoq; pudoris omnes terminos prætergressi sunt, vt non veriti sint in decretis suis imperatoribus præscribere [2] iuramentorum formulas. Cum armorum suorum violentia, fraudes & falsitates etiam coniunxerunt. Et primò quidem, scripturas ad suam authoritatem stabiliendam impudenter detorserunt. deinde, instrumenta varia donationum & priuilegiorum, vt illud C. *Constantinus.* dist. 96. & illud, *Ego Ludouicus*, dist. 63 & illud, *Tibi domino Ioanni*, in eadem distinctione, & multa præterea alia consinxerunt. Postea, scripta patrum pro arbitrio non tantùm interpretati sunt, sed etiam corruperunt. Postremò, legendas mendaciorum plenissimas emiserũt, in quibus pontificum Rom. mores & angelica sanctitas commendatur. Postquam ergo armis imperatores debellassent, facile erat credulum vulgus fabulis com-

[1] *Plat. in Bonifac. 3.*

[2] *Dist. 63. c. tibi domino Ioan.*

commentitiis & superstitionibus confictis decipere. Atque ita enatus est hic pontificum Rom. primatus: longè sanè alia ratione, quàm ipsi præ se ferunt, vt ex istis argumentis & recentiorum temporum historiis colligere licet. *Papa*, inquit [3] Machiauellus, *primùm propter censuras, deinde propter illas & arma simul, postremò propter dispensationum & indulgẽtiarum facultatem, & venerandi erant, & metuendi.* Nihil iste de diuino mandato, quod illi nunc papatui prætendunt, ne per somnium quidem vidit. Similia etiam narrat [4] Guicciardinus. Cum ergo incunabula, progressum, & vigorem papatus ex hominibus extitisse videamus, nihil est quod ipsi ius diuinum proferant.

[3] *Histor. Florent. ad Clemen. 7. lib. 1.*

[4] *In histor.*

Argumentum nostrum nonum ab ordinationibus & depositionibus aliorum episcoporum sumitur. neque enim verisimile videtur, pontificem Rom. vniuersalis fuisse ecclesiæ rectorem, nisi episcopos vbique ordinare & deponere potuerit. At hoc ipsum nõ potuisse, docet *primò* totius ecclesiæ historia. nam vt vbiq; inuestigarit Bellar. nusquam tamen reperit aliquem episcopum extra prouinciam põtificis Rom. ante concilii Niceni tempora vel ordinatum, vel depositũ fuisse. imò neq; post concilium Nicenum, quamdiu canones viguêre, & episcopi ius suum tenere potuerunt. Profert tria aut quatuor exempla [5] Bellar. sed nihil ea ad propositum faciunt. [6] *Maximus* quidem *Antiochenus* non aliter confirmatus est à *Leone*, quàm ipse Leo ab aliis patriarchis. soliti sunt enim omnes episcopi fidei suæ professionem ad alios episcopos mittere, atque ita cæteri eos confirmarunt, vt exemplo Cornelii ostendimus, & ex literis [1] Gregorii primi ad reliquos patriarchas videre licet. Episcopus Salonitanus intrusus est nesciente Gregorio, & de eo meritò conqueritur, quia hoc admissum est intra fines iurisdictionis suæ. Marciano per literas Stephani alius [2] subrogatus est Arelatæ in Gallia: sed Gallia etiam intra fines erat patriarchæ Rom. reliqua vanissima esse suo loco dicemus.

[5] *Lib. 2. de pontif. Rom. c.18*

[6] *Act. 7.*

[1] *Lib. 1. epist. 26.*

[2] *Cyprian. lib. 3. epist. 13.*

Probatur *secundò* ex limitibus prouinciarum, extra quos antiqui patres metropolitanos & patriarchas sal

ces suas in alienam messem mittere prohibuerunt. [3] Canones apostolorum vetuère *episcopos extra terminos proprios ordinationes facere: aliter facientes deponendos esse* censuerunt. Patres [4] Niceni *ordinatum à non suo episcopo, nulliter ordinatum* pronuntiarunt. Iidem [5] pontificem Rom. è finibus Ægypti, *Libyæ*, & *Pentapolis*, & prouinciis aliorum patriarcharum excluserunt. ridiculum est enim putare certos fines constitutos reliquis patriarchis, ita tamen, vt omnia turbare posset pontifex Rom. Decreuerunt [6] patres Constantinopolitani, *vt episcopi, qui extra diœcesim sunt, ad ecclesias, quæ extra terminos earum sunt, non accederent.* Infinitum est omnia quæ in eam sententiam decreta & statuta sunt, persequi. Quare, nisi ostendere possint pontifices Rom. aut concilia nihil huius statuisse, aut se legibus conciliorum non teneri; certum est eos nullum ius in ordinandis & deponendis episcopis extra patriarchatum suum habuisse. Probatur postremò ex actis pōtificum. nam ipsi licèt omnia acta sua per notarios diligenter descripserint; nihil tamen de ordinationibus & depositionibus episcoporum extra fines suos reperiunt.

[3] Can. 36.
[4] Can. 17.
[5] Can. 6.
[6] Can. 2.

Decimum argumentum sumitur à legibus. Ad summam enim pertinet potestatem leges ferre, & legibus aliorum non teneri. Quare, nisi pontifices Rom. leges tulerint quibus vniuersa obligaretur ecclesia, & à legibus aliorum liberi fuerint; monarchicum sanè super vniuersam ecclesiam principatum non habuere. At certum est *primò*, eos leges non tulisse quibus vniuersa teneretur ecclesia. illud enim constat partim ex ecclesiastica historia, quæ nihil huiusmodi actum narrat, partim verò ex variis exemplis. Præscribere [7] voluit *Victor* ecclesiis Asiaticis certum modum obseruādi paschatis: at episcopi Asiatici eum valdè contempsere. [8] *Anicetus* verò nec Polycarpo suadere potuit, vt suum morem seruaret. [9] Zozimus Africanis ius dicere voluit, quod ante ipsum aliquot episcopi Rom. tentarant: sed iugum illi accipere noluerunt. Ambrosius Mediolani non ieiunabat, licèt aliter seruaret ecclesia Rom. [1] Augustinus etiam ostendit vnitatem fidei

[7] Euseb. hist. lib. 5. c. 23.
[8] Ibid.
[9] Concil. Afric. 6.
[1] In epist. ad Casul. 86.

dei rectè seruari potuisse, *etiamsi diuersa essent per ecclesias obseruationes.*

Probatur deniq; exemplo decretaliũ epistolarum, siue constitutionum pontificiarum. nam si paucas excipias commentitias, nullæ editæ sunt antiquitus à pontificibus Rom. decretales, quæ vim legis habuerunt. Primus, qui decretalibus vim legis dedisse videtur, fuit Gregorius septimus. ab eo enim author *Bullarii* exordium sumpsit. qui autem eas primus vulgò dispersas in vnum volumen collegit, fuit Gregorius nonus, qui vigente iam pontificatu regnum adeptus est. Post illud editus est Sextus, & Clementinæ. Postremò, in lucem prodiêre *extrauagantes*; de quibus dici potest, quod olim de nummis nouis dixit quidam, *recentissimas quasq; deterrimas esse.* Sed licèt serò demùm isti, tanquam Rhadamanthus & Minos, leges suas promulgarint; eas tamen & Græci, & Asiatici, & Africani ne pili quidem æstimarunt. imò nec in Gallia [2] receptus est sextus decretalium, nec adhuc recipitur.

Deinde certum est, pontifices Rom. vsq; ad Iustiniani tempora legib. imperatorum obligatos fuisse. Plenus est huiusmodi legum Codex [3] imperatorius. imò non aliunde olim prærogatiuam sedis suæ firmarunt, vt antea ostendimus. Et sanè, qui diceret pontifices Rom à conciliis leges de fide & externa ecclesiæ administratione non accepisse, is studio partium abreptus deliraret. nos non putamus hæc negaturos Iebusitas, & propterea à legum & exemplorum operosa recitatione abstinemus.

[2] *In præfat. Duaren. in lib. de benefic.*

[3] *Cod. de sum. Trin. & fid. cath. item de sacrosanct. eccles. item de episcop. audient.*

Vndecimum argumentum est, pontificem Rom. nõ potuisse olim vincula legum laxare, & (vt aiunt) dispensare, & propterea non habuisse ipsum summam & vniuersalem in omnes potestatem. Illud autem probatur *primò*, ex ecclesiæ actis. nusquam enim bonis ecclesiæ temporibus aliquæ huiusmodi dispensationes cõcessæ leguntur. Probatur *etiam* ex conciliorum anathematis: ipsa enim canonum transgressoribus anathema denuntiarunt; nec pontifices Rom. exceperũt. Probatur *postremò*, ex ipsis dispensationum regulis. illæ enim nonnisi post confirmatam pontificum tyran-

nidem in ecclesiam irrepserunt. Antiquitus enim nec audita est taxæ pœnitentiariæ turpitudo & fœditas; nec simoniaci, sacrilegi, incestuosi, homicidæ, parricidæ, & huiusmodi hominum monstra ad pontificem Rom. pro indulgentiis concurrerunt.

Duodecimum argumentum superiori simile est, & ex censuris robur habet. nam si pontifex Roman. in omnes potuit anathemata fulminare, & in ipsum nullus; tum non negamus ipsum in excelso ecclesiæ fastigio locatum, & verè Iouem fulminãtem fuisse. Sin autem nec ipse potuit in omnes mucronem ecclesiasticũ distringere, nec vitare, quò minùs alii eum mucrone hoc vulnerarint; nihil est, quod de summa ecclesiæ præfectura per leges obtinenda somniet. Non potuisse autem ipsum anathemate quenquam extra territorium iure percellere, ostendunt primùm canones ecclesiæ, qui certos limites patriarchis, vt diximus, præscripserunt. Quod si ergo non erat pontifex Rom. omnium iudex; excommunicatio in ipsos lata, qui extra eius prouinciam erant, non ligabat. Præterea, homines Asiatici *Victoris* excommunicationem velut iniustè latam [1] contempserunt. Irenæus eius temeritatẽ grauiter reprehendit. Nunc Græci & Asiatici ne pili quidem faciunt pontificis iram. Postremò, imperatores Rom. & rex Galliç Philippus, & Angliæ aliquot reges, non multi excommunicationem eius fecerunt. nunc nullus pius eam curat.

[1] *Euseb. lib. 5. c. 24.*

Deinde, pontifices Rom. aliquot excommunicatos fuisse legimus. [2] Iulium I. excommunicarunt episcopi orientales; Leonem Dioscorus Alexandrinus. malè, fateor: sed non est verisimile eos hoc tentaturos, nisi & benè fieri posset. Præterea, canones in omnes simoniacos, sacrilegos, proditores, hæreticos, & aliis quibusdam criminibus irretitos anathema pronuntiant. at nemo dubitat, quin põtifices Rom. & tales fuerint, & pro talibus vinculo anathematum innodari potuerint. Postremò, istos & nunc viri pii excõmunicarunt, idque toto populo Christiano secundissimo: & olim pontifices Rom. se inuicem anathematum fulminibus petierũt: vt Vrbani sexti, & Clementis, Gregorii duo-

[2] *Sozomen. lib. 3. c. 10.*

decimi, & Petri de Luna, & Ioannis vicesimi tertii exemplo ostenditur.

Decimumtertium argumentum ex iure appellationum sumitur. Dicimus enim licere appellare ad summum ecclesiæ iudicem, & ab eo omnē appellationem factam illicitam & nullam censemus. at cōcilium Mileuitanum appellationes ad pōtifices Rom. fieri [3] vetuit. *Ad transmarina*, inquiunt patres Mileuitani, *qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* Displicuit etiam Cypriano ad pontificem Rom. fieri appellationes, aliterq; ab vniuersis statutum esse dicit. *Cum statutum sit*, inquit [4] Cyprianus, *omnibus nobis, & æquum sit pariter & iustum, vt vniuscuiusq; causa illic audiatur, vbi admissum est crimen, & singulis pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regat vnusquisq; & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet vtique eos quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possint; nisi paucis desperatis & perditis, minor esse videtur authoritas episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicauerunt.*

3 Can. 22.

4 Lib. 1. epist. 3.

Ad hoc respondet [1] Bellarm. *prohiberi tantùm appellationes, vbi crimina sunt manifesta.* Sed Cyprianus planè reprehendit eos, qui quauis de causa appellarent. & sanè post sententiam latam de crimine, illud leges notorium esse iudicant. Respondet ergo *secundò, velle Cyprianum causam primò examinari in loco commissi criminis, & postea ipsum non impedire appellationes.* Sed Cyprianus planè contrarium dicit, & rationem reddit, quæ planè euertit principatū pontificis Rom. Nam si Africani episcopi æqualem habent cum Romano authoritatem; & singulis sua gregis portio ascripta sit; non est quod pontifex Rom. authoritatem in omnes vsurpet.

1 Lib. 2. de pont. Rom. c. 23.

Ad concilii Mileuitani canonem [2] respōdet primò, *excipi sedem Romanam.* Sed vt valdè in hac causa cęcutiat; vidit tamē canonem illum disertè aduersùs pontificem Rom. editum fuisse, & [3] Gratiani responsio-

2 Ibid. c. 24.

3 2. q. 6. placuit.

nem improbat. Respondet ergo iterum, *Canonē illum non esse ad propositum. vetari enim tantùm appellationem minorum clericorum & non episcoporum.* Quasi verò infirmis deneganda sit appellatio, quæ vnicū est oppressorum præsidium; & non eadem esset ratio vtriusque prohibitionis; & non sit summi iudicis omnium causas audire. Synodus sanè appellationes omnes ad trāsmarina prohibuit. Multi deniq; in medio papatus regno principes, appellationes subditorum ad curiam Rom. factas, vel irritas esse pronunciarunt, vel omnino fieri prohibuerunt: & nunc pauci sunt, qui eò appellandum censent.

Prętereą, Donatistarum appellationem à Melchiade episcopo Rom. & eius collegis factam, imperator 4 Constantinus admisit. causam enim appellationis primùm aliis commisit, deinde eam ipse audiuit & decîdit. Similiter episcopi orientales à Iulii episcopi Romani sententia, in causa Athanasii & aliorum, ad synodum prouocarūt: quod sanè stultissimè factum fuisset, nisi in synodo summam esse potestatem existimassent. Innocentius deniq; primus facilè vidit & agnouit, nullum fuisse malis ecclesiæ tum grassantibus remedium, præterquam in synodo. Chrysostomo enim iniquissimè oppresso, nullum ille auxilium, licèt valdè cuperet, afferre potuit. Neque sanè hoc antiquitus visum est vel nouū vel iniquū, vel episcopi Rom. iudicium recusare, vel ab eius sententia appellare. *Ecce,* inquit 5 Augustinus, *putemus illos episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuisse. restabat adhuc ecclesiæ plenarium vniuersale concilium. vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si male iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.* hinc constat licitum fuisse; ex Augustini sententia, ab episcopo Rom. ad cōcilium appellare.

Confirmata etiam pontificum Rom. tyrannide, ab illis tamen nō rarò appellatū est. A Bonifacii 8 sentētia 1 appellauit Philippus Pulcher rex Galliæ. Ab Innocentio 4 2 Fridericus secundus appellauit, Ioannis 22. sententiam Ludouicus Bauarus appellatione interposita eneruauit. Neq; tantùm reges & imperatores, sed

4 *August. epist.* 162.

5 *Ibid.*

1 *Ioan. Mar. Berga.*

2 *Matth. Paris in Henr.* 3.

sed homines tenues & conditionis mediæ hoc remedio impetum pontificum istorum fregerunt. Mænardus comes Tyrolensis, Gregorius Heimburgensis, multique alii iniuriarum suarum remedia ad Synodum à pontifice Rom. appellantes quæsiuerunt. Nuper etiam vniuersitas *Parisiensis* appellationem à Leonis 10. grauaminib. & iniuriis [3] interposuit. Nec sanè causa vlla dici potest, cur non omnes iniustè à pontifice Rom. oppressi ad concilium prouocent.

[3] *Apud Ort. Grat. in fascic.*

Ad illud de Donatistarum appellatione respondet [4] Bellarminus, *Eos male fecisse, qui ad pontificem Rom. non appellarunt: idque Augustinum dicere.* sed hoc ipse docere debuit, & non tantùm temerè affirmare. Augustinus certè nec dixit, nec cogitauit ad pontificem Rom. appellandum esse. imò ille à pontifice Rom. ad concilium rectè appellari posse ostendit.

[4] *Lib. 2. de pont. Rom. c. 24.*

Respondet secundò, *permisisse Melchiadem alios secū sedere, quia ipse suspectus erat Donatistis.* Sed ridiculè hoc fingitur. nam neque ipse Melchiades in hac causa iudex sedisset, nisi hoc Constantinus imperator mandasset. Augustinus ostendit reliquos Melchiadis collegas parem habuisse cum ipso potestatem; quod etiam inde constat, quia omnes paria acceperunt ab imperatore Constantino mandata, & ab ipso iudices in hac causa constituti sunt.

Respondet tertiò, *Iudicasse quidem post episcopū Rom. alios iudices & imperatorem, sed non oportuisse, & imperatorem inuitum iudicasse, & veniam petiisse ab episcopis, & hæc omnia habere Augustinum.* Sed sperauit fortasse lectorem hæc nunquam examinaturum, & ideo quiduis temerè affirmauit. Augustinus certè nec reprehēdit eos, qui post episcopum Rom. iudicarunt, nec imperatorem; sed eorum taxat tātùm importunitatem, qui in nullius vnquam iudicio voluerunt acquiescere. de pontifice autem Rom. nunquam tam magnificè existimauit, quin eius iudicium examinari potuisse putarit.

Decimum quartum argumentum est, non habere pōtificem Rom. summam potestatem in vniuerso orbe terrarum, quia non potest vbique iudices & lega-

tos constituere, qui de causis omnib. ecclesiasticis cognoscant. hoc enim pertinet ad summum ecclesię magistratum, inferiores iudices, & magistratus constituere. Illud autem probatur *primò*, ex praxi ecclesiæ. nam ante synodum Nicenam, & multò pòst, nusquam legitur aliquem legatum in alienam prouinciam misisse. Probatur *secundò* ex regulis patrum. nam illi certos fines singulis episcopis constituerunt, vt nos iam ostendimus ex synodi [1] Nicenæ & [2] Constantinopolitanæ actis. Præterea, & Socrates illis consentanea scribit. *Rursus*, [3] inquit ille de patribus Constantinopolitanis loquens, *fidem à Nicena synodo traditam confirmarunt, & patriarchas descriptis prouinciis constituerunt, vt episcopi certa diœcesi præpositi in alienas ecclesias ne inuaderent.* Probatur *postremò*, quia populus Christianus hos legatos semper, velut ecclesiæ pestes [4] detestatus est, & reges Christiani, ne in sua regna ingrederentur, summa vi obstiterunt.

[1] *c. 6.*
[2] *Cap. 2.*
[3] *Lib. 3. eccl. hist.*
[4] *Matt. Paris, in Henr. 3. & grauam. German.*

Decimum quintum argumentum hoc est: Non esse pontificem Rom. summum ecclesię monarcham, quia omnis iurisdictio in monarchia fluit & deriuatur à summo principe. Consequentia necessaria est. Assumptio probatur, quia in ecclesia Christiana vbique episcopi antiquitus sine vlla confirmatione pontificis Rom de grege sibi commisso iudicarunt. etiam nunc à Christo, & non à pontifice Rom. dicunt eos claues habere. De episcopis per reliquorum patriarcharum prouincias cõstitutis, ne se intromitteret, regulis synodorum cautum erat. [5] Cyprianus singulis episcopis *portionem gregis à Domino commissam* dicit.

[5] *De simpl. prælat.*

Decimum sextum argumentum est: quia summo principi omnes parent, & eius mandata exequuntur, propterea pontificem Rom. non esse summum ecclesiæ rectorem: eius enim mandatis piissimi viri sæpe repugnarunt. nam non tantùm *Victori* episcopi Asiatici, Stephano Cyprianus, Zozimo Aurelius & Augustinus; sed etiam postremis his temporibus, ecclesiæ plurimæ & orientales, & occidentales omnibus simul horum temporum pontificibus restiterunt. Neque hoc iniuriâ quisquam factum dicere potest. *Recessit*

Græca

Graca ecclesia, inquit [6] Matthæus Paris, *à subiectione Romana ecclesia, propter eiusdem varias enormitates, maximè in vsuris, simoniis, iustitia venditionibus, & aliis iniuriis intolerabilibus.* & postea: *Ecce causa*, [7] inquit, *ecce materia quare recedunt corda. etsi non corpora à patre nostro Papa, qui in vitricalem exasperatur austeritatem, & à matre nostra ecclesia Rom. qua in nouercalem desauit persequutionem.* Apud Anglos Robertus [8] Grosted episcopus Lincolniensis, aduersus prouisiones Innocentii quarti fortiter depugnauit; eumque moriens non dubitauit Antichristum dicere. *Nonne*, inquit ille, *animarum destructor, inimicus Dei, & Antichristus censetur?* Denique cum aliter tyrannidi pontificum Rom. obsisti non posset, & imperatores Rom. & reges [1] Angliæ & Galliæ legibus latis eidem occurrerunt.

[6] *In Henr. 3. p.778.*
[7] *Ibid. p.791*
[8] *Matth. Paris in Henr. 3. p. 847.*
[1] *Statut. de prouisionib.*

Decimum septimum argumentum ex eo sumitur, quia Papa iudicari potest & deponi. at summus princeps, quia nullũ habet superiorẽ, nec iudicari potest, nec deponi. Illud probatur primò, exemplis variorum pontificum: deinde, sanctionib. canonum: postremò, ratione. Et primò quidem Marcellinus à Synodo Sinuessana damnatus est. [2] *Marcellinus*, inquit ille qui acta Synodi confecit, *in cõspectu Synodi cecidit in terram. ibi ergo iacentem & moram facientem damnauerunt.*

[2] *In synodo Sinuess.*

Sixtus tertius à Basso quodã accusatus, se coram Synodo expurgauit. Nec obstat quod suum iudicium iudicare à Valentiniano iussus est. nihil enim hoc erat, nisi vt se sponte expurgaret. quod quidem nisi coram iudicibus factum fuerit, quid opus erat, coram synodo illud facere?

Honorius non tantùm iudicatus est à sexta & septima synodo, sed etiam damnatus. Nec obstat, quod in causa fidei damnatus sit. modò enim iudicari & damnari possit, non est summus ecclesiæ rector. Nam quod dicit [3] Bellarm. *Papam hareticum non esse Papam*, ridiculum est. Papatus enim cõsistit in externa gubernatione, & non in fide: & occultos hæreticos cõcedũt esse membra ecclesiæ. Præterea, [4] Syluerius propter vrbem Gothis proditam, *Vigilius* propter neglecta imperatoris mandata, iudicatus est.

[3] *Lib. 2. de pont. c.30.*
[4] *Liberati breuiar.*

Iudicatus est etiam Liberius Arrianus, & ab ecclesia eiectus, & alius in locum eius subrogatus; quod illo non deposito fieri non potuit.

Ioannes 13. à concilio Rom. Gregorius 12. à concilio *Pisano* depositus est, vbi etiam Alexander 5. in eius locum subrogatur.

Concilium Constantiense non modò tres pontifices iudicauit, sed etiam processum suum, & iudicium lege lata & decreto firmauit. illud etiam probauit concilium Basiliense.

Præterea, synodi anathemate feriunt omnes committentes in leges suas: & actis illis subscribunt pontifices. quis ergo non videt eos sententia synodi innodari?

Postremò, cum *Petrus à Paulo corrigeretur*, vt loquitur [1] Augustinus, & ipse & omnes Apostoli, & episcopi legibus & magistratib. teneãtur obedire, vt ait Chrysostomus; frustra quærit Bellar. rationes, vt probet põtificem à nemine iudicari posse. nam prætér vim & arma nihil habet pontifex, quo se defendat: quo argumento etiam sæuissimi tyranni tuti sunt.

[1] *August. de baptism. lib.* 2. c. 1.

Decimum octauum argumentum ducitur à missione episcoporum Romanorum. nam vt omnes episcopi, sic etiam Romanus ad certas sedes & prouincias destinatus est. vnde etiam sicut alii episcopi à sede sua nomen habent, & hic dicitur Alexandrinus, ille Hierosolymitanus, alius alio nomine; sic iste noster ab vrbe Roma dicitur pontifex Romanus. Atque in hoc differunt episcopi ab apostolis, quod sicut isti in vniuersum mundum, sic illi ad certas sedes missi sunt: vnde Synodi singulis episcopis suas definiuerunt regiones, & [2] Cyprianus *singulis episcopis portionem tantùm gregis ascriptam esse dicit*: & hoc in omnibus aliis episcopis aduersarii verum esse fatentur. quid est ergo, cur ampliorem episcopis Rom. prærogatiuam postulent? nam si apostolicam iactent successionem, sunt etiam alii episcopi apostolorum successores. Si, vt Gelasius, *Euangelica voce ecclesiam Rom. prælatam cæteris* putent, cur non ostendunt, vbi nos hanc vocem audiamus?

[2] *Lib.* 1. *ep.* 3.

Decimum

Decimum nonum argumentum fundatur in nominibus pontifici Rom. cum aliis episcopis communib. Nam vt ipsi, sic iste dicitur *pastor, episcopus, speculator, minister, seruus.* Quædam etiam nomina, æqualitatem eius cum aliis episcopis ostendunt. Synodi Constantinopolitanæ [1] patres, Damasum *fratrem suum & comministrum* vocant. Gregorius in epistola ad Eulogium Alexandrinum, lib. 7. epist. 30 *Loco,* inquit, *mihi fratres estis, moribus patres.* [2] Marcus Papa Athanasium & episcopos Ægypti vocat *dominos venerabiles.* Cyprianus nō aliter de [3] Cornelio existimauit, quàm de *fratre & collega.* Omnes denique episcopi, *collegæ, coepiscopi, comministri,* & *consacerdotes* dicuntur: quæ omnia summo pontificis Rom. imperio aduersantur. Ipse verò pontifex Romanus se seruum seruorum Dei appellat. at nihil tam repugnat summo imperio, ac seruitus. Quare, aut nomina hæc mutanda sunt, aut de summa potestate in omnes episcopos aliquid remittendum.

Vicesimum argumentum ducitur à verbis Christi & Petri, *Scitis,* inquit [4] Dominus noster, *quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. non erit ita inter vos.* [5] Petrus etiam hortatur conseniores suos, *Vt pascant gregem Dei, non dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* At pontificum imperiū nihil differt a dominatione principum gentium, nisi quatenus est longè deterius, & sub acerba eorum dominatione & tyrannide ecclesia Dei multos iam annos ingemuit, & quasi oppressa iacuit. ipsi enim non contenti honoribus hominibus exhiberi solitis, vt dii adorari voluerunt. *Satis ostenditur à seculari potestate,* inquit [6] Nicolaus, *nec ligari prorsus, nec solui pontificem, quem constat à pio principe Constantino Deum appellatum, cum nec Deum posse ab hominibus iudicari manifestum sit.* Vnde [7] Augustinus Steuchus: *Audis,* inquit, *summum pontificem à Constantino Deum appellatum, & habitum pro Deo? Papa in nocte natiuitatis Domini,* vt [8] est in libro cæremoniarum, *benedicit ensem, quem postea donat alicui principi in signum infinitæ potestatis pontifici collatæ, iuxta illud, data mihi est po-*

[1] *Cōcil. tom.* 1. & *Theodoret hist. lib.* 5 *c.* 9.
[2] *Tom.* 1 *cōc.*
[3] *Lib.* 1 *epist.* 3.
[4] *Matt.* 20.
[5] 1 *Pet.* 5.
[6] *In epist. ad Michael. dist.* 96. *c satis.*
[7] *De donat. Constant. p.* 14[illegible].
[8] *Lib.* 1 *sect.* 7.

testas & in cælo, & in terra. item dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Eberardus Salisburgensis episcopus propter huiusmodi blasphemias [1] dicit *in eius fronte nomen hoc blasphemiæ scriptum esse, Deus sum.*

Pontifices Rom. dicunt [2] vtrumq; gladium sibi deberi. vnde Bonifacius octauus tempore Iubilæi prodiit, ense accinctus, & [3] paludamento imperatorio ornatus, & coram se proclamari fecit, *Ecce duo gladii hic.* Idcirco, non tantùm se reges esse iactant & summos principes; sed etiam *reges regum, & dominos dominantium.*

Imò summis principibus pedes præbent osculãdos. *Vbi ad pontificis pedes venit,* inquit [4] magister cæremoniarum de imperatore verba faciens, *illos in reuerentiã saluatoris deuotè osculatur.* & cap. 6. eiusdem libri: *Imperatrix*, inquit, *coronata mox osculatur pedes pontificis,* quod præter [5] Diocletianum & Cæsarem vix tyrannus aliquis permisisse legitur. vnde dicit [6] Antoninus, *non minorem honorem deberi Papæ, quàm Angelis: Papam enim recipere à fidelibus adorationes, prostrationes, & oscula pedum.* 7 Celestinus Papa coronam ex capite Henrici imperatoris deturbauit. [8] Alexander tertius ceruicem imperatoris Friderici Ahenobarbi pede calcauit, accinens illud Prophetæ, *Super aspidem, & basiliscũ ambulabis.* Imperatorem Henricum quartum deposuit [9] Gregorius septimus; Fridericum secundum deposuere [10] Gregorius nonus, & Innocentius quartus; aliiq; pontifices aliis imperatorib. diademata eripuerunt. In his non *Petro*, sed Constantino, imò Cæsari & Neroni, & sæuissimis tyrannis successêre.

Gregorius nonus Fridericum secundum per Templarios [1] prodidit. eundem postea ex terra sancta reuersum diris deuouit, & armis persequutus est. Alios etiam imperatores Gregorius septimus, Paschalis secundus, Alexander tertius, Innocentius tertius, Innocentius quartus, Ioannes vicesimus secũdus oppugnarunt. Nunc, omnes hos tumultus quibus Christianus orbis grauissimè conflictatus est; pontifices soli excitarunt. Per Iebusitas & huiusmodi sicarios Henricum tertium

1 *Auentin. hist. Boior. lib. 7.*
2 *De maior. & obed. vnã sanctam.*
3 *Paral. Vrsperg.*
4 *Cærem. lib. 1. sect. 5. c. 3.*
5 *Pompon. Læt. in Diocl.*
6 *In sum. part. 3. tit. 22. c. 5. §. 4.*
7 *Roger. Houeden.*
8 *Carion.*
9 *in vit. Henr. 4.*
10 *Matth. Paris in Henr. 3.*
1 *Matth. Paris in Henr. 3.*

tertium regem Galliæ, & principem Auraniensem, aliosq; principes Christianos sustulerunt. Henricum quartum Galliæ, & Elizabethã Angliæ reginã crebrò ferro & insidiis petierunt: aliosq; clàm veneno sustulerunt: quæ nec sæuissimos legimus fecisse tyrannos.

Per istos pontifices hæreses in religionẽ Christianã inuectæ sunt, ecclesiæ oppressæ iacent, greges pastoribus spoliantur, oues Christi laniantur, resp. Christiana turbatur, pauperes opprimuntur, meretricum lupanaria defenduntur, cinædi & homines infames ecclesiæ præficiuntur: quæ omnia innumeris testimoniis & exemplis probantur. Quem ergo non pudeat dicere hãc dominationem à Christo & Apostolis inductam esse?

Vicesimum primum contra regnum Papale argumentum est, quia omne ius quod pontifices Rom. nũc petunt, partim à successione *Petri*, partim a successione primorum episcoporum Rom. pendet. vnde necessariò sequitur, nisi successores sint *Petri*, & episcoporũ Rom. qui primi ecclesiam illam fundarunt, nihil eis deberi. atque hoc neque ipsos pontifices Rom. negaturos confido. At nos eos nec Petro, nec episcopis Roman. orthodoxis successisse, certissimis indiciis & argumentis euincemus.

Postremum argumentum ex eo sumitur, quia licèt concederemus ipsos Petro successisse; tamen nisi ex asse & in vniuersum sint Petri hæredes, non possunt ius in vniuersæ ecclesiæ administratione sibi arrogare. Nam si plures sint Petri hæredes, & successores; tum non possunt soli pontifices Rom. ius successionis Petri sibi vẽdicare. At nos plures esse Petri successores, ad quos æquè ac ad pontifices Rom. Petri successio pertinet, demonstrabimus. Sed priùs, an Petro & priscis episcopis Rom. isti recentiores pontifices successerint, differendum est.

Pontifices Rom. horum temporum, nec Petro, nec primis episcopis Rom. legitimo iure successisse. Cap. III.

NOuum hoc fortasse, & nec opinatum Iebusitis nostris videbitur, quod hoc capite probandum suscepimus. Illi enim suum pontificem non tantùm velut successorem Petri, sed etiã vt omnium episco-

porum episcopum suspiciunt, & venerantur. Est tamen verissimum, & omnibus, vt spero, hæc legentibus manifestissimum fiet. Nam primò, nullus est legitimus successor, nisi qui vel ex lege absque testamento, vel ex testamento secundùm legem aut consuetudinem succedit. Benedictus [1] dicit *omnes successiones esse de iure positiuo*. [2] Baldus dicit, *omnes successiones esse vel de iure positiuo, vel de ciuili, suggerente naturali æquitate.* Nos, quoniam agitur de successione ecclesiastica, legem generaliter intelligimus, & omnes successionis causas complexi sumus. At nec testamentum Petri, aut alicuius legitimi episcopi Rom. aduersarii exhibere possunt, vnde ius suum deriuent: nec legem vllam ostendunt, vnde ius successionis pontificum Rom. probent. Nos vtrumque ad rauim poposcimus; sed hactenus neutrum proferri vidimus. tantùm locum nominant, vbi Petrus & episcopi Rom. antiquitus sedisse leguntur. sed nihil est in externo loco ad successionis ius probandum firmamenti. Nam si locū spectes, Romæ Caligula, & Nero, & Heliogabalus, & alii homines turpissimi sederunt. Præterea, sæpe prædones & iniusti possessores locis incumbunt, & prædiis alienis. Postremò, quoniam de episcoporum successione agitur; in vrbe Alexandrina, Antiochena, & Constantinopolitana adhuc pontifices sedēt, quos tamen Marco Alexandrinæ ecclesiæ fundatori, & Euodio, & Ignatio, quos in ecclesia Antiochena sedisse legimus, & Andreæ & Stachi, quos Byzātinæ & Thracum ecclesiis primos præfuisse scribit [3] Nicephorus non successisse cōstat. & hoc credo aduersarios etiam nobis daturos.

Secundò, successores aut sunt tanquam hæredes, qui in vniuerso iure [4] succedunt: aut tanquam legatarii, qui in aliqua re singulari ius [5] habent; aut tanquam functionis succidanei, qui quod in munere aliquo [6] succedunt, eius iure cui succedunt vtuntur. Iam verò non dicent, credo, pontifices Rom. se esse hæredes Petri; aut primorum episcoporum Rom. quia nec testamentum, nec ius aliquod aliud pro se proferre possunt. Nec sanè sunt legatarii. quid enim illis legaret,

[1] *In repetit. c Rainut. fol. 55. col. 1. de testam.*
[2] *In l lege. in 1. col. in fin. Cod. de legit. hæred.*
[3] *Hist. lib. 8. c. 6.*
[4] *L. qui ius, ff de reg iur.*
[5] *L. vlt ff. de except. rei vendicat.*
[6] *L. priuilegio. Cod. de decurion. lib. 10.*

ret Petrus, aut aliquis pius episcop⁹, quod per tot hominum manus ad eos perueniret? Relinquitur ergo, vt sint functionis succidanei. at neq; hoc ipsi iure allegare possunt. nam nec orbem circumeunt, vt Apostoli; nec Euangelium Dei docent, sicut pii episcopi. Quid ergo faciunt? certè sublimes in regio solio sedent, & inde hæreses & venena spargunt, & bella cient. sed hæc nec Petrus fecit, nec aliquis vnquam pius episcopus.

Tertiò, nulli episcopis succedere dicuntur, nisi qui verè sunt episcopi; nec Apostolis, nisi qui Euangelium Christi docent. *Christus*, inquit [1] Cyprianus, *dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt, Qui vos audit, me audit.* quod si ergo non audiatur eorum vox, non sunt Apostolorum vicarii successores. Similiter non sunt successores, nisi episcopi sint. episcopi enim episcopis succedunt. At pontifices Romanos certum est non esse episcopos. episcopatus enim opus est, & non titulus, seu inane nomen. *Qui episcopatum desiderat*, inquit [2] Apostolus, *bonum opus desiderat*: & Christus eos *operarios* vocat. *Rogate*, [3] inquit, *Dominum messis, vt mittat operarios in vineam suam.* Apostolus etiam Timotheum [4] monet, *vt studeat seipsum probatum sistere Deo, operarium, qui non erubescat. Si quis*, inquit [5] Tertullianus, *episcopatum concupiscit, bonum opus concupiscit: bonum opus dicit.*

Ad boni operis desiderium eum prouocat, & non ad honore, inquit [6] Hieronymus. Similiter in epistola ad Oceanum, *Si quis*, inquit, *episcopatum desiderat, bonū opus desiderat: opus, non dignitate: laborem, nō delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio*

[7] Bernardus episcopi nomine dicit, *sonari officium, & non dominium.*

[8] Theophylactus dicit *episcopatum ab ἐπισκοπεῖν dictū esse, quod significat prouidere, & prospicere vniuersis, quos sub eius cura susceperit. Si quis*, [9] inquit, *cupit praesse, nihil impedio. opus namque bonum desiderat, id est, negotium habere cupit.* At opus episcopi non faciunt pontifices Rom. non docent, nō frangunt panē esurientib.

[1] Lib. 4. epist. 9.
[2] 1. Tim. 3.
[3] Matth. 9.
[4] 2. Tim. 2.
[5] De anima.
[6] In 1. Tim. 3.
[7] De consid. lib. 2.
[8] In 1. Tim. 3
[9] Ibidem.

[9 Bell. lib. 3. de pōt. Rom. c. 24.] quod etiā aduersarii, licèt inuiti, concedunt; & ideo 9 aiunt, *episcopatū præfecturam esse, & dignitatē, & nō opus.*

Quartò, nullus dici potest Petri successor, nisi qui [1 De cōsider. ad Eug. lib. 4] pascit Christi gregem. *Pastorem*, inquit 1 Bernhardus ad Eugenium, *te populo huic certe aut nega, aut exhibe. non negabis, ne cuius sedem tenes, te neges hæredem.* & postea: *Non est quod horreas operam curámve pastoralem, pastoris hæres. Christus dixit Petro, dixit etiam omnibus episcopis*, [2 De sacerd. lib. 2.] vt inquit 2 Basilius apud Chrysostomum: καὶ Πέτρον καὶ πάντας ἡμᾶς μαθεῖν ἠθέλησεν. neque enim tantùm Petro, sed episcopis omnibus Petri successoribus oues commissas dicit. at pontifices Rom. non pascunt Christi gregem. [3 Libr. 4. de consider.] *Euangelizare*, inquit 3 Bernardus, *est pascere.* isti autem non euangelizant imò panem esurientibus eripiunt, scripturas occultant in lingua ignota, & notitiæ euangelii cupidiores curiosè indagantes omni ratione opprimunt.

Quintò, non est verè successor Petri, aut alterius cuiusquam pii episcopi, nisi qui in cathedra Petri, aut illius episcopi sedet, & in doctrina eorum permanet. At pontifices Rom. non amplius tenent cathedram, aut doctrinam Petri, aut eius successorum. Propositionem communi Patrum suffragio probamus.

Presbyteris illis, inquit 4 Irenæus, [4 Lib. 4. c. 43] *qui sunt in ecclesia obaudire oportet, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum patris acceperunt.* absque veritatis ergo charismate successio nullius erat momenti, si Irenæo credimus.

[1 Lib. 1. de pœnit. c. 6.] 1 Ambrosius negat *eos habere hæreditatem Petri, qui fidem Petri non habent.* Hanc sententiam etiam confirmat [2 In orat. de laudib. Athanasii.] 2 Gregorius Nazianzenus, τῆς εὐσεβείας διάδοχος, inquit ille, ὁμόθρονος, ὁ δ' ἀντίδοξον, ἀντίθρονος. h.e. qui in pietate succedit, is in cathedra verè succedit; qui autē contrariam tenet sententiam, is in contraria sedet cathedra.

Tertullianus eos solos hæredes & successores esse apostolorum concedit, qui sicut cauerunt testamento, [3 De præscrip. aduers. hæret.] ita tenent. Ego, inquit 3 Tertullianus, *sum hæres apostolorum, sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserūt;*

sicut

sicut adiurauerunt, ita teneo. vnde autem extranei & inimici apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ?

4 Hieronymus dicit *non esse facile stare in loco Petri & Pauli, & tenere cathedram iam cum Christo regnantium.* Idem requirit, vt qui se apostolorum vocant successores, *apostolorum in moribus, & doctrina imitentur vestigia. Apostolicus,* 5 inquit ille, *sermonem & conuersationem apostolorum imitetur.*

4 *Super verb. Matthæi sal in fatuat. in epist. ad Heliodorum.*

5 *In Mich. 2.*

Similiter 6 Chrysostomus: *non facit sacerdotem cathedra, sed sacerdos cathedram.* Quod dicit Hieronymus, *non esse sanctorum filios, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum,* inter 7 decreta pontificum etiam Rom. relatum est.

6 *Chrysost. in Matth. 23.*

7 *Distin. 40. nõ est facile.*

Postremò, Ionas Aurelianensis 8 fatetur *nullum in sedili apostolico ad apostolorum sublimari dignitatem, nisi eum constiterit implere apostolicam operationem.* Quare, nisi Apostolorum, & episcoporum teneant doctrinam, & eorum opus etiam perficiant pontifices Romani; frustra iactant externam lòci occupationem siue successionem. At omnes vident pontifices Rom. non ampliùs pascere gregem, nec episcopi opus facere. & facilè probare licet, & nos aliâs ostendimus eos hæreses Simonis Magi, & Carpocratianorum in colendis imaginibus, & rerum spiritualium nundinationibus; Angelicorum in colẽdis angelis; Collyridianorum in cultu beatæ virginis; Eutychis in tollenda humanæ naturæ in Christo veritate; Pelagianorum in extollendis operum, & minuendis gratiæ meritis, & multos præterea alios errores renouasse.

8 *Libr. 3. de cult. Imag.*

Postremò, qui successores se esse venditant Petri, & episcoporum Rom. nihil agere debent, nisi ad exemplum Petri, & episcoporum Rom. At isti contrà, neglecto pastorali officio basilicè viuunt, cutem curant, totos dies stertunt. si quid autẽ agunt, illud malè agunt: tumultus excitant, incendia bellorum in orbe Christiano accẽdunt, venena spargunt, principes per sicarios tolliunt, virorum bonorum sanguinem exugunt. Atq; hæc (proh dolor) orbis Christianus videt, & tolerat: ipsique nihilominus se successores esse Petri prædicãt. Sed rectiùs multò Adrianus quartus 1 dixit *pontifices*

1 *Apud Ioan. Sarisb. in Policrat.*

Rom. potius succedere Romulo in parricidiis, quàm Petro in pascendis ouibus. nihil enim habent episcopi prçter nomen: cætera omnia lupi sunt. Vt lupi aduersus pios vlulant; vt lupi, oues Christi insectantur, occidunt, laniant. Rectè ergo apud Robertum Gallum pontificem Christus alloquens: *quis,* [1] inquit, *posuit hoc idolum in sede mea, vt imperaret gregi meo?* & quod apud [2] Tertullianú de hæreticis dicit Christus, illud in istos successionem cathedræ iactantes accommodari potest. his enim Christus dicere potest, *qui estis? quomodo, & vnde venistis? quid in meo agitis, non mei?* nihil enim aliud sunt pontifices Romani, quàm laruati histriones, Petri, & episcoporum Rom. nomen & successionem frustra prætendentes, & ementientes.

1 *In opusc. cũ propheteiis Hildegard. Paris. excus.*
2 *De præscr. aduers. hær.*

Omnes episcopos gregem Christi pascentes, magis quàm pontifices Rom. Petro succedere, CAP. IV.

QVi sunt ergo, dicet aliquis, Petri successores, si pontifices Rom. non sint? Certè omnes pii episcopi, qui cum Petro, & secundùm Petri doctrinam, oues Christi studiosè pascunt. neq; enim soli Petro dictum est, *pasce oues meas,* vt ipse solus pasceret; sed vt omnes apostoli, & apostolorum successores vnâ gregem Christi pascerent.

Dictum est enim omnibus apostolis, *Docete omnes gentes;* & ne hoc ad ipsos tantùm pertinere putaremus, Christus [1] promisit *se cum illis futurum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.* quod de ipsorum successoribus necessariò intelligendum est: neque enim apostoli semper in mundo erant. Præterea, hortatur [2] apostolus Timotheum, vt *quæ à se audisset per multos testes, ea fidelib. hominibus commendaret, qui idonei essent docere alios.* voluit enim Deus successionem doctrinæ in ecclesia manere: & propterea nõ tantùm apostolos dedit ecclesiæ, sed etiam [3] pastores, hoc est, episcopos & presbyteros, qui apostolis succederent. [4] Cyprianus omnes præpositos ecclesiæ apostolis vicaria ordinatione successisse dicit. [5] Irenæus *omnes presbyteros veram doctrinam retinentes asserit apostolis successisse.*

Fuerunt, ô ecclesia, inquit [6] Hieronymus, *apostoli pa-*

1 *Matth.* 28.
2 *2. Tim. 2.*
3 *Ephes.* 4.
4 *Lib. 4. epist.* 9.
5 *Lib. 4. adu. hær. c.* 43.
6 *In Ps.* 44.

tres tui, quia ipsi te genuerunt: nunc autem, quia illi recesserunt à mundo, habes pro his episcopos filios, qui à te creati sunt. sunt enim & hi patres tui, quia ab ipsis regeris. & postea dicit: *principes ecclesiæ*, hoc est, episcopos constitutos fuisse.

Quid est, inquit [1] Augustinus, *pro patribus tuis nati sunt tibi filii? patres missi sunt apostoli. pro apostolis filii nati sunt tibi: constituti sunt episcopi. hodie enim episcopi qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? ipsa ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus patrum.* [1] *In Psal.* 44.

Quod si ergo omnes apostoli pascere tenebantur oues Christi, & non tantùm Petrus; &, si apostoli alios constituerunt, qui eandem doctrinam propagarent ad posteros; &, si omnes episcopi successerunt apostolis, vt ex superioribus testimoniis liquet: certò constat omnes episcopos & pastores veros Petro non minùs quàm priscos episcopos Rom. & multò magis quàm pontifices Rom. successisse. Ex eo etiam euertitur somniũ Papistarum, qui Petrum fuisse solum ordinariũ pastorẽ, & ei soli, & non reliquis apostolis successum fuisse cõtendunt. Christus.n.non tantùm cum Petro, sed cũ omnib. apostolis se futurum vsq; ad seculi consummationẽ [2] promisit, & [3] Paulus ordinauit Timotheum, eiq; potestatẽ dedit alios fideles doctores cõstituendi: & patres non tantùm pro Petro, sed etiã pro omnib. apostolis filios natos dicunt. Cyprianus denique non tantùm Petri, sed omnium apostolorum successores, vicaria ordinatione eis successisse dicit. [2] *Matth.* 28. [3] 1. *Tim.* 4.

Disertè etiam nonnunquã asserunt alios episcopos, non minùs quàm Rom. Petro successisse: idq; nõ tantùm quia à põtifice Rom. ordinati sunt, quod antiquitus extra prouinciæ Romanæ fines nunquam factum est; sed quia quod Petro dictum est, *pasce oues meas*, hoc ad omnes apostolos & eorum successores pertineret.

[4] Augustinus de ecclesia & successione apostolorũ verba faciens, ita ait: *Non ergo te putes desertam, quòd nõ vides Petrum, quòd non vides Paulum, quia non vides eos, per quos nata es.* rationem suprà reddiderat, *quia pro apostolis nati sunt filii, constituti sunt episcopi.* vnde constat [4] *In Ps.* 44.

eum existimasse, omnes episcopos Petro, & Paulo, & aliis apostolis successisse.

[5] *De sacerd. li. 2. in princip.*

Interrogat discipulum (nempe Petrum) inquit [5] Chrysostomus, *magister, si ipsum diligeret: nō vt ipse disceret: quorsum.n hoc, cū ille omnium corda inhabitaret? sed vt nos doceret, quantā ipse curā haberet præfectura ouiū. & postea: & Petrū & omnes nos scire voluit, quantū ipse diligeret ecclesiam, vt & nos circa ista multam curā adhiberemus.* deinde & se, & omnem fidelem & prudentem seruum inter successores Petri numerat.

[1] *De consid. lib. 4.*

Bernardus loquens de mandato Petro dato de pascendis ouib. [1] dicit *euangelizare idem esse quod pascere; & qui facit opus euangelistæ, eum pastoris opus implere.* vnde non est dubiū, eum sensisse non tantùm Eugenium, sed omnes pastores Petro successisse.

Probatur etiam ratione. nam si Petro soli, & episcopis Rom. munus pastorale cōmissum sit: tum nulli licuit ecclesiā pascere, qui ab aliis apostolis ordinat⁹ est episcopus: maleq; fecerunt Timotheus, Titus, & presbyteri Asiatici, qui a Paulo ordinati munus episcopale in se susceperūt. Præterea, si hoc ita esset, tū si episcopi Rom. non pascerent oues Christi, quod nunc euenisse videmus, illis fame verbi Dei moriendum esset.

[2] *Lib. 2. de pont. Rom. c. 12.*

Sed quid nos hæc operosè probemus, cum fateatur [2] Bellar. *ea quæ Petro dicta sunt ratione officii pastoralis, vt hæc verba*: Pasce oues meas, &, Cōfirma fratres tuos, & Quodcunq; ligaueris: *dicta intelligi omnib. pastorib.* Certè si omnib. dicta sunt; tū rectè conclusum est, ius successionis Petri omnib. legitimis pastorib. esse cōmune, & propterea pōtifices Rom. nō esse ratione successionis Petri ecclesiæ summos rectores. Sed nihil magis nostrā sententiā cōfirmat, quàm languida & eneruata Bellar. disputatio, quæ ostēdit ipsum vndiq; quæsisse, & nihil tamē repisse, quod ruentē pōtificis dominationē suffulciret. quod quidē etsi omnes ex lectione librorum Bellar. intelligere possint; illud tamē ex respōsionibus nostris ad singula ipsius argumenta clariùs elucescet.

Respondetur ad argumenta Bellarm. pro pontificis Rom. monarchia ecclesiastica ex iure Diuino, & ratione successionis, CAP. V.

Ponti-

PONtificis Rom. primatum oppugnarunt quidem *Lutherus*, & *Caluinus*, aliique viri boni multi; quod ipsum malè habet. Sed multò erit ei molestius, cum nec à Iebusitarum coryphæo pugnam instaurante se satis defensum viderit. Pollicetur quidem [1] Bellar. *se argumentis ex iure Diuino, & ratione successionis probaturum, pontificem Rom. Petro in pontificatu vniuersæ ecclesiæ successisse.* solet enim se facinora capitalia facturũ polliceri. sed cum ad rem ventum est, nec ius diuinum profert, nec aliquod solidum argumentum.

[1] *Lib. 2. de pontif. Rom. c. 12.*

Debet, inquit ille, *iure Diuino aliquis Petro succedere: at si aliquis, certè pontifex Romanus.* Homo sanè lepidus, qui licèt nullum pro pontifice suo ius Diuinum proferat, gloriatur tamen se ex iure Diuino rem confectutum. Respondeo ergo, nec verum esse, *debere aliquẽ iure diuino Petro in vniuersali ecclesiæ regimine succedere*; nec episcopos Rom. aliter Petro, quam alios episcopos succedere: nisi in hoc fortasse discrimen sit, quod Petrus ecclesiam Rom. fundasse dicitur. Pontificem verò Rom. negamus omnino Petro successisse. Horum primum Bellarm. sex argumentis confirmat. Secundum sua iure sumens, in longam & minimè necessariam disputationem de ratione successionis euagatur; & docet suos nouitios, quid sit asserendum de mirabili isto pontifice, & quatenus ad fidem pertinet, Iebusiticè de pontifice opinari. ita scilicet otiosè res alienas agit, summum illud negotium quod in manib. erat, parum curans.

Primò, ergo dicit, *iure Diuino debere aliquem Petro in vniuersali ecclesiæ regimine succedere, quia pontifex est propter ecclesiam.* Quasi verò etiam apostoli non essent propter ecclesiam, & *patres ecclesiæ*, vt dicunt [2] Hieronymus & Augustinus, cum tamen nunc nulli sint apostoli. nulli præterea nunc sunt prophetæ, licèt illi propter ecclesiam essent. Christus verò maximè erat propter ecclesiam, vtpote vnicus generis humani redemptor, & summus pontifex. ipse tamen in terris nunc amplius nõ versatur. Omnes etiam episcopi, presbyteri, & diaconi sunt propter ecclesiam; non tamen habent summum imperium. Multa etiam quoad

[2] *In Ps. 44.*

res externas decernuntur propter ecclesiam, quorum tamen obseruatio non est necessaria. Etiam Iebusitæ nunc sunt propter synagogam Rom. non tamen merentur aliquem principatum. Postremò, insulse hîc sumit Petrũ fuisse totius ecclesię monarchã, quod nullis rationib. euincere potuit. Constat ergo hoc argumentum ex partibus & longè petitis, & male cohærentib.

Dicit *secundò, vt ecclesia sit vna, perpetuò requiri vnum externum gubernatorem.* sed hîc etiam de iure Diuino mirum est silentium. Præterea, falsum sumitur. nam vnitas ecclesię, vtpote corporis mystici, nõ in reb. externis cõsistit, sed in Christo, & vinculo Spiritus S. & vnitate doctrinę, & sacramentorũ. Apostolus. n. vbi [2] hortatur ad vnitatẽ, nõ aliunde petit argumẽta, quã *ab vno corpore, vno spiritu, vna vocationis spe, vno Domino, vna fide, vno baptismo.* Res aũt externæ sæpe mutantur. Rectores ecclesiæ alii óccidũt, alii succedũt. leges etiã de obseruationib. diuersis mutãtur, & põtifices Rom. in quib. omnia ponũt Iebusitæ, mortem oppetũt; & sedes eorũ quandoq; aliquot menses, quandoq; aliquot annos vacat: quo omni tẽpore vna esse nõ cessat ecclesia.

2 Ephes. 4.

Dicit *tertiò officiũ pastoris semper manere, & esse ordinariũ.* Sed quis nõ videt inde nõ sequi, vnũ debere esse totius ecclesiæ monarchã? nam munus pascendi potest à plurib. exerceri. ideo Christus monet, vt rogemus Dominũ messis vt mittat operarios in vineã suã. Isti verò, modò põtifex sibi saluus maneat, de cętero parũ laborant: & tamẽ quod volunt non cõsequuntur. nam moriẽte isto suo vno pastore ordinario, cessat, si ipsis credim⁹, pascẽdi officiũ, & ouib. per istos, mori licet fame.

Dicit *quartò, oues semper esse pascẽdas à Petri successorib.* Esto. nihil tamẽ hoc ad põtif. Rom. stabiliendã potentiã facit. nam nõ põtifices Rom. sed omnes pii episcopi, vt dictũ est, Petro successerũt. talesq; Petri successores, quales erãt Basilius, & Chrysostom⁹, & alii pii episcopi, intelligit [3] Chrysostom⁹. *Leo* dicit *Petrũ viuere in successore:* quod gen⁹ loquẽdi & Petrus Rauẽnas approbat. sed loquũtur illi de episcopis Rõ. in quib. Petri vigebat doctrina & probitas, & nõ de põtificib. istis qui à Petri discessẽre vestigiis. Præterea, vt multũ sibi faue-

3 Lib. 1. de sacerd.

ant in causa propria; nunquã tamen ita putabãt Petrum viuere in episcopis Rom. vt non etiam eos pro successorib. Petri habuerint, qui eius imitabantur fidẽ atq; mores, etiãsi alibi oues Christi pascerẽt, quàm Romæ.

Dicit quintò *ecclesiam esse vnum corpus, & suum habere in terris caput*, quia 1. Cor. 12. dicitur, *non potest caput dicere pedibus, Non estis mihi necessarii.* Sed infirma est omnis ex allegoriis & metaphoris argumentatio, quæ non habet in scripturis certum fundamentum, vt nos ex Augustino, & [2] Thoma Aquinate aliâs ostẽdimus. Hoc etiam ipsum exemplum ab aduersario allatum docet. nam si rectè connectitur, *ecclesiam debere habere vnum caput, quia est vnum corpus*; tum rectè etiam connecteretur, ecclesiam interire, quia corpus interit abscisso capite: quod absurdum est. Præterea, ratio dissimilis est inter corpus Christi, quod est ecclesia, & corpus naturale. ecclesia enim corpus est mysticum, & in multis à corpore naturali discrepat. verba autem Pauli 1. Cor. 12. intelligenda sunt de corpore naturali & organico, & non de mystico. Postremò, nec propriè dicitur Petrus caput ecclesiæ; nec quod Petri erat, necesse est ad pontifices Rom. pertinere. Christus enim *solus datus est caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus eius*, vt ait [3] apostolus. & ipse vocatur *caput ecclesiæ*, Ephes. 5. *& caput corporis ecclesiæ. Petrus*, inquit [4] Gregorius, *primum membrum sanctæ & vniuersalis ecclesiæ. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud sunt, quàm singularum plebium capita, & tamen sub vno capite omnes membra?* Similiter, omnes [5] metropolitani dicuntur *capita episcoporum. Episcopos gentium singularum*, vt est in regulis antiquissimis ecclesiæ, *scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment.* Ita etiam pastores & ductores gregis capita impropriè dici possunt. nihil ergo hæc ad pontificem Romanum, cum nec Petrus propriè fuerit caput, nec ipse vel solus, vel omnino Petro successerit; nec aliqua fere sit similitudo inter corpus mysticum & organicum.

Dicit sextò, *sacerdotium veteris Testamenti fuisse figuram noui, & propterea debere vnum semper esse summum*

2 1 *p.* 1. *q. ar.* 10.

3 *Eph.* 1.

4 *Gregorius lib.* 4. *epist.* 38.

5 *Can. apost.* 35.

sacerdotem Sed primò intelligere debemus non omnia in veteri Testamento fuisse figurata. nam nec templum nunc vnum est, vt olim; nec apparatus nunc templi manet, vt in veteri Testamento. Præterea, vt sacerdos veteris Testamenti figura esset & vmbra; tamen apostolus ostendit [1] Christum, & non pontificem Rom. corpus fuisse. hoc etiam summè facit cōtra Bellar. si omnia essent in veteri Testamēto figurata. nam manente sacerdote in vetere Testamento, nullus ei successit. *Ad Christus in æternum* [2] *manet sacerdos, & perpetuum habet sacerdotium.* nihil est ergo quod eius sacerdotii se successores faciant pontifices Rom. Deinde, summus sacerdos in lege non habuit summum in ecclesia imperium, vt antea demonstratum est. Postremò, nihilo plus ad pontifices Rom. quàm ad alios episcopos pertinet summi sacerdotis in veteri Testamento exemplum.

[1] *Col.* 2. 17.
[2] *Heb.* 7. 23.

Post sex ista argumenta, in supplementum affert omnes illas copias, quibus antea pugnauit regimen ecclesiæ monarchicum esse. sed nihil illæ ad propositum faciunt. nam vt regimen ecclesiæ esset monarchicum; non tamen necesse est pontifices Rom. eius esse monarchas. præterea, nos illas copias iam pridem fudimus, dissipauimus, deleuimus.

Illud solum quoad præsens argumentum dignum est obseruatione; Iebusitam hunc vbi ius diuinum se prolaturum promisit, nec legem vllam, nec verbum vnum ex scripturis, quod pro pontifice faciat, proferre potuisse. Quid, quod nec rationem vllam attulit, quæ vllum habet in scripturis fundamentum? & tamen vos miseri Papistæ, quorum me planè miseret, super hoc debile fundamentum, super hominem infimum, super arenam hanc & cœnum, super satanæ primogenitum fidem vestram ædificabitis, & pontificem Rom. monarcham esse ecclesiæ, de fide esse credetis?

Secundùm, vt dixi, sumit, & non probat, quamuis illud *facilè probari posse* [3] profiteatur. Nam, *quia nullus est, vel fuit, vel habitus est vnquam Petri successor, præter Antiochenum & Romanum pontificem; excluso Antiocheno,*

[3] *Col.* 742.

tiocheno, solum Rom. pontificem debere Petro in monarchia ecclesiæ succedere putat. Sed adeo multa sunt huius argumenti peccata, vt nulla pontificis Rom. indulgentia eis medendis sufficiat. *Primò*, ius nullum diuinum, quod pro pontifice Romano faciat, profertur. at hoc primò & principaliter proferendum erat. *Deinde*, falsum est nullum vnquam fuisse, vel esse Petri successorem, præter episcopum Antiochenum, & Rom. nos enim plures Petro æquè atque istos successisse ostendimus: quibus hîc quædam alia addere adlibuit, quæ ad claues pertinent. *Habent*, inquit [1] Hieronymus, *eandẽ iudiciariam potestatem alii apostoli, habet & omnis ecclesia in episcopis & presbyteris.* quomodo autem habeant, nisi Petro successerint, cui claues promissæ sunt? Hieronymi sententiam [2] probant Strabus & Rabanus. [3] Origenes dicit potestatem soluendi & ligandi cõcessam esse *imitatoribus Petri.* quomodo autem habeant claues & eum imitentur, nisi qui sunt eius successores? Augustinus [4] existimat *columbæ membra* accepisse claues in Petro. *membra enim ecclesiæ peccata tenere aut dimittere posse:* quod futurum non esset, nisi in iure isto Petro succederẽt. Gregorius omnes apostolos putat accepisse potestatem soluendi & ligandi, & hanc potestatem ad eos deriuari, qui eorum exempla simul cum doctrina tenent. *Illi soli*, [5] inquit, *habent in hac carne positi potestatem ligandi & soluendi, sicut sancti apostoli, qui illorum exempla simul cum doctrina tenent.* Quomodo ergo non sint omnes episcopi & presbyteri orthodoxi successores Petri & apostolorum?

[1] *In cap. 16. Matth.*
[2] *Gloss. ordin. in Matt.* 16.
[3] *Hom. 1. in c. 16. Matth.*
[4] *Lib. 5. c. 21. de baptism.*
[5] *Hom. 26. ad c. 20. Io.*

Præterea, vt tantùm Antiochenus vnà cum Romano episcopo Petro succederet; satis tamen hoc est ad euertendum ius successionis, quod pontifices Rom. petunt. nam si plures sunt hæredes & successores; non debent pontifices Rom. vniuersam hæreditatem cernere, & ad se transferre. Imò, maiore hoc iure Antiocheni episcopi vendicare possent, quàm Romani, quia ius primogenitorum semper vberius est. Nec obstat quod Petrus, relicta Antiochia, Romam profectus dicitur. nam ex mutatione loci episcopi ius

ſuum ad alios transferre non poſſunt. ſæpe enim epiſcopi Rom. relicta Roma, peregrè profecti ſunt, & tẽporibus Clementis quinti, Clementis ſexti, & Ioannis viceſimi ſecundi & aliorum ſuccedẽtium pontificum, curia Romana per ſeptuaginta annos Auignione in Gallia hæſit: quo omni tempore tamen dicti ſunt pontifices Rom. cur non ergo Petrus, licèt diſcedens Antiochiâ, cõtinuò diceretur epiſcopus Antiochenus? Narrat quidẽ Marcell⁹ quidã in [1] epiſtola cõmẽtitia, *Domini iuſſu eum, Antiochia relicta, ſedem Romã tranſtuliſſe.* ſed nos iuſſionis huius tabulas exhiberi poſtulamus: iſti autem miſeri Iebuſitæ, licèt alioqui ſatis loquaces, hîc obmuteſcunt. hoc autem magis facient, cum ex recognitionibus Clementis intellexerint, non tantùm epiſcopos Rom. ſed etiam Cæſarienſes & multos alios Petro ſucceſſiſſe, & ab ipſo ordinatos fuiſſe.

[1] *Ad Antiochenos.*

Poſtremò, vt vel Romanus, vel Antiochenus, vel Cæſarienſis, vel, vt ait [2] Gregorius, Alexandrinus, vel, vt nos credimus, omnes pii epiſcopi Petro ſucceſſerint; nemo tamen eorum ius ad vniuerſalem monarchiam haberet. nam hanc nec Petrus habuit, vt nos multis oſtendimus; nec in vniuerſali regimine eccléſiæ vnus aliquis ſucceſſit: quia hoc Apoſtolorum erat commune, & ad vnum aliquem ſingularem hominem non deſcendit. nutat ergo, & niſi ſuccurrant Iebuſitæ, breui ruit pontificatus Rom. quem nullo iure Diuino ſuffulti tyranni illi inuaſerunt.

[2] *Lib. 6. epiſt. 37. ad Eulogium.*

Atque ita abſoluta eſt de Diuino iure, quod iſti pro pontifice ſuo prætendunt, & non proferunt, argumẽtatio. Bellarminus verò alias res agens, è palæſtra Scholaſtica, vbi diſputandum erat, prorumpens, cathedram ſuam magiſtralem aſcendit, & docere nos conatur, *ſucceſſionem Romani pontificis in pontificatum Petri eſſe de fide, & hoc eſſe dogma neceſſariò credendum: & rationem etiam ſucceſſionis eius pertinere ad fidem.* Sed hunc magiſtrum miror non ipſos Iebuſitarum nouitios ridere, vtpote, qui de fide tam magiſtraliter diſputans nullam affert ſcripturam, aut probationem, vnde eius certitudo conſtet. nos ipſum propter frigidam

hanc

hanc & ridiculam disputationem dignissimum censemus, quem duo validi virgatores hinc & hinc assistentes calefaciant plagis. Quid enim, obsecro, minùs theologum decet, quàm fidem sine fundamento tradere? quid absurdius, quàm sine probationibus concludere? quid stultius, aut impudentius, quàm quod in controuersia est, petere? Nos successionem Romani pontificis in ius Petri negamus esse ex institutione Christi. cur ergo non profert verba, aut saltem testes institutionis? Nos etiam negamus hoc esse vel de fide, vel verum. cur ergo non se accinxit, & hoc scripturis demonstrauit, aut saltem probabilibus argumentis? Nos negamus pontificem Romanum aut Diuino, aut humano iure esse caput, aut pastorem ecclesiæ. hic tamen ignauus monachus aculeo misso caput inuoluēs cucullo, ex acie fugit, & se res alias agere simulat. Nos & magna voce clamamus, & firmiter negamus pontificem Rom vel vt Romanum pontificem, vel vllo modo Petro succedere. Hic tamen pugnam detrectans, & aduersariorum conspectum fugiens, ad alia transit. videant ergo aduersarii, vt vel fortiorem bellatorem sibi comparent, vel timidiùs se iactent. Vos autem adolescentuli, quibus Iebusitæ isti ad remp. Christianam in gratiam pontificis turbandam abutuntur, videte quàm infirmis fundamentis nixi in exitium ruitis. Videte, inquam, magistrum vestrum nudum & inermem & ex cathedra, & ex acie fugere. cur non ergo & vos huiusmodi pseudoprophetas, & falsos doctores fugiatis?

Respondetur ad argumenta Bellar. à Conciliorum actis & authoritate ducta. Cap. VI.

IVre Diuino, & omni scripturarum præsidio destitutus Bellarm. ad portum se conciliorum, tanquam ex magna iactatione recipit. Sed neque conciliorum patres eum ad se recipiunt. synodus enim Nicena non ampliorem dat episcopo Romano potestatem, quàm aliis patriarchis, eumque planè ex prouinciis patriarchæ Alexandrini & Antiocheni excludit; vt nos ex testimonio Ruffini, & aliis argumentis ostendimus.

Idem etiam demonstrari potest ex interpretatione [1] Theodori Balsamonis, & [2] Nili Thessalonicensis. Carranza deniq; videns verba pro nobis facere; pro istis verbis, *Quoniam talis episcopo Rom. consuetudo est*, scribendum censuit, *Quoniam metropolitano episcopo talis consuetudo est*.

[1] *In explic. can. Nic.*
[2] *Contra primatum papæ.*

At inquit [3] Bellar. *vera expositio horum verborum est, Alexandrinum debere gubernare illas prouincias, quia Romanus episcopus ita consueuit, id est, quia Romanus episcopus ante omnem concilii diffinitionem consueuit permittere episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Libyæ, & Pentapolis: siue consueuit per Alexandrinum episcopum illas prouincias gubernare.* At nos audacter dicimus hanc expositionem nec veram esse, nec verisimilem, nec omnino stare posse. Quis enim vnquam legit, quod verbū *consueuit*, significet *permisit*? aut, si per *consueuit*, intelligat *consueuit permittere alium gubernare*, quis non videt multa aliena ad verum sensum canonis affingi, quod falsarii isti solent; & hoc loco coacti sunt facere, vt saltem aliquam probabilem rimam euadendi excogitarent?

[3] *Lib. 2. de pont. Rom. c. 13.*

Ruffinus aliter interpretatur hunc canonem. aliter etiam omnes, qui ante Bellar. pro pontificis causa scripserunt. eius autem interpretationem omnes historiæ refellunt. nunquam enim auditum est, episcopum Alexandrinum ex mandato pontificis Rom. suam ecclesiam gubernasse. nullū proferri potest mandatum: nihil eo nomine gestum legitur.

Præterea, si hæc solus pontifex Rom. concederet; ridiculum esset vel Alexandrinum hanc potestatem à concilio petere, & non à pontifice Rom. vel concilium illud concedere. Constat ergo Bellarminum à conscientia sua multum licèt repugnante, obtinuisse, vt ista tam impudenter, & contra apertissimam concilii Niceni sententiam scriberet.

Nec obstat [4] Nicolai papæ testimonium. ipse enim non adeo impudens fuit, vt isto modo sententiam cōcilii peruerteret. Præterea, non multum credendum est siue Nicolao causam suam aduersus Græcos propugnanti, siue alteri alicui parasito, eius nomine præ-

[4] *Epist. ad Michael.*

rogati-

rogatiuam ecclesiæ Rom. falsis aliquot testimoniis defendenti.

Multa præterea Bellarm. confingit falsa, vt concilii Niceni testimonium ad causam suam inflecteret. Primò dicit *Nicenum concilium nihil statuisse circa Romanam ecclesiam.* & rationem addit, *Quoniam potestas eius non ab hominibus, sed à Deo est.* Quorum *primum* refellitur testimonio [2] Ruffini, & Balsamonis, & omnium ferè, qui ea de re scripserunt. Zozimus etiam papa non aliunde, quàm ex decreto concilii Niceni suum ius in concilio Africano probare conatus est; quod ille ridiculè fecisset, si concilium Nicenum nihil de Romana ecclesia statuere posse censuisset. *Secundum* nos multis argumentis iam antea refutauimus. Sed neque opus est argumentis in re tam clara. quid enim afferre possunt aduersarii, vnde potestatem ecclesiæ Rom. à Deo esse confirment? nihil habent ex scripturis, nihil ex patribus, nihil ex actis ecclesiæ: frustraq; pontifices Rom. ex conciliis, ex principum legibus, ex scriptis cõmentitiis præsidium quæsiuissent, si ostendere potuissent regimen suum à Deo manasse.

[2] *Lib.* 10. *hist. eccl. c.* 6.

Obseruat secundò principium canonis deesse in libris vulgatis, & illud tale esse: *ecclesia Rom. semper habuit primatum: mos antiquus perduret,* &c. sed quis non potiùs credat actis concilii, quæ ita legunt hunc canonem, vt nos habemus? Præterea, in [3] concilio Africano sexto, ex Constantinopoli & Alexandria canones allati sunt secũdùm exẽplar, quod vulgò habetur. Testimoniũ etiam nostræ sententiæ præbet Ruffinus, qui nihil habet de hoc primatu. Postremò, in decretis pontificum Rom. canonis verba [4] leguntur eodem planè modo, vt vulgò habentur. Nec obstat quod Paschasinus, aut aliquis falsarius sub eius nomine in cõcilii [5] Chalcedonensis actis Bellarmini exemplar sequitur. Nam non mirum est, si causam agẽs pontificis ea dicat, quæ causam eius maximè promouent. nemo autem vel domesticis testimoniis, vel testibus in propria causa deponentibus credere tenetur. Præterea certum est, concilium Chalcedonense cõtra Paschasi-

[3] *Sub Bonifac.* 1.

[4] *C. mos antiquus, dist.* 65.

[5] *Act.* 16.

eum existimasse, omnes episcopos Petro, & Paulo, & aliis apostolis successisse.

5 *De sacerd. li. 2. in princip.*

Interrogat discipulum (nempe Petrum) inquit [5] Chrysostomus, *magister, si ipsum diligeret: nõ vt ipse disceret: quorsum.n hoc, cũ ille omnium corda inhabitaret? sed vt nos doceret, quantã ipse curã haberet præfectura ouiũ. &* postea: *& Petrũ & omnes nos scire voluit, quantũ ipse diligeret ecclesiam, vt & nos circa ista multam curã adhiberemus.* deinde & se, & omnem fidelem & prudentem seruum inter successores Petri numerat.

1 *De consid. lib. 4.*

Bernardus loquens de mandato Petro dato de pascendis ouib. [1] dicit *euangelizare idem esse quod pascere; & qui facit opus euangelistæ, eum pastoris opus implere.* vnde non est dubiũ, eum sensisse non tantùm Eugenium, sed omnes pastores Petro successisse.

Probatur etiam ratione. nam si Petro soli, & episcopis Rom. munus pastorale cõmissum sit: tum nulli licuit ecclesiã pascere, qui ab aliis apostolis ordinat⁹ est episcopus: maleq; fecerunt Timotheus, Titus, & presbyteri Asiatici, qui a Paulo ordinati munus episcopale in se susceperũt. Præterea, si hoc ita esset, tũ si episcopi Rom. non pascerent oues Christi, quod nunc euenisse videmus, illis fame verbi Dei moriendum esset.

2 *Lib. 2. de pont. Rom. c. 12.*

Sed quid nos hæc operosè probemus, cum fateatur [2] Bellar. *ea quæ Petro dicta sunt ratione officii pastoralis, vt hæc verba:* Pasce oues meas, &, Cõfirma fratres tuos, & Quodcunq; ligaueris: *dicta intelligi omnib. pastorib.* Certe si omnib. dicta sunt; tũ rectè conclusum est, ius successionis Petri omnib. legitimis pastorib esse cõmune, & propterea põtifices Rom. nõ esse ratione successionis Petri ecclesiæ summos rectores. Sed nihil magis nostrã sententiã cõfirmat, quàm languida & eneruata Bellar. disputatio, quæ ostẽdit ipsum vndiq; quęsisse, & nihil tamẽ repisse, quod ruentẽ põtificis dominationẽ suffulciret. qđ quidẽ etsi omnes ex lectione librorum Bellar. intelligere possint; illud tamẽ ex respõsionibus nostris ad singula ipsius argumenta clariùs elucescet.

Respondetur ad argumenta Bellarm. pro pontificis Rom. monarchia ecclesiastica ex iure Diuino, & ratione successionis, CAP. V.

Ponti-

PONtificis Rom. primatum oppugnarunt quidem *Lutherus*, & *Caluinus*, aliique viri boni multi; quod ipsum malè habet. Sed multò erit ei molestius, cum nec à Iebusitarum coryphæo pugnam instaurante se satis defensum viderit. Pollicetur quidem [1] Bellar. *se argumentis ex iure Diuino, & ratione successionis probaturum, pontificem Rom. Petro in pontificatu vniuersæ ecclesiæ successisse.* solet enim se facinora capitalia facturũ polliceri. sed cum ad rem ventum est, nec ius diuinum profert, nec aliquod solidum argumentum.

[1] *Lib. 2. de pontif. Rom. c. 12.*

Debet, inquit ille, *iure Diuino aliquis Petro succedere: at si aliquis, certè pontifex Romanus.* Homo sanè lepidus, qui licèt nullum pro pontifice suo ius Diuinum proferat, gloriatur tamen se ex iure Diuino rem confectum. Respondeo ergo, nec verum esse, *debere aliquẽ iure diuino Petro in vniuersali ecclesiæ regimine succedere*; nec episcopos Rom. aliter Petro, quàm alios episcopos succedere: nisi in hoc fortasse discrimen sit, quod Petrus ecclesiam Rom. fundasse dicitur. Pontificem verò Rom. negamus omnino Petro successisse. Horum primum Bellarm. sex argumentis confirmat. Secundum suo iure sumens, in longam & minimè necessariam disputationem de ratione successionis euagatur; & docet suos nouitios, quid sit asserendum de mirabili isto pontifice, & quatenus ad fidem pertinet, Iebusiticè de pontifice opinari. ita scilicet otiosè res alienas agit, summum illud negotium quod in manib. erat, parum curans.

Primò, ergo dicit, *iure Diuino debere aliquem Petro in vniuersali ecclesiæ regimine succedere, quia pontifex est propter ecclesiam.* Quasi verò etiam apostoli non essent propter ecclesiam, & *patres ecclesiæ*, vt dicunt [2] Hieronymus & Augustinus, cum tamen nunc nulli sint apostoli. nulli præterea nunc sunt prophetæ, licèt illi propter ecclesiam essent. Christus verò maximè erat propter ecclesiam, vtpote vnicus generis humani redemptor, & summus pontifex. ipse tamen in terris nunc amplius nõ versatur. Omnes etiam episcopi, presbyteri, & diaconi sunt propter ecclesiam; non tamen habent summum imperium. Multa etiam quoad

[2] *In Ps. 44.*

res externas decernuntur propter ecclesiam, quorum tamen obseruatio non est necessaria. Etiam Iebusitæ nunc sunt propter synagogam Rom. non tamen merentur aliquem principatum. Postremò, insulse hîc sumit Petrū fuisse totius ecclesię monarchā, quod nullis rationib. euincere potuit. Constat ergo hoc argumentum ex partibus & longè petitis, & male cohærentib.

Dicit *secundò, vt ecclesia sit vna, perpetuò requiri vnum externum gubernatorem.* sed hîc etiam de iure Diuino mirum est silentium. Præterea, falsum sumitur. nam vnitas ecclesię, vtpote corporis mystici, nō in reb. externis cōsistit, sed in Christo, & vinculo Spiritus S. & vnitate doctrinę, & sacramentorū. Apostolus. n. vbi [2] hortatur ad vnitatē, nō aliunde petit argumēta, quā *ab vno corpore, vno spiritu, vna vocationis spe, vno Domino, vna fide, vno baptismo.* Res aūt externæ sæpe mutantur. Rectores ecclesiæ alii occidūt, alii succedūt. leges etiā de obseruationib. diuersis mutātur, & pōtifices Rom. in quib. omnia ponūt Iebusitæ, mortem oppetūt; & sedes eorū quandoq; aliquot menses, quandoq; aliquot annos vacat: quo omni tēpore vna esse nō cessat ecclesia.

[2] *Ephes.* 4.

Dicit *tertiò officiū pastoris semper manere, & esse ordinariū.* Sed quis nō videt inde nō sequi, vnū debere esse totius ecclesiæ monarchā? nam munus pascendi potest à plurib. exerceri. ideo Christus monet, vt rogemus Dominū messis vt mittat operarios in vineā suā. Isti verò, modò pōtifex sibi saluus maneat, de cętero parū laborant: & tamē quod volunt non cōsequuntur. nam moriēte isto suo vno pastore ordinario, cessat, si ipsis credim⁹, pascēdi officiū, & ouib. per istos, mori licet fame.

Dicit *quartò, oues semper esse pascēdas à Petri successorib.* Esto. nihil tamē hoc ad pōtif. Rom. stabiliendā potentiā facit. nam nō pōtifices Rom. sed omnes pii episcopi, vt dictū est, Petro successerūt. talesq; Petri successores, quales erāt Basilius, & Chrysostom⁹, & alii pii episcopi, intelligit [3] Chrysostom⁹. *Leo* dicit *Petrū viuere in successore:* quod gen⁹ loquēdi & Petrus Rauēnas approbat. sed loquūtur illi de episcopis Rō. in quib. Petri vigebat doctrina & probitas, & nō de pōtificib. istis qui à Petri discessēre vestigiis. Præterea, vt multū sibi faue-

[3] *Lib.* 1. *de sacerd.*

aut in causa ppria; nunquã tamen ita putabãt Petrum viuere in episcopis Rom. vt non etiam eos pro successorib. Petri habuerint, qui eius imitabantur fidẽ atq; mores, etiãsi alibi oues Christi pascerẽt, quàm Romæ.

Dicit *quintò ecclesiam esse vnum corpus, & suum habere in terris caput*, quia 1. Cor. 12. dicitur, *non potest caput dicere pedibus, Non estis mihi necessarii.* Sed infirma est omnis ex allegoriis & metaphoris argumentatio, quæ non habet in scripturis certum fundamentum, vt nos ex Augustino, & [2] Thoma Aquinate aliâs ostẽdimus. Hoc etiam ipsum exemplum ab aduersario allatum docet. nam si rectè connectitur, *ecclesiam debere habere vnum caput, quia est vnum corpus*; tum rectè etiam connecteretur, ecclesiam interire, quia corpus interit abscisso capite: quod absurdum est. Præterea, ratio dissimilis est inter corpus Christi, quod est ecclesia, & corpus naturale. ecclesia enim corpus est mysticum, & in multis à corpore naturali discrepat. verba autem Pauli 1. Cor. 12. intelligenda sunt de corpore naturali & organico, & non de mystico. Postremò, nec propriè dicitur Petrus caput ecclesiæ; nec quod Petri erat, necesse est ad pontifices Rom. pertinere. Christus enim *solus datus est caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus eius*, vt ait [3] apostolus. & ipse vocatur *caput ecclesiæ*, Ephes. 5. *& caput corporis ecclesiæ. Petrus*, inquit [4] Gregorius, *primum membrum sanctæ & vniuersalis ecclesiæ. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud sunt, quàm singularum plebium capita, & tamen sub vno capite omnes membra?* Similiter, omnes [5] metropolitani dicuntur *capita episcoporum. Episcopos gentium singularum*, vt est in regulis antiquissimis ecclesiæ, *scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment.* Ita etiam pastores & ductores gregis capita impropriè dici possunt. nihil ergo hæc ad pontificem Romanum, cum nec Petrus propriè fuerit caput, nec ipse vel solus, vel omnino Petro successerit; nec aliqua fere sit similitudo inter corpus mysticum & organicum.

[2] 1 p. 1. q. ar. 10.

[3] Eph. 1.

[4] Gregorius lib. 4. epist. 38.

[5] Can. apost. 35.

Dicit *sextò, sacerdotium veteris Testamenti fuisse figuram noui, & propterea debere vnum semper esse summum*

sacerdotem Sed primò intelligere debemus non omnia in veteri Testamento fuisse figurata. nam nec templum nunc vnum est, vt olim; nec apparatus nunc templi manet, vt in veteri Testamento. Præterea, vt sacerdos veteris Testamenti figura esset & vmbra; tamen apostolus ostendit [1] Christum, & non pontificem Rom. corpus fuisse. hoc etiam summè facit cõtra Bellar. si omnia essent in veteri Testaméto figurata. nam manente sacerdote in vetere Testamento, nullus ei successit. *Ad Christus in æternum* [2] *manet sacerdos, & perpetuum habet sacerdotium.* nihil est ergo quod eius sacerdotii se successores faciant pontifices Rom. Deinde, summus sacerdos in lege non habuit summum in ecclesia imperium, vt antea demonstratum est. Postremò, nihilo plus ad pontifices Rom. quàm ad alios episcopos pertinet summi sacerdotis in veteri Testamento exemplum.

[1] *Col.* 2.17.

[2] *Heb.* 7. 23.

Post sex ista argumenta, in supplementum affert omnes illas copias, quibus antea pugnauit regimen ecclesiæ monarchicum esse. sed nihil illæ ad propositum faciunt. nam vt regimen ecclesiæ esset monarchicum; non tamen necesse est pontifices Rom. eius esse monarchas. præterea, nos illas copias iam pridem fudimus, dissipauimus, deleuimus.

Illud solum quoad præsens argumentum dignum est obseruatione; Iebusitam hunc vbi ius diuinum se prolaturum promisit, nec legem vllam, nec verbum vnum ex scripturis, quod pro pontifice faciat, proferre potuisse. Quid, quod nec rationem vllam attulit, quæ vllum habet in scripturis fundamentum? & tamen vos miseri Papistæ, quorum me planè miseret, super hoc debile fundamentum, super hominem infimum, super arenam hanc & cœnum, super satanæ primogenitum fidem vestram ædificabitis, & pontificem Rom. monarcham esse ecclesiæ, de fide esse credetis?

Secundùm, vt dixi, sumit, & non probat, quamuis illud *facilè probari posse* [3] profiteatur. Nam, *quia nullus est, vel fuit, vel habitus est vnquam Petri successor, præter Antiochenum & Romanum pontificem; excluso Antiocheno,*

[3] *Col.* 742.

tiocheno, solum Rom. pontificem debere Petro in monarchia ecclesiæ succedere putat. Sed adeo multa sunt huius argumenti peccata, vt nulla pontificis Rom. indulgentia eis medendis sufficiat. *Primò*, ius nullum diuinum, quod pro pontifice Romano faciat, profertur. at hoc primò & principaliter proferendum erat. *Deinde*, falsum est nullum vnquam fuisse, vel esse Petri successorem, præter episcopum Antiochenum, & Rom. nos enim plures Petro æquè atque istos successisse ostendimus: quibus hîc quædam alia addere adlibuit, quæ ad claues pertinent. *Habent*, inquit [1] Hieronymus, *eandē iudiciariam potestatem alii apostoli, habet & omnis ecclesia in episcopis & presbyteris.* quomodo autem habeant, nisi Petro successerint, cui claues promissæ sunt? Hieronymi sententiam [2] probant Strabus & Rabanus. [3] Origenes dicit potestatem soluendi & ligandi cōcessam esse *imitatoribus Petri.* quomodo autem habeant claues & eum imitentur, nisi qui sunt eius successores? Augustinus [4] existimat *columbæ membra* accepisse claues in Petro. *membra enim ecclesiæ peccata tenere aut dimittere posse:* quod futurum non esset, nisi in iure isto Petro succederet. Gregorius omnes apostolos putat accepisse potestatem soluendi & ligandi, & hanc potestatem ad eos deriuari, qui eorum exempla simul cum doctrina tenent. *Illi soli,* [5] inquit, *habent in hac carne positi potestatem ligandi & soluendi, sicut sancti apostoli, qui illorum exempla simul cum doctrina tenent.* Quomodo ergo non sint omnes episcopi & presbyteri orthodoxi successores Petri & apostolorum?

[1] *In cap. 16. Matth.*
[2] *Gloss. ordin. in Matt. 16.*
[3] *Hom. 1. in c. 16. Matth.*
[4] *Lib. 5. c. 21. de baptism.*
[5] *Hom. 26. ad c. 20. Io.*

Præterea, vt tantùm Antiochenus vnà cum Romano episcopo Petro succederet; satis tamen hoc est ad euertendum ius successionis, quod pontifices Rom. petunt. nam si plures sunt hæredes & successores; non debent pontifices Rom. vniuersam hæreditatem cernere, & ad se transferre. Imò, maiore hoc iure Antiocheni episcopi vendicare possent, quàm Romani, quia ius primogenitorum semper vberius est. Nec obstat quod Petrus, relicta Antiochia, Romam profectus dicitur. nam ex mutatione loci episcopi ius

suum ad alios transferre non possunt. sæpe enim episcopi Rom. relicta Roma, peregrè profecti sunt, & tẽporibus Clementis quinti, Clementis sexti, & Ioannis vicesimi secundi & aliorum succedẽtium pontificum, curia Romana per septuaginta annos Auignione in Gallia hæsit: quo omni tempore tamen dicti sunt pontifices Rom. cur non ergo Petrus, licèt discedens Antiochiâ, cõtinuò diceretur episcopus Antiochenus? Narrat quidẽ Marcell9 quidã in [1] epistola cõmẽtitia, *Domini iussu eum, Antiochia relicta, sedem Romã transtulisse.* sed nos iussionis huius tabulas exhiberi postulamus: isti autem miseri Iebusitæ, licèt alioqui satis loquaces, hîc obmutescunt. hoc autem magis facient, cum ex recognitionibus Clementis intellexerint, non tantùm episcopos Rom. sed etiam Cæsarienses & multos alios Petro successisse, & ab ipso ordinatos fuisse.

[1] *Ad Antiochenos.*

Postremò, vt vel Romanus, vel Antiochenus, vel Cæsariensis, vel, vt ait [2] Gregorius, Alexandrinus, vel, vt nos credimus, omnes pii episcopi Petro successerint; nemo tamen eorum ius ad vniuersalem monarchiam haberet. nam hanc nec Petrus habuit, vt nos multis ostendimus; nec in vniuersali regimine ecclesiæ vnus aliquis successit: quia hoc Apostolorum erat commune, & ad vnum aliquem singularem hominem non descendit. nutat ergo, & nisi succurrant Iebusitæ, breui ruit pontificatus Rom. quem nullo iure Diuino suffulti tyranni illi inuaserunt.

[2] *Lib. 6. epist. 37. ad Eulogium.*

Atque ita absoluta est de Diuino iure, quod isti pro pontifice suo prætendunt, & non proferunt, argumẽtatio. Bellarminus verò alias res agens, è palæstra Scholastica, vbi disputandum erat, prorumpens, cathedram suam magistralem ascendit, & docere nos conatur, *successionem Romani pontificis in pontificatum Petri esse de fide, & hoc esse dogma necessariò credendum: & rationem etiam successionis eius pertinere ad fidem.* Sed hunc magistrum miror non ipsos Iebusitarum nouitios ridere, vtpote, qui de fide tam magistraliter disputans nullam affert scripturam, aut probationem, vnde eius certitudo constet. nos ipsum propter frigidam

hanc

hanc & ridiculam disputationem dignissimum censemus, quem duo validi virgatores hinc & hinc assistentes calefaciant plagis. Quid enim, obsecro, minùs theologum decet, quàm fidem sine fundamento tradere? quid absurdius, quàm sine probationibus concludere? quid stultius, aut impudentius, quàm quod in controuersia est, petere? Nos successionem Romani pontificis in ius Petri negamus esse ex institutione Christi. cur ergo non profert verba, aut saltem testes institutionis? Nos etiam negamus hoc esse vel de fide, vel verum. cur ergo non se accinxit, & hoc scripturis demonstrauit, aut saltem probabilibus argumentis? Nos negamus pontificem Romanum aut Diuino, aut humano iure esse caput, aut pastorem ecclesiæ. hic tamen ignauus monachus aculeo misso caput inuoluēs cucullo, ex acie fugit, & se res alias agere simulat. Nos & magna voce clamamus, & firmiter negamus pontificem Rom vel vt Romanum pontificem, vel vllo modo Petro succedere. Hic tamen pugnam detrectans, & aduersariorum conspectum fugiens, ad alia transit. videant ergo aduersarii, vt vel fortiorem bellatorem sibi comparent, vel timidiùs se iactent. Vos autem adolescentuli, quibus Iebusitæ isti ad remp. Christianam in gratiam pontificis turbandam abutuntur, videre quàm infirmis fundamentis nixi in exitium ruitis. Videte, inquam, magistrum vestrum nudum & inermem & ex cathedra, & ex acie fugere. cur non ergo & vos huiusmodi pseudoprophetas, & falsos doctores fugiatis?

Respondetur ad argumenta Bellar. à Conciliorum actis & authoritate ducta. CAP. VI.

IVre Diuino, & omni scripturarum præsidio destitutus Bellarm. ad portum se conciliorum, tanquam ex magna iactatione recipit. Sed neque conciliorum patres eum ad se recipiunt. synodus enim Nicena non ampliorem dat episcopo Romano potestatem, quàm aliis patriarchis, eumque planè ex prouinciis patriarchæ Alexandrini & Antiocheni excludit; vt nos ex testimonio Ruffini, & aliis argumentis ostendimus.

Idem etiam demonstrari potest ex interpretatione [1] Theodori Balsamonis, & [2] Nili Thessalonicensis. Carranza deniq; videns verba pro nobis facere; pro istis verbis, *Quoniam talis episcopo Rom. consuetudo est*, scribendum censuit, *Quoniam metropolitano episcopo talis consuetudo est.*

[1] *In explic. can. Nic.*
[2] *Contra primatum papæ.*

At inquit [3] Bellar. *vera expositio horum verborum est, Alexandrinum debere gubernare illas prouincias, quia Romanus episcopus ita consueuit, id est, quia Romanus episcopus ante omnem concilii diffinitionem consueuit permittere episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Libyæ, & Pentapolis: siue consueuit per Alexandrinum episcopum illas prouincias gubernare.* At nos audacter dicimus hanc expositionem nec veram esse, nec verisimilem, nec omnino stare posse. Quis enim vnquam legit, quod verbũ *consueuit*, significet *permisit*? aut, si per *consueuit*, intelligat *consueuit permittere alium gubernare*, quis non videt multa aliena ad verum sensum canonis affingi, quod falsarii isti solent; & hoc loco coacti sunt facere, vt saltem aliquam probabilem rimam euadendi excogitarent?

[3] *Lib. 2. de pont. Rom. c. 13.*

Ruffinus aliter interpretatur hunc canonem. aliter etiam omnes, qui ante Bellar. pro pontificis causa scripserunt. eius autem interpretationem omnes historiæ refellunt. nunquam enim auditum est, episcopum Alexandrinum ex mandato pontificis Rom. suam ecclesiam gubernasse. nullũ proferri potest mandatum: nihil eo nomine gestum legitur.

Præterea, si hæc solus pontifex Rom. concederet; ridiculum esset vel Alexandrinum hanc potestatem à concilio petere, & non à pontifice Rom. vel concilium illud concedere. Constat ergo Bellarminum à conscientia sua multum licèt repugnante, obtinuisse, vt ista tam impudenter, & contra apertissimam concilii Niceni sententiam scriberet.

Nec obstat [4] Nicolai papæ testimonium. ipse enim non adeo impudens fuit, vt isto modo sententiam cõcilii peruerteret. Præterea, non multum credendum est siue Nicolao causam suam aduersus Græcos propugnanti, siue alteri alicui parasito, eius nomine præ-

[4] *Epist. ad Michael.*

rogatiuam ecclesiæ Rom. falsis aliquot testimoniis defendenti.

Multa præterea Bellarm. confingit falsa, vt concilii Niceni testimonium ad causam suam inflecteret. Primò dicit *Nicenum concilium nihil statuisse circa Romanam ecclesiam.* & rationem addit, *Quoniam potestas eius non ab hominibus, sed à Deo est.* Quorum *primum* refellitur testimonio [2] Ruffini, & Balsamonis, & omnium ferè, qui ea de re scripserunt. Zozimus etiam papa non aliunde, quàm ex decreto concilii Niceni suum ius in concilio Africano probare conatus est; quod ille ridiculè fecisset, si concilium Nicenum nihil de Romana ecclesia statuere posse censuisset. *Secundum* nos multis argumentis iam antea refutauimus. Sed neque opus est argumentis in re tam clara. quid enim afferre possunt aduersarii, vnde potestatem ecclesiæ Rom. à Deo esse confirment? nihil habent ex scripturis, nihil ex patribus, nihil ex actis ecclesiæ: frustraq; pontifices Rom. ex conciliis, ex principum legibus, ex scriptis cõmentitiis prçsidium quçsiuissent, si ostendere potuissent regimen suum à Deo manasse.

[2] *Lib.* 10. *hist. eccl. c.* 6.

Obseruat secundò principium canonis deesse in libris vulgatis, & illud tale esse: *ecclesia Rom. semper habuit primatum: mos antiquus perduret*, &c. sed quis non potiùs credat actis concilii, quæ ita legunt hunc canonem, vt nos habemus? Præterea, in [3] concilio Africano sexto, ex Constantinopoli & Alexandria canones allati sunt secũdùm exẽplar, quod vulgò habetur. Testimoniũ etiam nostræ sententiæ præbet Ruffinus, qui nihil habet de hoc primatu. Postremò, in decretis pontificum Rom. canonis verba [4] leguntur eodem planè modo, vt vulgò habentur. Nec obstat quod Paschasinus, aut aliquis falsarius sub eius nomine in cõcilii [5] Chalcedonensis actis Bellarmini exemplar sequitur. Nam non mirum est, si causam agẽs pontificis ea dicat, quæ causam eius maximè promouent. nemo autem vel domesticis testimoniis, vel testibus in propria causa deponentibus credere tenetur. Præterea certum est, concilium Chalcedonense cõtra Paschasi-

[3] *Sub Bonifac.* I.

[4] *C. mos antiquus, dist.* 65.

[5] *Act.* 16.

ni instrumenta pronunciasse; quod ipsa suspectissima reddit.

Dicit etiam *ecclesiam Rom. esse regulam aliarum, & illud ex concilii verbis probari.* Sed nec illud verum est: tantùm enim Alexandrino & Antiocheno sua assignabatur prouincia, quoniam & ecclesia Rom. suam habuisset. nec vt esset illa regula; propterea necesse est eam cæteris præfuisse. exempla enim sequuntur viri illustres hominum sæpe infimorum.

Dicit postremò *nusquam emendatiora haberi concilii Niceni exemplaria, quàm in scriniis pontificum Romanorum.* quod non tantùm falsò, sed etiam impudenter dicitur. cui enim non est audita fraus legatorum pontificiorum, qui ex scriniis pontificum attulêre adulterinum canonem, & apertè eo nomine in synodo Africana sexta conuicti sunt? Præterea, sextum canonem concilii Niceni corruptè allegarunt pontificis legati in concilio Chalcedonensi. hæc enim verba, *Ecclesia Rom. semper habuit primatum*, in sexto canone eius cõ-
[1] *Act.* 16. cilii [1] nusquam reperiuntur, præterquam in adulterino canone ab eis corrupto.

Profert secundò testimonium concilii Constantinopolitani in epistola ad Damasum. *eius enim concilii*
[2] *Theodor.* *patres fateri se* [2] *conuenisse dicit ex mandato pontificis, &*
lib. 5. *c.* 9. *esse se membra ecclesiæ Rom. quæ caput est.* Quo in loco, antequam ea dicam, quæ ad argumentum respondenda censui, non possum non mirari, cum summam hominis impudentiam, qui tot simul mendacia dixit; tum stultitiam, qui tam multa nihil ad propositum facientia testimonia corrasit. Primò falsum est, literas illas scriptas esse ad Damasum tantùm, vt Bellar. significat. Scriptæ sunt enim ad Ambrosium etiam, & alios episcopos Romæ congregatos. Deinde falsum est, patres concilii *agnoscere ecclesiam Rom. esse caput.* néque enim vel Capitis, vel ecclesiæ Rom. mentionem facere videntur. Neque sequitur quia Græci se membra dicunt concilii Rom. propterea esse illam ecclesiam caput. nam *ideo se dicunt conuenisse, ne soli Romani regnarent*, & vt ipsi simul cum Romanis regnarent. Falsum est denique *eos fateri se ex mandato pontificis conuenisse.*

nisse.nam [3] loquitur synodus Constantinopolitana de mandato literarũ concilii Romani, & non solius pontificis. Sed si summa potestas in eo sit, qui concilia indicit; tum vel in concilio erit, quod hoc concilium Constantinopoli [4] indixit per literas ad imperatorem missas, vt disertè dicit Theodoretus; vel in summis principibus. eos enim prima quatuor concilia indixisse constat. De Constantino ita [5] Socrates: *ὁ βασιλεὺς σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότει.* & synodus Ephesina congregata est, *ἐκ θελήματος τῶν αὐτοκρατόρων βασιλέων Θεοδοσίου καὶ οὐαλεντινίου.* & in hoc loco dicunt episcopi [6] cõgregati: *ἡμᾶς προσεκαλήσασθε διὰ τῶν βασιλέως γραμμάτων.* Prçterea, si regnum & imperium erat penes synodum, vt isti patres disertè affirmant; tum non erat penes pontificem Rom.

[3] *Ibidem.*
[4] *Ibidem.*
[5] *Lib.1.Socrat.hist.c.7.*
[6] *Theodoret. hist.lib.5. c.9.*

Tertium testimonium petitum est ex actis concilii Ephesini 1. *Patres enim* Bellar. *ex mandato literarum Celestini papæ Nestorium deposuisse, & hoc ipsos fateri* dicit. Sed nihil ille sine mendacio dicit. neq; enim fatẽtur, se ex mandato Celestini Nestoriũ deposuisse; nec vlla est mandati mentio apud [1] Euagrium, qui historiam vniuersam recitat. neq; vt interpres, vbi in Græco est *κατεπειχθέντες*, verterit compulsi: propterea summa potestas Celestino datur. nam compelluntur, qui vel precibus, vel aliis causis ad aliquid faciendum adigũtur. Quid quod nonnũquam aliqui mandant aliquid fieri, qui potestatem non habent imperandi? hoc sanè certum est, etiam si Celestinus maximè vetuisset, eos tamen Nestorium damnaturos fuisse. nihil ergo in huius concilii actis reperitur, quod famem ambitionis pontificiæ expleat. At nonnulla sunt, quç ipsius monarchiam euertunt. eum enim patres Ephesini *collegam* [2] vocant. at monarchæ collegas non habent. Affert ergo in subsidium Bellarm. aliud argumentum. *Eos enim causam Ioannis Antiocheni Celestino reseruasse, & de eo non ausos esse iudicare* dicit. Sed etiam hoc mendacium est, teste [3] Euagrio. *Cum ter accitus*, inquit ille de Ioanne Antiocheno loquens, *minimè veniret, Cyrillus quidem & Memnon liberantur ab abdicatione: ipse autem suique sacerdotes à sancta communione, & omni authoritate sacerdotali amouentur.*

[1] *Lib. hist. 1. c.4.*
[2] *Ibid.*
[3] *Lib. hist. 1. c.5.*

Quartum testimonium ex synodi Chalcedonensis actis sumitur. asserit enim Bellar. *Leonem ibi passim vocari vniuersalis ecclesiæ pontificē.* Sed leue hoc est. 4 Gregorius enim primus ostendit omnes suos prædecessores titulum hunc repudiasse. Præterea, non tantùm pontifici Rom. sed etiam aliis episcopis hic titulus delatus est. Ioannes Constantinopolitanus hoc nomen sibi sumpsit, & illud episcopis Rom. præripere conatus est. In actione etiam prima synodi Constantinopolitanæ quintæ ista legimus: *Oecumenico patriarchæ Ioanni, patri patrum.* &, *vniuersali episcopo Ioanni sanctus œcumenicus Archiepiscopus & patriarcha Mennas.* 5 Adrianus etiam vocat Tharasium *generalem patriarchã.* Dicimus ergo cum 6 Gregorio, *recedant verba, quæ vanitatem inflant, charitatem vulnerant.*

4 *Lib. 7. epist. 30. ad Eulogium.*
5 *Synod. Nicen. 2. act. 2.*
6 *Lib. 7. epist. 30.*

Præterea, non detulit *Leoni* hoc vocabulum synodus Chalcedonensis, sed vnus aut alter homo leuis. Ad firmandum ergo hoc argumētum, Bellarminus aliud testimonium affert ex eodem concilio, vbi Leoni *Vinea Domini à saluatore commissa dicitur.* Sed nec hoc ex sententia totius concilii dictum videtur, nec aliter commissa fuit *Leoni* vinea Domini, quàm aliis episcopis. omnes enim Domini sunt operarii, & eius vineam colunt.

Quintum testimonium positum est in verbis quibusdam concilii cuiusdã Constantinop. proximè ante synodũ 5 congregati in causa Anthimi. ibi enim Mennas ita loquitur: *nos apostolicam sedem sequimur, & ei obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus; & condemnatos ab ipsa, nos etiã condemnamus.* Sed si huiusmodi argumentis põtificatus obtineri posset, nullus est tam minutus monachus, qui non argumentando fieret Papa. Ad argumentum respondeo, *primò*, verba hæc *Mennæ* esse, & non concilii: *Deinde*, nihil ex verbis istis concludi, quod pro Bellar. causa faciat. sequimur enim benè monentes, & eis obtemperamus & obedimus, etsi nullum eorum in nos imperium agnoscamus. Liberius in epistola ad Athanasium dixit, *se eius mandata indesinenter obiturum*: non tamen erat ei subditus. Præterea, quod concilii huius patres ali-

quos ab episcopo Rom. excōmunicatos nō recipiebāt, non probat eius potestatem. nam ab aliis excommunicatos episcopi Rom. vitare tenebātur. *Seruetur,*[1] inquiunt patres Niceni, *& ista sententia, vt hi qui ab aliis excommunicantur, ab aliis non recipiantur.* [1] *Can. 5.*

Sextum testimoniū ex secūda synodo Nicena haustum est. Sed nec synodus illa, nec ipsius testimonium vllam fidem meretur. nihil enim aliud egit, quàm vt cultum idolorum, & imaginū aduersùs Dei mandata stabiliret. Verùm, vt non vtamur hac exceptione, quid habet synodus ista, vnde aduersarii pontificis sui primatum probent? certè nihil. tantùm enim literę quędam Adriani inter concilii eius commentarios & disiectas schedas reperiuntur, vbi *ecclesiam Rom. appellat primam, & caput omniū ecclesiarum.* Egregium sanè, & Iebusitis dignum testimonium, & cui mirum est non omnes statim cedere. Adrianus enim dicit, & hoc inter actà synodi idololatricæ reperitur: ergo verum est. atq; hæc huius argumenti vis est. Sed non debet hic, qui se Christi vicarium esse iactat, plus sibi tribuere, quàm Christus sibi tribui postulauit. is enim noluit sibi ipsi testimonium perhibere, aut ei credi. Verum vt ipsi Adriano credamus; non tamen hoc totius concilii testimonium est, vt dicit Bellar. sed hominis vnius singularis stultum de ecclesia Rom. præconiū. Præterea, longè aliud est *primatū habere, & caput esse;* & aliud, *toti ecclesiæ praeesse, & monarchicum habere principatum.* nam non tantùm Constantinopolitana ecclesia, verùm etiam Antiochena primatum sibi delatum [2] habuit, & complures episcopi dicuntur primates. Ecclesia deniq; Cōstantinopolitana [3] dicitur *caput ecclesiarum.* Et [4] Antiochia caput orbis. & quid si Adrianus ipse diceretur caput? nonne & *Simon Magus* apud [5] Eusebium dicitur primus erroris author & caput?

[2] *Concil. Constantinop. 1. c. 2.*
[3] *Cod. de episc. l. 24. Constantinopolitana.*
[4] *Chrysost. in ep. ad Antioch.*
[5] *Lib. hist. 2. c. 12.*

Septimum testimonium ex verbis concilii *Lateranensis* sub Innocentio 3. octauum ex Lugdunensis cōcilii actis sub Gregorio 10. nonum à concilii Florētini sub Eugenio authoritate sumtum est. His etiā in supplementum adiungitur concilium Lugdunense sub Innocentio 4. & Viennense sub Clemente 5. & Con-

ſtantienſe ſub Ioanne 23. & Lateranenſe ſub *Leone* 10. & poſtremò, conuenticulum Tridentinum. Sed concilia iſta, ſeu potius hæreticorum conciliabula, non pluris facienda ſunt, quàm concilium illud ſacerdotū & Phariſæorum, quod Ieſum Chriſtū reum eſſe mortis pronuntiauit. Tempore enim horum conciliorum antichriſtus regnum ſuum adeptus erat, & eleuabatur non modò ſupra omnes epiſcopos, & omnes eccleſias, ſed [1] etiam ſupra *omne id quod dicitur Deus; aut quod colitur*. In concilio [2] Lateranenſi dixit epiſcopus quidam, in *Papa omnem eſſe poteſtatem ſupra omnes poteſtates, tam cœli, quàm terræ*. In eodem etiam concilio dixit epiſcopus *Modrùſius* ad *Leonem* papam: *ecce venit Leo de tribu Iudah, radix Dauid.* &, *te Leo beatiſſime ſaluatorem exſpectauimus.* Et in concilio Tridentino Cornelius Bitontinus magna voce clamauit: *Papa lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem.* Innocentius 4. in concilio Lugdunenſi turpiter ſe geſſit. *Indutus*, inquit [3] Matth. Paris, *pontificalibus*, &c. *comparauit quinq; dolores ſuos maximos quinq; vulneribus & plagis crucifixi.* eum tamen legatus imperatoris accuſauit, *quod palàm fouiſſet vſurarios*, & ad concilium aliud prouocauit. Legati Anglorum ei impoſuerunt, quod *per reſeruationes, & alios rapiendi modos ſexaginta millia marcarum ex Anglia annuatim abſtuliſſet.*. Diſcedens demùm Lugduno [4] Hugo Cardinalis, finito hoc bello concilio dixit, *Lugdunenſes multum ſibi & aulæ papali debere. nam cum eò veniſſent primùm, reperiſſe ſe tria aut quatuor lupanaria; nunc autem vnum tantùm reliquiſſe: ſed illud vnum ab occidentali porta ad orientalem durare.* In concilio Conſtantienſi maximi erant meretricum greges, & ex toto orbe, monachorum, & Sodomitarum, & impuriſſimorum hominum colluuies. & ne de reliquis verba facere neceſſe ſit, vnus Ioannes 23. erit inſtar omnium. hunc appellant [5] prælati Conſtantienſes, *vas peccatorum, hominem inuerecundum, impudicum, & vitiis deditum.* eique obiiciunt, *quod Alexandrum 5. veneno ſuſtuliſſet, quod cum vxore fratris ſui, & ſanctis monialibus inceſtum, & ſtupra, & adulteria, & alia incontinentiæ crimina commiſiſſet,*

propter

[1] 2. Theſſ. 2.
[2] Sub Leon. 10.
[3] In Henr. 3. p. 644.
[4] Ibid.
[5] In appendicib. ad concil. Conſtant.

propter quæ ira Dei descendit in filios diffidentiæ. Huiusmodi ergo hominibus testantibus papam esse Christi vicarium, & caput ecclesiæ, & huiusmodi alia; non mirum est si nullus credat: eoq; magis, quod Papas istos, & eis adhærentes hæreticorum greges, impietatum, & scelerum, & grauissimorum criminum conuictos & damnatos videmus.

Respondetur ad tertium Bellar. argumentum pro pontificatu Rom. quod ducitur ab authoritate ipsorum pontificum. Cap. VII.

POst conciliorum dissipatas copias, sequitur vt pōtificum Rom. nouam aciem, quam aduersus nos instruit [1] Bellarm. aggrediamur. Aciem certè imbellem, & ad pompam potiùs, quàm pugnam aptam, & minimè sanè vel ab aduersario producendam, vel à nobis metuendam. Quis enim non impudenter ipsum facere videt, qui pontificibus Rom. in sua causa testantibus & iudicantibus credi postulat? communis enim est [2] iurisconsultorum sententia, *neminem in sua causa esse idoneum iudicem, aut testem.* Prætereа, alias habemus aduersùs has pontificum Rom. cōtra nos productas attestationes, exceptiones. Nam & pontifices Rom. ab orbe Christiano iampridem calumniæ & falsi conuicti sunt, & attestationes quę priscis episcopis Rom. ascriptæ sunt, confictæ esse videntur. plurimæ denique pontificum istorum authoritates causam aduersariorum aut euertunt, aut non probant. Nos autem vestigia Bellarmini persequentes, ad singula, ordine ab ipso proposito, respondebimus.

[1] *Lib. 1 de pont. Rom. c.14.*

[2] *L.1. Cod. ne quis in sua causa iudex. per tot. & ff. de testibus & Dd. ibid.*

Ad *Clementis, Anacleti, Euaristi, Alexandri, Pii, Aniceti, Victoris, Zephyrini, Calixti, Lucii, Marcelli, Eusebii, Melchiadis, & Marci* epistolas à Bellar. notatas, respōdeo *primò*, esse illas adulterinas, & piis viris & episcopis Rom. quorum nomina ferunt, indignissimas. nam hoc & stilus epistolarum arguit, qui vbiq; sibi similis est, & scriptorum, qui illo tempore floruerunt, dissimilis; & epistolarum forma, quæ nō sapit pietatem sanctissimorū illorum martyrum, quorum nomine edun-

tur; & rerum facies in illis literis expressa, cuiusmodi illis temporibus non erat. quæ nos sigillatim alio loco, si Deus dederit, persequemur, vt omnes synagogæ Rom. impudentiam & falsitatem intelligant. Deinde dico, etsi epistolæ istæ commentitiæ sint, & piis episcopis falsò ascriptæ; non ita tamen ingenio & iudicio valuisse illarum authores, quin multa imprudēter contra rem Romani pontificis scripserint: quæ ita sunt notoria & manifesta, vt nec pontificum Rom. aduocatus [3] Bellarm. aut negare *errores in eas irrepisse*, aut affirmare eas indubitatas esse, ausus sit. Quid ergo eas nobis profert? aut cur vtitur testibus dubiis? cur instrumenta producit falsa? num ex fonte erroris se veritatem probaturum putat?

[3] *Col. 752.*

Respondet [1] ille *eas antiquissimas esse. nam & Isidorum earum meminisse, & concilium item Vasense, & Ruffinum.* Sed neque quæ antiqua sunt, eadem semper genuina sunt; neque sunt testes isti antiquitatis illarum epistolarum idonei & sufficiētes. Legimus enim multas epistolas & scripta edita fuisse nomine apostolorum, & aliorum sanctorum virorum, quæ tamen propter manifestas corruptelas & falsitates hæreticorum, inter apocryphas & dubiæ fidei scripturas relata sunt. *Rogatu fratrum meorū*, inquit [2] Dionysius Corinthiorum episcopus, *scripsi epistolas, sed illas Apostoli diaboli alia eximentes, alia interserentes, impleuerunt zizaniis.* Ita etiam fortasse euenit in epistolis episcoporum Rom. & tanto quidem faciliùs, quanto mortuis quam viuis impuniùs illudere licet. multæ etiam sub eorum nominibus postea editæ sunt epistolæ, vt antea diximus. Præterea, nō videtur Ruffinus ille, qui recognitiones Clementis conuertisse dicitur, fuisse Ruffinus aduersùs quem Hieronymus decertauit. nam non tantùm noua [3] nominis additio, sed etiam stili nonnulla diuersitas in horum scriptis homines fuisse diuersos indicat. Verùm vt fuerit genuinus; tamen non adeo antiquus fuit, vt de istis epistolis testimonium perhibere posset. Concilium verò Vasense coactum est diu post Ruffini tempora. Isidorus circa annum Domini sexcentesimum vigesimum floruit.

[1] *Ibid.*

[2] *Apud Euseb. hist. lib. 4. c. 23.*

[3] *In præfat. in recognit. Clement.*

Postremo,

Postremò, concilium [4] Vasense & [5] Ruffinus tantùm meminere vnius epistolæ Clementis ad Iacobum fratrem Domini. isti autem tres edidêre sub eius nomine, quarum duæ ad Iacobum fratrem Domini inscribuntur, qui tamen mortuus est aliquot annos ante earũ rerum euentũ, quæ in his epistolis cõmemorantur. De literis Anacleti, Euaristi, & aliorũ episcoporũ Rom. quas nos falsi postulamus, nihil loquuntur. Sed neq; Isidorus meminit omnium. vnde necesse est, vel Isidoro & Ruffino, & concilii Vasensis patribus testibus, complures earum epistolarum esse commentitias.

[4] *Can. 6.*
[5] *In præfat. ante recogn. Clem.*

Ad testimonia *Adriani* 1. *Nicolai* 1. *Leonis* 9. *Paschalis* nescio quoti, & Innocentii 3. respondeo; Illos, vt pontifices Rom. sedis Rom. prærogatiuas amplificare, & propterea ab illis tanquam ab oratoribus argumenta potiùs, quàm fidem aut religionem tanquam à testibus religiosis quærendam esse. Innocentius impudenter põtificem Rom. tantum imperatori præstare [6] dicit, quantum sol lunæ. [7] Nicolaus omnibus vndique quæsitis argumentis pontificis Rom. dignitatem amplificat, & eum pro Deo habendum scribit, vtpote *qui à Constantino Deus dictus est.* reliqui etiam nihil sibi ad summam impudentiam faciunt reliqui. quis ergo nõ istos, velut antichristos, & hostes religionis Christianæ abominetur, potiùs, quàm vt testes audiat?

[6] *c. solita. de major. & obed.*
[7] *In epist. ad Michaelem.*

At, inquit Bellar. *si isti eo tempore in Antichristi sede regnarũt, necesse est totam ecclesiam ab annis ferè mille periisse; constare enim ex historiis ecclesiam vniuersam his pontificibus adhæsisse.* Respondeo, istos verè in throno antichristi tum sedere cœpisse, licèt ille homo impietatis non ante patrum, aut auorum nostrorum memoriam plenè reuelatus esset. Eo enim tempore, debellatis & occidentis & orientis imperatoribus, grassari in Christi gregem, & se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, eleuare cœperũt: vt ex Nicolai 1. & Innocentii 3. epistola constat. Neq; tamen necesse est *propterea ecclesiam ab annis ferè mille periisse.* nam vt illi nũquam fuissent, vel pestẽ cùm maximo cruciatu oppetiissent; ecclesia tamen Dei semper mansisset,

vtpote *superstructa super fundamentum apostolorum & prophetarum, in Christo Iesu lapide angulari.* Imò, multò magis ecclesia floruisset, & propagata esset, quia illi doctrina sua ad idololatriam & impietatem multos abduxerunt, & exemplis pessimis mores hominum corruperunt.

Nunquam autem ita defecêre à veritate homines Christiani, quin multi antichristi regno repugnarint. Aduersus Adrianum I. & cultum imaginum fortiter pugnauit synodus Françofurtiana, & maxima pars & occidentis & orientis, quæ cultum imaginum recipere noluit. Cum Nicolao I. certarunt orientales ecclesiæ, & superiores euaserunt: nihil enim insulsius cogitari potest, quàm omnis eius pro suo primatu disputatio. *Leo* 9. in concilio Vercellensi aduersarium habuit Berengarium, & dum nouum transubstantiationis commentum stabilire conatur, infinitos alios. Dissensêre etiam ab eo orientales, vt ex epistolis ipsius colligitur. Idem dum Hildebrandi, hominis nequissimi cōcilium [1] sequitur, aduersus imperatorem, cuius beneficio pontificatum adeptus est, calcaneum suum leuauit. retinuit tamen in electionib. pontificū Rom. imperator ius suum. *Fecerant vitia quorundam pontificum*, inquit [2] Platina, *vt meritò ipsi clero sublata potestas videretur Dei iudicio, quò in melius eorum mentes flagitiis contaminatæ aliquando verterentur, ne Christiana resp. malis rectoribus commissa pessundaretur.* Aduersùs Paschalem 2. cuius ea videtur epistola, quę ad episcopum [3] Panormitanum scripta est, pugnarunt Germani, eumque Græci contempserunt. Etiam Siculi [4] mirati sunt eius superbiam. Cum *Innocentio* 3. præter Græcos & Asiaticos, pugnarunt Galli & Germani. Gloriantur [5] Papistæ, ipsius auspiciis centum millia Albigensium cæsa fuisse. Minatus est præterea Innocētius, aut se mitram amissurum, aut diadema Philippo imperatori erepturum. Multa deniq; ille in Lateranensi concilio statuit noua, & ecclesiæ antiquæ repugnātia, quę omnia ostēdunt ecclesiæ maximam & optimam partem ab istis pontificulis dissensisse; eosque licèt ecclesiæ mores & doctrinam magna ex parte labefactassent,

1 *Plat. in vita Leon. 9.*
2 *Ibid.*
3 *c. significasti. de elect. & electi potest.*
4 *Arguitur ex cap. significasti. eod. tit.*
5 *Bellar. lib. de not. eccles. & Paul. Æmil.*

sent, aduersus eam tamen omninò non præualuisse. his ergo velut regni antichristi principatum tenentib. nulla fides adhibenda est.

Sed neq; vel Iulio, vel Damaso, vel *Syricio*, vel aliis pontificib. Rom. à Bellar. citatis, in causa sua deponẽtibus credendum est. *Dominus ipse docet & dicit*, inquit [1] Cyprianus, *testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis existat*, eò quod *vnusquisque vtique sibi fauet, nec contra se aliquis infesta & aduersa depromit: fides verò sincera est veritatis, si in prædicationibus nostris alius sit prædicator & testis.* Neq; aliud dicit Cyprianus, quàm quod ipse Dominus noster priùs dixerat. *Si testimonium*, [2] inquit seruator noster, *dixero de me, testimonium meum non est verum: alius est enim qui testis est de me.* Hæc etiam communis est, vt antea diximus, iurisconsultorum sententia. Verùm vt istam hoc tempore missam faciamus exceptionẽ; testimonia hæc pontificũ Rom. aut corrupta sunt, aut sanè nihil contra nos faciunt, aut deniq; plus obsunt aduersariis, quàm prosunt. Iulii [3] epistola ad oriẽtales, manifestas habet notas falsitatis. nam præterquã quod duos canones adulterinos ex synodo Nicena citat, quos glossa ad marginem fatetur nunc non haberi inter acta eius synodi; nec stilus illius epistolæ illis temporib. nec illa dicendi ratio tam docto episcopo, nec tam insignis arrogantia tam sancto viro conueniebat. Huius cõmentitiæ epistolæ author edictiones & sanctiones habet basilicas cõtra episcopos orientales. at verũ Iulium constat ab eis *literis aliquid petiisse, & nihil* [4] *profecisse.* Falsarius ille dicit *Romanam ecclesiã Domini voce esse prælatam cæteris omnibus*, & ad *pontifices tantùm Rom. spectare episcoporum damnationem*: at in genuinis Iulii literis, nihil eius habetur. imò dicit [5] Sozomenus ipsum Iulium ab orientalib. *episcopis excommunicatum & abdicatum fuisse.*

Epistola etiam illa, quæ inter Athanasii opera irrepsit, adulterina est: & præterea contra Bellar. plurimũ facit. nam ex *consuetudine*, & non ex iure diuino dicit processisse, *vt primũ ad episcopos Rom. scriberetur, & quod iustum esset, inde definiretur.* Præterea, in concilio, & non in se summam esse potestatem significat. multum

[1] *Lib. 4. ep. 9.*

[2] *Ioan. 5.*

[3] *Extat tom. concil. 1. apud Petr. Crabb.*

[4] *Sozom. hist. lib. 3. c. 9*

[5] *Ibid. c. 10.*

[1] Col. 753. ergo falsus est [1] Bellar. qui hanc Iulii *epistolam certam esse*, dicit, & inde primatum probari putat.

[2] Lib. 5. c. 10. Damasus apud [2] Theodoretum debitam *sibi ab episcopis orientalibus reuerentiã exhibitam agnoscit, & eos filios vocat.* Quid ergo? num propterea monarcha fuit, & summus moderator totius ecclesiæ? nihil sanè minus. nam & in ea epistola, nihil se nisi ex synodi sentẽtia contra Timotheũ fecisse significat. Reuerentiam autẽ omnes episcopi mutuã sibi inuicem debẽt: & ipsa virtus, & doctrina, & pietas reuerentiã cõciliat. Senes præterea & maiores natu, ad amicos scribentes, filios eos salutare solent. Quicquid deniq; ipse de se existimauit, [3] patres Synodi Constantinopolitanæ nõ minorem sibi sumunt, quàm ipsi detulerãt potestatem. ipsi enim de religione statuta ediderunt, & se vnà cum synodo Rom. *regnare* in ecclesia significarunt.

[3] Ibid. c. 9.

Epistola autem Damasi quarta, quæ ad episcopos Numidię scripta est, supposititia est. stilus enim & character dicẽdi vnus est, & huius & reliquarum epistolarum, quæ sub nominibus episcoporum Rom. in conciliorum tomis reperiuntur, multũ sanè à forma dicendi eorum temporum diuersus. Præterea, magis imperiosa est, quàm pro illorũ temporum ratione. [4] Præcipit enim Numidis & Afris, *vt decretalia sua, & cunctorum decessorum suorum constituta seruent: contrà euntibus veniã denegãdam* minatur. at certum est ecclesias Africanas nec appellationes ad episcopos Rom. fieri [5] permisisse, nec legem ab eis accepisse. Quædam etiam in adulterina hac epistola falsa habentur; quædam imperitè, & indoctè disputantur. Asserit *ecclesias Africanas ab ecclesia Rom. institutionem* accepisse. sed [6] Augustinus *ab aliis terris, & non à Romana ecclesia euangelium in Africam venisse* scribit. Dicit idem *chore apud Græcos significare villam*; & inde probat; *duos tantùm esse ordines in ecclesia, scilicet episcopos & presbyteros; quia dicit Apostolus, fundamentum aliud neminem posse ponere, præter id quod positum est, & quia prædicta duo fundamenta in ecclesia tantùm inueniuntur posita*: quę Damasus, quem non indoctum fuisse ferunt, nunquam scripturus videtur.

[4] In fine ep. 4. ad episc. Numid.

[5] Concil. Afric. 6. c. 89. & 82.

[6] Epist. 162.

Syricius

Syricius nuptias sacerdotum publico suo decreto aut primus, aut inter primos damnasse videtur. vtrum tamen epistola illa quæ eius nomine ad Himericum episcopum *Tarraconensem* scripta fertur, genuina sit, & incorrupta, meritò dubitari potest. Tempore enim Syricii, Arrianum dogma in Hispaniam subingressum non videtur. hoc .n. Gothi, qui post Syricii tempora Hispaniam subiugarunt, intulerunt. At huius epistolæ author Arrianos non tantùm palàm grassatos esse in Hispania, sed etiam iam deficere cœpisse indicat. Præterea, temporibus Syricii monastica vita per Hispaniam radices non egerat huius autem epistolæ [1] author vitam monasticam in Hispania certis legibus firmatam fuisse docet. Syricii etiam temporib. afflictæ erant res pontificum Rom. & tenues facultates. at huius epistolæ author mandat, leges præscribit, constitutionesque suas *absque omni excusatione seruari* postulat, quasi iam pontifices Rom. dictatoriam potestatem adepti fuissent.

[1] *c. 5. & 6.*

Præterea, epistolæ stilus insulsus est; constitutiones autem nimis iniquæ. [2] dicit *Petrum in se portare onera omnium, qui grauantur. hæc*, inquit ille, *portat in nobis beatus Apostolus Petrus.* At Petrus nec portat omnium onera, nec in aliquo dici potest onus portare, cum summa iam pace fruatur, & Dei faciem videns beatus sit, à molestiis huius vitæ omnibus liberatus. Se *Petri* prædicat esse *hæredem.* at hæredes nulli sunt, nisi qui proximè succedunt, & ius suum docere possunt. Apostatis & idololatris, licèt resipiscant, *non nisi in vltimo fine* reconciliationem indulgendam [3] censet. coniugia post continentiæ professionem, non aliter habet, *quàm* [4] *obscænas cupiditates; eosque qui vxores ducunt canes & sues ad vomitus pristinos, & volutabra pristina redeuntes*, & [5] *sectatores libidinum & vitiorum præceptores* appellat. Tumet, iactat se, edicit, imperat, minatur. nonnunquam denique contra ecclesiæ Rom. morem decernit. nam [6] *hypodiaconis coniugia* permittit: & monachis lapsis, nisi sub finem vitæ, veniam non [7] concedit.

[2] *In præfat. epist.*
[3] *Cap. 3.*
[4] *C. 4.*
[5] *C. 7.*
[6] *C. 9.*
[7] *C. 6.*

Verùm vt genuina esset hæc epistola, & ipse Syricius

testis esset idoneus; tamen non inde probatur pontificem Rom. esse ecclesię totius monarcham. Nam aliud est Hispanicis ecclesiis præesse, aliud vniuersæ ecclesiæ; aliud consulenti rescribere, aliud pro imperio iubere; aliud portare onera omnium qui grauantur; aliud grauia onera eis imponere & alligare. Paulo

7 2. Cor. 11. 7 incubuit *solicitudo omnium ecclesiarum.* ipse tamen non erat solus ecclesiæ imperator. Aliud est *caput esse*, & Petri in ecclesiæ administratione successorem; aliud ecclesiæ esse Dominum. ipse denique Syricius episcopos Hispaniæ coepiscopos appellare non dedignatur. at summi rectores non admittunt imperii socios.

8 *Ad Hesych. Salonitanũ.* Supposititia etiam videtur epistola [8] Zozimi. neque enim temporibus eius tanta erat pontificum Roman. potentia, vt alios episcopos de suo gradu pro arbitratu suo deiicere possent: quòd tamẽ hic Zozimus se facturũ minatur. Nã licèt ex corrupto cõcilio *Niceno* appellationes ad se ex Africa faciẽdas esse ꝓbaret; in concilio tamẽ Africano auditus nõ est; tantũ abest, vt quidnis statuere posset. Præterea, nec ea temporib. illis seruabatur in sacris ordinibus distinctio, quam iste subdititius Zozimus narrat; nec tales erant illorum temporum monachi, quales iste prædicat. Postremò, interdicit Zozimus iste monachis ad sacerdotium accedere: at hoc Syricius 9 antè licitum esse pronuntiarat.

9 *In epist. ad Himericum.*

Verùm vt hac in re Bellarm. gratificaremur, & hanc epistolam genuinam esse concederemus; vnde, quæso, probatur summus episcopi Romani pontificatus? num quia mandat literas suas ad alios transmitti? at hoc amici amicis, & socii collegis suis mandare solent. num quia minatur se *gradu eos moturum, qui mandata sua negligerent*? at hoc & illi faciunt, qui non possunt, & qui cum aliis possunt, ad monarchiam sapè pontificis probandam ista parum valent: quod ex eo etiam liquet, quòd Zozimus iste alios episcopos coepiscopos & fratres appellat, & episcopatum summum esse pontificatum significat. Bellar. autem pro *coepiscoporum* scripsit *episcoporum*, ne testis suus quicquam contra se testatus videretur.

In-

Innocētium primum putamus virum fuisse bonum & doctum. sed & virorum bonorum & doctorum nomine confingi solēt epistolæ nec bonę, nec satis eruditæ: quod & huic Innocentio contigit, & ex epistolis ad episcopos Macedonianos & ad concilium Mileuitanum, & Carthaginense eius nomine scriptis facilè deprehenditur: stilus enim planè barbarus est, & modus loquendi in illis epistolis à temporibus Innocētii primi alienissimus. *Magna,*[1] inquit, *me gratulatio habuit; & portitor literarum ex illis partibus ad nos vsque directus.* & [2] in epistola ad cōcilium Mileuitanum dicit, *omnes fratres quoties fidei ratio ventilatur, nōn nisi ad Petrum referre debere;* quod nouum habet sensum. Præterea, edictiones illæ dictatoriæ, quæ in epistola 22. habentur, Innocentium, & episcoporum Rom. qui circa illa tempora vixerunt, statum humilem non decebant. neque enim potuit ille solus leges ferre, aut malis in ecclesia tum grassantibus mederi: nam hoc ad cōcilium pertinere docet. Imò nec synodum cogere [3] potuit; sed hoc ab Archadio & Honorio per legatos petiit. Tertiò, epistolæ illius ad episcopos Macedonianos author, non modò contra illorum temporum mores & rationem leges [4] statuit de digamis & maritis viduarum; sed etiam contra morem ecclesię Rom. de ordinatis ab hæreticis: hos enim dicit nulliter [5] ordinatos. contrà autem docet [6] magister sententiarum, cuius opinionem nunc vulgò sequuntur. Quartò, non est verisimile episcopum Rom. subditis episcopi Constantinopolitani & Alexandrini, temporibus Innocētii primi, decretales epistolas scripsisse; quid enim ad episcopum Rom. pertinent episcopi extra fines positi episcopatus Romani? Quintò, author harum epistolarum falsa scripsit. Dicit enim *se omnium ecclesiarum curam habere, & ad omnes responsa dare, & non nisi ad ecclesiam Rom. ecclesias controuersias suas de fide referre debere, & eam caput* [8] *esse, & fontem ecclesiarum omnium;* cum tamen omnes norint in concilio Mileuitano appellationes ad episcopum Rom. interdictas; & [9] Augustinus euangelium in Africam Hierosolymis, & non Româ venisse ostendat; & ecclesiasticæ historiæ doce-

1 *In epist. 22. ad episcop. Macedon.*

2 *Epist. 93. inter epist. August.*

3 Sozom. *lib.* 8. *c.* 28.

4 C. 1. & 2.

5 C. 3.

6 *Lib sent.* 4. *dist.* 25. §. 1.

7 *Epist. 93. inter epist. August.*

8 *Epist. 91.*

9 *In Ep. 162.*

stantiense sub Ioanne 23. & Lateranense sub *Leone* 10. & postremò, conuenticulum Tridentinum. Sed concilia ista, seu potius hæreticorum conciliabula, non pluris facienda sunt, quàm concilium illud sacerdotũ & Pharisæorum, quod Iesum Christũ reum esse mortis pronuntiauit. Tempore enim horum conciliorum antichristus regnum suum adeptus erat, & eleuabatur non modò supra omnes episcopos, & omnes ecclesias, sed [1] etiam supra *omne id quod dicitur Deus, aut quod colitur.* In concilio [2] Lateranensi dixit episcopus quidam, in *Papa omnem esse potestatem supra omnes potestates, tam cœli, quàm terræ.* In eodem etiam concilio dixit episcopus *Modrusius* ad *Leonem* papam: *ecce venit Leo de tribu Iudah, radix Dauid.* &, *te Leo beatissime saluatorem exspectauimus.* Et in concilio Tridentino Cornelius Bitontinus magna voce clamauit: *Papa lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem.* Innocentius 4. in concilio Lugdunensi turpiter se gessit. *Indutus*, inquit [3] Matth. Paris, *pontificalibus*, &c. *comparauit quinq; dolores suos maximos quinq; vulneribus & plagis crucifixi.* cum tamen legatus imperatoris accusauit, *quod palàm fouisset vsurarios*, & ad concilium aliud prouocauit. Legati Anglorum ei imposuerunt, quod *per reseruationes, & alios rapiendi modos sexaginta millia marcarum ex Anglia annuatim abstulisset.* Discedens demùm Lugduno [4] Hugo Cardinalis, finito hoc bello concilio dixit, *Lugdunenses multum sibi & aulæ papali debere. nam cum eò venissent primùm, reperisse se tria aut quatuor lupanaria, nunc autem vnum tantùm reliquisse: sed illud vnum ab occidentali porta ad orientalem durare.* In concilio Constantiensi maximi erant meretricum greges, & ex toto orbe, monachorum, & Sodomitarum, & impurissimorum hominum colluuies. & ne de reliquis verba facere necesse sit, vnus Ioannes 23. erit instar omnium. hunc appellant [5] prælati Constantienses, *vas peccatorum, hominem inuerecundum, impudicum, & vitiis deditum*: eique obiiciunt, *quod Alexandrum 5. veneno sustulisset, quod cum vxore fratris sui, & sanctis monialibus incestum, & stupra, & adulteria, & alia incontinentiæ crimina commisisset*

propter

[1] 2. Thess. 2.
[2] Sub Leon. 10.
[3] In Henr. 3. p. 644.
[4] Ibid.
[5] In appendicib. ad concil. Constant.

propter quæ ira Dei descendit in filios diffidentiæ. Huiusmodi ergo hominibus testantibus papam esse Christi vicarium, & caput ecclesiæ, & huiusmodi alia, non mirum est si nullus credat: eoq; magis, quod Papas istos, & eis adhærentes hæreticorum greges, impietatum, & scelerum, & grauissimorum criminum conuictos & damnatos videmus.

Respondetur ad tertium Bellar. argumentum pro pontificatu Rom. quod ducitur ab authoritate ipsorum pontificum. CAP. VII.

POst conciliorum dissipatas copias, sequitur vt pōtificum Rom. nouam aciem, quam aduersus nos instruit [1] Bellarm. aggrediamur. Aciem certè imbellem, & ad pompam potiùs, quàm pugnam aptam, & minimè sanè vel ab aduersario producendam, vel à nobis metuendam. Quis enim non impudenter ipsum facere videt, qui pontificibus Rom. in sua causa testantibus & iudicantibus credi postulat? communis enim est [2] iurisconsultorum sententia, *neminem in sua causa esse idoneum iudicem, aut testem.* Prætetea, alias habemus aduersùs has pontificum Rom. cōtra nos productas attestationes, exceptiones. Nam & pontifices Rom. ab orbe Christiano iampridem calumniæ & falsi conuicti sunt, & attestationes quę priscis episcopis Rom. ascriptæ sunt, confictæ esse videntur. plurimæ denique pontificum istorum authoritates causam aduersariorum aut euertunt, aut non probant. Nos autem vestigia Bellarmini persequentes, ad singula, ordine ab ipso proposito, respondebimus.

[1] *Lib. 1 de pont. Rom. c. 14.*

[2] *L. 1. Cod. ne quis in sua causa iudex. per tot. & ff. de testibus & Dd. ibid.*

Ad *Clementis, Anacleti, Euaristi, Alexandri, Pii, Aniceti, Victoris, Zephyrini, Calixti, Lucii, Marcelli, Eusebii, Melchiadis, & Marci* epistolas à Bellar. notatas, respōdeo *primò*, esse illas adulterinas, & piis viris & episcopis Rom. quorum nomina ferunt, indignissimas. nam hoc & stilus epistolarum arguit, qui vbiq; sibi similis est, & scriptorum, qui illo tempore floruerunt, dissimilis; & epistolarum forma, quæ nō sapit pietatem sanctissimorū illorum martyrum, quorum nomine edun-

tur; & rerum facies in illis literis expressa, cuiusmodi illis temporibus non erat. quæ nos sigillatim alio loco, si Deus dederit, persequemur, vt omnes synagogæ Rom. impudentiam & falsitatem intelligant. Deinde dico, etsi epistolæ istæ commentitiæ sint, & piis episcopis falsò ascriptæ; non ita tamen ingenio & iudicio valuisse illarum authores, quin multa imprudẽter contra rem Romani pontificis scripserint: quæ ita sunt notoria & manifesta, vt nec pontificum Rom. aduocatus [3] Bellarm. aut negare *errores in eas irrepisse*, aut affirmare eas indubitatas esse, ausus sit. Quid ergo eas nobis profert? aut cur vtitur testibus dubiis? cur instrumenta producit falsa? num ex fonte erroris se veritatem probaturum putat?

[3] *Col.* 752.

Respondet [1] ille *eas antiquissimas esse. nam & Isidorum earum meminisse, & concilium item Vasense, & Ruffinum.* Sed neque quæ antiqua sunt, eadem semper genuina sunt; neque sunt testes isti antiquitatis illarum epistolarum idonei & sufficiẽtes. Legimus enim multas epistolas & scripta edita fuisse nomine apostolorum, & aliorum sanctorum virorum, quæ tamen propter manifestas corruptelas & falsitates hæreticorum, inter apocryphas & dubiæ fidei scripturas relata sunt. *Rogatu fratrum meorũ*, inquit [2] Dionysius Corinthiorum episcopus, *scripsi epistolas, sed illas Apostoli diaboli alia eximentes, alia interserentes, impleuerunt zizaniis.* Ita etiam fortasse euenit in epistolis episcoporum Rom. & tanto quidem faciliùs, quanto mortuis quam viuis impuniùs illudere licet. multæ etiam sub eorum nominibus postea editæ sunt epistolæ, vt antea diximus. Præterea, nõ videtur Ruffinus ille, qui recognitiones Clementis conuertisse dicitur, fuisse Ruffinus aduersùs quem Hieronymus decertauit. nam non tantùm noua [3] nominis additio, sed etiam stili nonnulla diuersitas in horum scriptis homines fuisse diuersos indicat. Verùm vt fuerit genuinus; tamen non adeo antiquus fuit, vt de istis epistolis testimonium perhibere posset. Concilium verò Vasense coactum est diu post Ruffini tempora. Isidorus circa annum Domini sexcentesimum vigesimum floruit.

[1] *Ibid.*

[2] *Apud Euseb. hist. lib.* 4. *c.* 23.

[3] *In præfat. in recognit. Clement.*

Postremo,

Postremò, concilium [4] Vasense & [5] Ruffinus tantùm meminere vnius epistolæ Clementis ad Iacobum fratrem Domini. isti autem tres edidêre sub eius nomine, quarum duæ ad Iacobum fratrem Domini inscribuntur, qui tamen mortuus est aliquot annos ante earũ rerum euentũ, quæ in his epistolis cõmemorantur. De literis Anacleti, Euaristi, & aliorũ episcoporũ Rom. quas nos falsi postulamus, nihil loquuntur. Sed neq; Isidorus meminit omnium. vnde necesse est, vel Isidoro & Ruffino, & concilii Vasensis patribus testibus, complures earum epistolarum esse commentitias.

[4] *Can. 6.*
[5] *In præfat. ante recogn. Clem.*

Ad testimonia *Adriani* 1. *Nicolai* 1. *Leonis* 9. *Paschalis* nescio quoti, & Innocentii 3. respondeo; Illos, vt pontifices Rom. sedis Rom. prærogatiuas amplificare, & propterea ab illis tanquam ab oratoribus argumenta potiùs, quàm fidem aut religionem tanquam à testibus religiosis quærendam esse. Innocentius impudenter põtificem Rom. tantum imperatori præstare [6] dicit, quantum sol lunæ. [7] Nicolaus omnibus vndique quæsitis argumentis pontificis Rom. dignitatem amplificat, & eum pro Deo habendum scribit, vtpote *qui à Constantino Deus dictus est.* reliqui etiam nihil sibi ad summam impudentiam faciunt reliqui. quis ergo nõ istos, velut antichristos, & hostes religionis Christianæ abominetur, potiùs, quàm vt testes audiat?

[6] *c. solita. de major. & obed.*
[7] *In epist. ad Michaelem.*

At, inquit Bellar. *si isti eo tempore in Antichristi sede regnarũt, necesse est totam ecclesiam ab annis ferè mille periisse; constare enim ex historiis ecclesiam vniuersam his pontificibus adhæsisse.* Respondeo, istos verè in throno antichristi tum sedere cœpisse, licèt ille homo impietatis non ante patrum, aut auorum nostrorum memoriam plenè reuelatus esset. Eo enim tempore, debellatis & occidentis & orientis imperatoribus, grassari in Christi gregem, & se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, eleuare cœperũt: vt ex Nicolai 1. & Innocentii 3. epistola constat. Neq; tamen necesse est *propterea ecclesiam ab annis ferè mille periisse.* nam vt illi nũquam fuissent, vel pestẽ cum maximo cruciatu oppetiissent; ecclesia tamen Dei semper mansisset,

vtpote *superstructa super fundamentum apostolorum & prophetarum, in Christo Iesu lapide angulari.* Imò, multò magis ecclesia floruisset, & propagata esset, quia illi doctrina sua ad idololatriam & impietatem multos abduxerunt, & exemplis pessimis mores hominum corruperunt.

Nunquam autem ita defecêre à veritate homines Christiani, quin multi antichristi regno repugnarint. Aduersus Adrianum I. & cultum imaginum fortiter pugnauit synodus Françofurtiana, & maxima pars & occidentis & orientis, quæ cultum imaginum recipere noluit. Cum Nicolao I. certarunt orientales ecclesiæ, & superiores euaserunt: nihil enim insulsius cogitari potest, quàm omnis eius pro suo primatu disputatio. *Leo* 9. in concilio Vercellensi aduersarium habuit Berengarium, & dum nouum transubstantiationis commentum stabilire conatur, infinitos alios. Dissensêre etiam ab eo orientales, vt ex epistolis ipsius colligitur. Idem dum Hildebrandi, hominis nequissimi cõcilium [1] sequitur, aduersus imperatorem, cuius beneficio pontificatum adeptus est, calcaneum suum leuauit. retinuit tamen in electionib. pontificũ Rom. imperator ius suum. *Fecerant vitia quorundam pontificum*, inquit [2] Platina, *vt meritò ipsi clero sublata potestas videretur Dei iudicio, quò in melius eorum mentes flagitiis contaminatæ aliquando verterentur, ne Christiana resp. malis rectoribus commissa pessundaretur.* Aduersùs Paschalem 2. cuius ea videtur epistola, quę ad episcopum [3] Panormitanum scripta est, pugnarunt Germani, eumque Græci contempserunt. Etiam Siculi [4] mirati sunt eius superbiam. Cum *Innocentio* 3. præter Græcos & Asiaticos, pugnarunt Galli & Germani. Gloriantur [5] Papistæ, ipsius auspiciis centum millia Albigensium cæsa fuisse. Minatus est præterea Innocẽtius, aut se mitram amissurum, aut diadema Philippo imperatori erepturum. Multa deniq; ille in Lateranensi concilio statuit noua, & ecclesiæ antiquæ repugnãtia, quę omnia ostẽdunt ecclesiæ maximam & optimam partem ab istis pontificulis dissensisse; eosque licèt ecclesiæ mores & doctrinam magna ex parte labefactassent,

1 *Plat. in vita Leon. 9.*

2 *Ibid.*

3 *c. significasti. de elect. & electi potest.*

4 *Arguitur ex cap. significasti. eod. tit.*

5 *Bellar. lib. de not. eccles. & Paul. Æmil.*

sent, aduersus eam tamen omninò non præualuisse. his ergo velut regni antichristi principatum tenentib. nulla fides adhibenda est.

Sed neq; vel Iulio, vel Damaso, vel *Syricio*, vel aliis pontificib. Rom. à Bellar. citatis, in causa sua deponẽtibus credendum est. *Dominus ipse docet & dicit*, inquit [1] Cyprianus, *testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis existat*, eò quod *vnusquisque vtique sibi fauet, nec contra se aliquis infesta & aduersa depromit: fides verò sincera est veritatis, si in prædicationibus nostris alius sit prædicator & testis.* Neq; aliud dicit Cyprianus, quàm quod ipse Dominus noster priùs dixerat. *Si testimonium*, [2] inquit seruator noster, *dixero de me, testimonium meum non est verum: alius est enim qui testis est de me.* Hæc etiam communis est, vt antea diximus, iurisconsultorum sententia. Verùm vt istam hoc tempore missam faciamus exceptionẽ; testimonia hæc pontificũ Rom. aut corrupta sunt, aut sanè nihil contra nos faciunt, aut deniq; plus obsunt aduersariis, quàm prosunt. Iulii [3] epistola ad oriẽtales, manifestas habet notas falsitatis. nam prætérquã quod duos canones adulterinos ex synodo Nicena citat, quos glossa ad marginem fatetur nunc non haberi inter acta eius synodi; nec stilus illius epistolæ illis temporib. nec illa dicendi ratio tam docto episcopo, nec tam insignis arrogantia tam sancto viro conueniebat. Huius cõmentitiæ epistolæ author edictiones & sanctiones habet basilicas cõtra episcopos orientales. at verũ Iulium constat ab eis *literis aliquid petiisse, & nihil* [4] *profecisse.* Falsarius ille dicit *Romanam ecclesiã Domini voce esse prælatam cæteris omnibus*, & ad *pontifices tantùm Rom. spectare episcoporum damnationem*: at in genuinis Iulii literis, nihil eius habetur. imò dicit [5] Sozomenus ipsum Iulium ab orientalib. *episcopis excommunicatum & abdicatum fuisse.*

Epistola etiam illa, quæ inter Athanasii opera irrepsit, adulterina est: & præterea contra Bellar. plurimũ facit. nam ex *consuetudine*, & non ex iure diuino dicit processisse, *vt primũ ad episcopos Rom. scriberetur, & quod iustum esset, inde definiretur.* Præterea, in concilio, & non in se summam esse potestatem significat. multum

[1] *Lib. 4. ep. 9.*

[2] *Ioan. 5.*

[3] *Extat tom. concil. 1. apud Petr. Crabb.*

[4] *Sozom. hist. lib. 3. c. 9*

[5] *Ibid. c. 10.*

[1] Col. 753. ergo falsus est [1] Bellar. qui hanc Iulii *epistolam certam esse*, dicit, & inde primatum probari putat.

[2] Lib. 5. c. 10. Damasus apud [2] Theodoretum debitam *sibi ab episcopis orientalibus reuerentiã exhibitam agnoscit, & eos filios vocat*. Quid ergo? num propterea monarcha fuit, & summus moderator totius ecclesiæ? nihil sanè minus. nam & in ea epistola, nihil se nisi ex synodi sentẽtia contra Timotheũ fecisse significat. Reuerentiam autẽ omnes episcopi mutuã sibi inuicem debẽt: & ipsa virtus, & doctrina, & pietas reuerentiã cõciliat. Senes præterea & maiores natu, ad amicos scribentes, filios eos salutare solent. Quicquid deniq; ipse de se existi-[3] Ibid. c. 9. mauit, [3] patres Synodi Constantinopolitanæ nõ minorem sibi sumunt, quàm ipsi detulerãt potestatem. ipsi enim de religione statuta ediderunt, & se vnà cum synodo Rom. *regnare* in ecclesia significarunt.

Epistola autem Damasi quarta, quæ ad episcopos Numidię scripta est, suppositiria est. stilus enim & character dicẽdi vnus est, & huius & reliquarum epistolarum, quæ sub nominibus episcoporum Rom. in conciliorum tomis reperiuntur, multũ sanè à forma dicendi eorum temporum diuersus. Præterea, magis imperiosa est, quàm pro illorũ temporum ratione. [4] Præcipit enim Numidis & Afris, *vt decretalia sua, & cunctorum decessorum suorum constituta seruent*: contrà euntibus *veniã denegãdam* minatur. at certum est ecclesias Africanas nec appellationes ad episcopos Rom. fieri [5] permisisse, nec legem ab eis accepisse. Quædam etiam in adulterina hac epistola falsa habentur; quædam imperitè, & indoctè disputantur. Asserit *ecclesias Africanas ab ecclesia Rom. institutionem* accepisse. sed [6] Augustinus *ab aliis terris, & non à Romana ecclesia euangelium in Africam venisse* scribit. Dicit idem *chore apud Græcos significare villam*; & inde probat; *duos tantùm esse ordines in ecclesia, scilicet episcopos & presbyteros; quia dicit Apostolus, fundamentum aliud neminem posse ponere, præter id quod positum est, & quia prædicta duo fundamenta in ecclesia tantùm inueniuntur posita*: quę Damasus, quem non indoctum fuisse ferunt, nunquam scripturus videtur.

[4] In fine ep. 4. ad episc. Numid.

[5] Concil. Afric. 6. c. 89. & 82.

[6] Epist. 162.

Syricius

Syricius nuptias sacerdotum publico suo decreto aut primus, aut inter primos damnasse videtur. vtrum tamen epistola illa quæ eius nomine ad Himericum episcopum *Tarraconensem* scripta fertur, genuina sit, & incorrupta, meritò dubitari potest. Tempore enim Syricii, Arrianum dogma in Hispaniam subingressum non videtur. hoc .n. Gothi, qui post Syricii tempora Hispaniam subiugarunt, intulerunt. At huius epistolæ author Arrianos non tantùm palàm grassatos esse in Hispania, sed etiam iam deficere cœpisse indicat. Præterea, temporibus Syricii monastica vita per Hispaniam radices non egerat huius autem epistolæ [1] author vitam monasticam in Hispania certis legibus firmatam fuisse docet. Syricii etiam temporib. afflictæ erant res pontificum Rom. & tenues facultates. at huius epistolæ author mandat, leges præscribit, constitutionesque suas *absque omni excusatione seruari* postulat, quasi iam pontifices Rom. dictatoriam potestatem adepti fuissent. [1] *c. 5. & 6.*

Præterea, epistolæ stilus insulsus est; constitutiones autem nimis iniquæ. [2] dicit *Petrum in se portare onera omnium, qui grauantur. hæc*, inquit ille, *portat in nobis beatus Apostolus Petrus.* At Petrus nec portat omnium onera, nec in aliquo dici potest onus portare, cum summa iam pace fruatur, & Dei faciem videns beatus sit, à molestiis huius vitæ omnibus liberatus. Se *Petri* prædicat esse *hæredem.* at hæredes nulli sunt, nisi qui proximè succedunt, & ius suum docere possunt. Apostatis & idololatris, licèt resipiscant, *non nisi in vltimo fine* reconciliationem indulgendam [3] censet. coniugia post continentiæ professionem, non aliter habet, quàm [4] *obscænas cupiditates; eósque qui vxores ducunt canes & sues ad vomitus pristinos, & volutabra pristina redeuntes*, & [5] *sectatores libidinum & vitiorum præceptores* appellat. Tumet, iactat se, edicit, imperat, minatur. nonnunquam denique contra ecclesiæ Rom. morem decernit. nam [6] *hypodiaconis coniugia* permittit: & monachis lapsis, nisi sub finem vitæ, veniam non [7] concedit. [2] *In præfat. epist.* [3] *Cap. 3.* [4] *C. 4.* [5] *C. 7.* [6] *C. 9.* [7] *C. 6.*

Verùm vt genuina esset hæc epistola, & ipse Syricius

testis esset idoneus; tamen non inde probatur pontificem Rom. esse ecclesię totius monarcham. Nam aliud est Hispanicis ecclesiis præesse, aliud vniuersæ ecclesiæ; aliud consulenti rescribere, aliud pro imperio iubere; aliud portare onera omnium qui grauantur; aliud grauia onera eis imponere & alligare. Paulo
7 2. Cor. 11. 7 incubuit *solicitudo omnium ecclesiarum.* ipse tamen non erat solus ecclesiæ imperator. Aliud est *caput esse*, & Petri in ecclesiæ administratione successorem; aliud ecclesiæ esse Dominum. ipse denique Syricius episcopos Hispaniæ coepiscopos appellare non dedignatur. at summi rectores non admittunt imperii socios.

8 *Ad Hesych. Salonitanū.* Supposititia etiam videtur epistola [8] Zozimi. neque enim temporibus eius tanta erat pontificum Roman. potentia, vt alios episcopos de suo gradu pro arbitratu suo deiicere possent: quòd tamē hic Zozimus se facturū minatur. Nā licèt ex corrupto cōcilio *Niceno* appellationes ad se ex Africa faciēdas esse ꝓbaret; in concilio tamē Africano auditus nō est; tantū abest, vt quidquis statuere posset. Præterea, nec ea temporib. illis seruabatur in sacris ordinibus distinctio, quam iste subdititius Zozimus narrat; nec tales erant illorum temporum monachi, quales iste prædicat. Postremò, interdicit Zozimus iste monachis ad sacerdotium acce-
9 *In epist. ad Himericum.* dere: at hoc Syricius 9 antè licitum esse pronuntiarat.

Verùm vt hac in re Bellarm. gratificaremur, & hanc epistolam genuinam esse concederemus; vnde, quæso, probatur summus episcopi Romani pontificatus? num quia mandat literas suas ad alios transmitti? at hoc amici amicis, & socii collegis suis mandare solent. num quia minatur se *gradu eos moturum, qui mandata sua negligerent*? at hoc & illi faciunt, qui non possunt, & qui cum aliis possunt, ad monarchiam sanè pontificis probandam ista parum valent: quod ex eo etiam liquet, quòd Zozimus iste alios episcopos coepiscopos & fratres appellat, & episcopatum summum esse pontificatum significat. Bellar. autem pro *coepiscoporum* scripsit *episcoporum*, ne testis suus quicquam contra se testatus videretur.

In-

Innocētium primum putamus virum fuisse bonum & doctum. sed & virorum bonorum & doctorum nomine confingi solét epistolæ nec bonę, nec satis eruditæ: quod & huic Innocentio contigit, & ex epistolis ad episcopos Macedonianos & ad concilium Mileuitanum, & Carthaginense eius nomine scriptis facilè deprehenditur: stilus enim planè barbarus est, & modus loquendi in illis epistolis à temporibus Innocētii primi alienissimus. *Magna,*[1] inquit, *me gratulatio habuit*; *& portitor literarum ex illis partibus ad nos vsque directus.* & [2] in epistola ad cōcilium Mileuitanum dicit, *omnes fratres quoties fidei ratio ventilatur, nón nisi ad Petrum referre debere*; quod nouum habet sensum. Præterea, edictiones illæ dictatoriæ, quæ in epistola 22. habentur, Innocentium, & episcoporum Rom. qui circa illa tempora vixerunt, statum humilem non decebant. neque enim potuit ille solus leges ferre, aut malis in ecclesia tum grassantibus mederi: nam hoc ad cōcilium pertinere docet. Imò nec synodum cogere [3] potuit; sed hoc ab Archadio & Honorio per legatos petiit. Tertiò, epistolæ illius ad episcopos Macedonianos author, non modò contra illorum temporum mores & rationem leges [4] statuit de digamis & maritis viduarum; sed etiam contra morem ecclesię Rom. de ordinatis ab hæreticis: hos enim dicit nulliter [5] ordinatos. contrà autem docet [6] magister sententiarum, cuius opinionem nunc vulgò sequuntur. Quartò, non est verisimile episcopum Rom. subditis episcopi Constantinopolitani & Alexandrini, temporibus Innocētii primi, decretales epistolas scripsisse; quid enim ad episcopum Rom. pertinent episcopi extra fines positi episcopatus Romani? Quintò, author harum epistolarum falsa scripsit. Dicit enim *se omnium ecclesiarum curam habere, & ad omnes responsa dare, & non nisi ad ecclesiam Rom. ecclesias controuersias suas de fide referre debere, & eam caput* [8] *esse & fontem ecclesiarum omnium*; cum tamen omnes norint in concilio Mileuitano appellationes ad episcopum Rom. interdictas; & [9] Augustinus euangelium in Africam Hierosolymis, & non Româ venisse ostendat; & ecclesiasticæ historiæ doce-

1 *In epist. 22. ad episcop. Macedon.*

2 *Epist. 93. inter epist. August.*

3 Sozom. *lib.* 8. *c.* 28.

4 C. 1. & 2.

5 C. 3.

6 *Lib sent.* 4. *dist.* 25. §. 1.

7 *Epist.* 93. *inter epist. August.*

8 *Epist.* 92.

9 *In Ep.* 162.

ceant non minùs ad alias ecclesias, quàm ad Romanam negotia fidei relata fuisse; & eas omnes pariter concilii generalis decretis paruisse. dicit etiam commentitius ille Innocentius, paruulos, nisi sacramentaliter *manducauerint carnem filii hominis, & sanguinem eius biberint, non habituros vitam æternam.* Sextò, nonnulla sunt in literis istis ineptiarum vestigia, quæ planè docent illas non fuisse Innocentii. Episcopis enim Macedonianis nomina indit Romana. inscripta est enim Rufo, Claudio, Maximiano, Vincentio, Terentiano, & aliis Romanis, quos mirum est si in Macedonia episcopatum gesserint. Deinde, vnum tantùm consulem nominat, contra populi Rom. morem, eumque Cōstantium fuisse dicit, quem tempore Innocentii, annales integerrimi consulem fuisse negant. Postremò, Erasmus criticus acutissimus, literas has Innocentii ad concilium Mileuitanum adulterinas esse
[1] *Epist.* 106. dicit. Nec obstat quod [1] Augustinus dicit, *Innocētium ad concilium Mileuitanum rescripsisse.* nam vt rescripserit; non tamen sequitur has duas epistolas illas esse, de quibus loquitur Augustinus.

Verùm vt epistolæ istæ genuinæ essent; nihil tamen aliud in eis habetur, *quàm sedem apostolicam esse fontem & caput ecclesiarum, & eam honorandam esse, & in rebus dubiis consulendam.* ex quibus verbis Bellarm. non magis pontificum Rom. monarchiam, quàm aquam ex pumice elicere potest. experiantur eius condiscipuli, & sodales, quando volent, & argumentum ex illis concludant; & tunc proculdubio hoc ita esse reperient.

De *Leone* primo nihil memoriæ proditum est ab authoribus fidedignis, vnde eum omnibus vbiq; ecclesiis præfuisse intelligamus. Cur epistolis eius nomine editis fidem adhibeamus, nulla legitima ratio proferri potest. nam aut adulterinæ sunt, aut à falsariis corruptæ, & propterea dubiæ fidei. Præterea, plusculum sibi ipsi tribuit, quàm ratio, & leges ecclesiæ postula-
[2] *Conc. Nic. c.* 6. *& Constātinop.* 1. *c.* 2. bant. nam [2] canones episcopo Rom. vt aliis patriarchis fines certos præscripsêre; & episcopi orientales eius mandata non multi fecerūt: & Gregorius primus
diserte

diserte [1] ostendit, *nullam ex prædecessoribus suis nomen vniuersalis episcopi sibi sumpsisse.* quod si autem res conueniebat, cur nomen repudiarent? Ipse denique *Leo* ostendit episcopos Rom. nullam habuisse eiusmodi potestatem, qualem nunc pontifices Rom. sibi arrogant. Nam in synodo [2] Chalcedonensi, licet multum repugnante Leone, lex de Cōstātinopolitani episcopi pari cum Romano prærogatiua perlata est. Præterea, voluit *Leo* synodum indici in Italia, & illud precibus ab imperatore contendit, & tamen non potuit obtinere. Synodus etiam Chalcedonensis non à *Leone*, sed ab imperatore indicta est. Quid quod Anatholiū vocat [3] coepiscopū? at summi principes & monarchæ collegas non habēt. Postremò, adeo nihil potuit Leo, vt in Eutychem abbatem hæreseôs conuictū nec animaduertere potuerit, nec eū in remotiores partes ablegare. idcirco à Pulcheria [4] Augusta cōtendit, vt longiùs à Constantinopoli amandaretur.

[1] *Lib. 7. epist. 30. ad Eulogium.*

[2] *Act. 16.*

[3] *Epist. 73. 74. 75.*

[4] *Epist. Leon. 45.*

Nec sanè quicquam efficiunt testimonia à Bellar. prolata. Anastasio [5] Leo *vices sui moderaminis committit.* sed nemo plus delegare potest, quàm habet. Dicit etiam, *se curam impendere vniuersis ecclesiis debere, & visitandi potestatem ei tribuit.* sed omnibus patriarchis & episcopis totius ecclesiæ cura quodammodo incūbit; & mutuas sibi inuicem operas præstare tenētur. Præterea, *ad vnam Petri sedem vniuersalis ecclesiæ curam confluere* scribit; sibique *plenitudinem potestatis* videtur arrogare, & Rom. ecclesiam velut *caput reliquarum* venditare. Sed & reliquis episcopis plenum ius episcopale debetur; & omnes metropoles capita dici possunt aliarum ecclesiarum; & omnes pii pastores, licèt singulis ecclesiis singuli teneantur astricti, vniuersalis tamen ecclesiæ quodammodo curam gerunt, & eius pacem & propagationem desiderant. *Executionem idem suæ dispositionis Anatholio Constantinopolitano* [6] *cōmittit.* sed amici etiam amicis, qui eis nulla in re obligātur, mādata dare solent, & in testamentis non subditi, sed extranei etiā hæredes & executores vltimæ voluntatis nominantur. In literis ad Maximum Antiochenum, *certiorem se fieri* [7] *cupit de rebus ecclesiarum; idem-*

[5] *Epist. 84.*

[6] *Epist. 46.*

[7] *Epist. 62.*

que se ambitioni Iuuenalis assensurum negat. sed illud pii episcopi omnes cupiunt: & hoc ad omnes pertinet, occurrere hominum ambitiosorum cupiditatibus. Dioscoro patriarchæ Alexandrino [1] significat se *illũ velle custodire quod à patribus seruatum erat.* sed hoc nõ tam *Leonis*, quàm patrum authoritatem cõfirmat. horum enim decretis non tantum *Dioscorus*, sed & *Leo* parêre tenebatur. [2] Minatur etiam episcopis Africanis. sed non omnes qui minantur, imperium habent in eos quos minis terrent. [3] Iubet etiam *Lupicini causam in Africa audiri.* sed etsi non iussisset, hoc sine dubio factum fuisset. Postremò, [4] dicit *vrbem Romam latius præsidere religione diuina, quàm dominatione terrena.* Scilicet. nam eo tempore lacerari cœpit imperium Rom. manente tamen & crescente authoritate ecclesiæ Rõ. Sed quid nos vel epistolarum commentitiarum, vel ipsius etiam *Leonis*, plusculum sibi & sedi suæ in declamationibus & epistolis suis arrogantis, singula verba vel ponderemus, vel moremur?

1 *Epist.* 81.
2 *Epist.* 87.
3 *Ibidem.*
4 *Ser.* 1. *de Natal. apost.*

Ad testimonium ex [5] epistola ad episcopos Dardaniæ respondeo, *primò* illud nõ esse Gelasiii. quid enim episcopo Rom. cum episcopis Dardaniæ, qui Cõstantinopolitano, velut metropolitano parebant? Præterea, filum orationis à temporum illorum charactere alienum, & simile aliarum commentitiarum epistolarum stilo, ab vno artifice omnes profectas ostendit. Dico *secundò*, epistolam hanc multa falsa & absurda continere. dicit enim eius author *sedem Petri posse ab aliis ligata soluere.* at hoc [6] canones apostolorum, & patres [7] Niceni prohibent. hoc etiam decretum de non soluendis eis qui ab aliis ligati erant, pontifices Rom. inter suas κυρίας δόξας [8] receperunt. Disertè etiam [9] negauit episcopus Rom. *se Marcionem absoluere posse, absque patris eius permissione.* Dicit etiam *illam sedem habere potestatem iudicandi omnem ecclesiam.* at synodus [1] Nicena iudicia clericorum episcopis commisit, & episcopi Alexandrini, & Constantinopolitani, & orientales, sedis eius iudicium contempserunt. Dicit postremò *neminem posse illam sedem iudicare.* tamen Iulium abdicarunt episcopi oriẽtales, & synodus sexta

5 *Concil. tom.* 1.
6 *Can.* 32.
7 *Can.* 5.
8 11. *q.* 3. *seruetur.*
9 *Epiphan. in hæres. Marcion.*
1 *Can.* 5. & 16.

sexta Honorium primum condemnauit. De Ioanne decimotertio synodus Romana, de Ioanne vicesimo tertio, & Gregorio duodecimo synodus [1] Constantiensis, aliæque synodi de aliis pontificibus Rom. iudicarunt. Respondeo *tertiò*, ineptè Gelasii testimonium in causa propria produci. Respondeo *postremò*, etsi de omnibus iudicare posset sedes Petri, & nullus de ipsa; non tamen sequi vel iure hoc Diuino eam obtinuisse, vel summam habere ipsam in omnes potestatem.

[1] *Act.* 13.

Ioannes secundus multa aduersus Bellarminum, pro ipso nihil loquitur. nam Petrũ [2] dicit fuisse sedis Romanæ authorem, & eius primatum ex patrum regulis & statutis principum deriuat. Præterea, in legib. imperatoris reuerentiam illius sedis, & ecclesiasticam disciplinam positam significat. Nec obstat, quod *eam omnium ecclesiarum caput* [3] vocet. nam hoc nomen Constantinopolitanæ ecclesiæ etiam tributum est. *Constantinopolitana ecclesia*, inquit [4] Iustinianus, *omnium aliarum caput est.* & illud authoritatem potiùs, quàm imperium & potestatem denotat.

[2] *L. inter claras. Cod. de sum. trin. & fid. cath.*

[3] *Ibidem.*

[4] *Cod. de sacr. eccles. &. Constantinopolitana.*

Anastasius secundus propter hæresim infamis erat, & eo nomine à Deo [5] percussus & propterea nullam meretur apud orthodoxos fidem. Præterea, non dicit *sedem Rom. in vniuersali ecclesia tenere principatum*, vt vult Bellar. sed tantùm optat & cupit, vt teneat. sed non omnia quæ optantur eueniunt. *Tertiò*, principatus non semper potestatem & imperium, sed quandoque honorem tantùm & authoritatem significat. Postremò, epistola hęc meritò suspecta est. at ex suspectis tabulis, nulla ducitur firma probatio.

[5] *Dist.* 19. *c. Anastasius.*

Felix quartus ad varios episcopos, quorum nomina ignorantur, scripsit. *Dilectissimis*, [6] inquit, *fratribus omnibus episcopis per diuersas prouincias constitutis.* quasi verò quisquam literas ad incertos, & varios homines scribere soleat. ista ergo testimonia mirum est, non horrescere legentes. Sed videamus quid iste Felix scripserit. *Ad sedẽ*, inquit, *apostolicam misistis tãquam ad caput, vt inde acciperetis respõsa, vnde omnis ecclesia totius religionis sumpsit exordium.* Quasi verò Roma, & non

[6] *Epist.* 1. *tom. conc.* 1.

Hierosolymis euangelii sonus in omnem terram exierit: aut nō planè impudentissimum sit mendaciū, affirmare religionem omnem à sede Romana fluxisse. infeliciter ergò & inauspicatò hæc Felix scripsit. Verùm vt inde primùm euangelii lux exorta esset, & vrbs Roma caput dici mereretur; nō tamē sequitur pōtificem Rom. vniuersæ ecclesiæ præesse. nam lex Hierosolymis exiuit, & tamen illius vrbis episcopo non debetur principatus; & caput originem & authoritatem, & non semper potestatem denotat.

Ad Pelagii secundi testimonium similiter respondendum est. nihil enim aliud [1] dicit, *nisi Romanam ecclesiam esse omnium ecclesiarum caput.* Præterea, & stilus, & temporum illorum ratio clamitat, hanc epistolam Pelagii adulterinam esse. instrumentis autem ex aduersariorum scriniis depromptis, iurisconsulti credendum esse negant.

Gregorius primus vniuersalis episcopi nomen refellit, & [2] repudiat, nec dubitat eum *antichristi esse præcursorem*, qui hoc sibi nomen arrogaret. Quænam ergo hæc impudentia est, eius verbis ad pontificis Rō. vniuersalem in omnem ecclesiam potestatem probandam abuti? Ex Gregorio tamen quædam corrasit epistolarum fragmenta Bellarm. quæ ad suam causam contorquere conatur. *Ex concilio*, [3] inquit *Numidiæ, si qui desiderauerint ad apostolicam sedem venire, permittite.* Sed quid si hoc non permittebant patres Africani? nonne certò constat eos studium episcoporum Rom. [4] contempsisse? atque vt permitterent eos venire ad episcopos Rom. non tamen sequitur eis Africanos paruisse. Honoratum prætereà archidiaconum ab episcopo quodam gradu suo motum fuisse constat: *quam iniuriam nec ab aliquo patriarcha sine scandalo inferri potuisse* dicit [5] Gregorius. Sed nec à seipso illam fieri potuisse significat. quomodo ergo inde probatur Gregorium reliquis patriarchis, & toti ecclesiæ fuisse præpositum? Idem [6] significat *pallium se misisse Corinthiorum episcopo, & propterea episcopos Helladis ei obedire debere.* sed nisi Græciam intelligat, nescit ipse Bellar. vbi sit hæc Helladis prouincia. Gregorius sanè

[1] *Epist. 1. ad episc. Orient.*
[2] *Lib. 4. epist. 32. & 34. & 38.*
[3] *Gregorius lib. 1. ep. 72.*
[4] *In synod. Afric. 6.*
[5] *Lib. 2. epist. 37.*
[6] *Lib. 4. epist. 56. ad episcopos prouinciæ Helladis.*

sanè Latinè Græciam, & non Helladem dixisset. Præterea, quid Gregorio negotii erat in Constantinopolitani episcopi prouincia? Non videtur denique mos ille de transmittendis palliis ad archiepiscopos, Gregorii temporibus inualuisse. Verùm vt vel togam, vel pallium transmisisset, & obediendum Corinthiorũ episcopo suasisset; non tamen sequitur eum sibi vniuersalem in omnes episcopos, & ecclesias potestatem arrogasse. hoc enim repudiat, & alios patriarchas æquali potestate præditos esse significat. Dicit deniq; [1] Gregorius *Constantinopolitanam ecclesiam apostolicæ sedi esse subiectam*. quasi verò in delictis non etiam Romana sedes Constantinopolitano, & aliis episcopis subiecta esset; & propter scelera pontifices Rom. depositi non fuissent. imperium certè in vniuersam ecclesiam nec Gregorius primus episcopo Rom. defert. Quod si ergo nec causam suam, pontificibus Rom. iudicibus litem intra propria præsepia iudicantib. obtinere possit Bellarminus; nihil est quod in patribus ecclesiæ spem reponat.

[1] *Lib. 7. epist. 63. & 64.*

Diluitur quartum Bellar. argumentum, quod ab authoritate patrum ductum est, CAP. VIII.

PAtrum tamen ille clamat; & [2] implorat fidem: & primò quidem Græcos, deinde Latinos appellat, sed nullum reperit in alterutris præsidium. [3] Salutat Ignatius ecclesiam Romanam *præsidentem in regione Romanorum*. sed omnes episcopi suis in locis præsident, vt ex [4] Iustino & [5] Tertulliano colligere licet, quorum tamen summa non est in vniuersam ecclesiam potestas. Præterea, non loquitur de episcopo Rom. sed de ecclesia, eamq; non vniuersæ ecclesiæ, sed parti cuidam præsidere dicit. ἥτις inquit, προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων.

Irenæus [6] dicit *necesse esse omnem ecclesiam ad Romanam conuenire propter potentiorem principalitatem, & in ea semper ab omnib. conseruatam fuisse apostolicam traditionem*. quæ Bellarm. diligenter notat, sed frustra. nam non tantùm ad ecclesiam Rom. sed etiam ad Ephesinam & Smyrnẽsem fideles [7] remittit, idq; nõ vt man-

[2] *Lib. 2. de pont. Rom. c. 15. & 16.*
[3] In epist. *ad Roman.*
[4] *In Apol. 2.*
[5] *In apologetic.*
[6] *Lib. 3 de hæres. cap. 3.*
[7] *Ib. c. 3. & 4*

data acciperent, sed vt doctrinam apostolicam inde discerent. *Potentiorem autem principalitatem* ei tribuit propter vrbis, ecclesiæque amplitudinem, & splendorem; non autem quia omnes ecclesiæ ab ea leges acceperunt. Præterea, non simpliciter ad ecclesiam Rom. recurrendum dicit, sed quatenus apostolicam doctrinam teneret. nihil autem hoc ad horum temporum synagogam pertinet, quæ non tantùm ab apostolica traditione longè discessit, sed etiã antichristo turpiter seruit, & nunc nisi vi retentã, nullam habet principalitatẽ, aut potentiã. Postremò, vt ad priscam ecclesiam Rom. in negotiis fidei, tanquam ad exemplar accedendum esset; non tamen sequitur pontificem Rom. vniuersæ ecclesiæ præesse debere. nam longè aliud est exemplar esse, & dominum.

[1] *Hæres. 68.* [1] Epiphanius dicit *Vrsacium & Valentem errorem suum coram Iulio episcopo Rom. agnouisse.* Sic etiã Marcellinus episcopus Rom. coram episcopis quibusdam in synodo Sinuessana lapsum suum grauissimum humi iacens confessus est: & delinquentes coram episcopis pœnitentiã egerunt. quis tamen non planè deliraret, qui inde concluderet eos omnes vniuersæ ecclesiæ præesse? *Præterea*, [2] Epiphanius dicit Vrsacium & Valentem etiam coram Athanasio delictum suum agnouisse. negant tamen aduersarii Athanasium summum fuisse ecclesiæ monarcham.

[2] *Ibidem.*

Athanasius in secunda sua apologia nihil habet aduersus causam nostram. Quæ autem eius nomine ad Felicem epistola scripta fertur, commentitia est. Verùm *vt omnium ecclesiarum curam haberent episcopi Romani, & in summitatis arce constituerentur*, vt in illa epistola habetur; hoc tamen commune erat aliis episcopis. [3] Dicit præterea Athanasius *quosdam orthodoxos accusasse Dionysium præsulem Alexandrinum coram Dionysio Romano.* sed & Sixtus tertius, & Honorius primus, & multi alii episcopi Romani coram Synodis [4] accusati sunt.

[3] *In Lib. de sent. Dionys.*

[4] *In tomis concil.*

[5] *Epist. 52. ad Athanasiũ.*

Basilius nihil [5] tribuit episcopo Rom. vnde aliquis ipsum summum fuisse ecclesiæ monarchã suspicetur. Quod autem *aliquos ad eum mittendos censuit*; non alio nomine

nomine fecit, quàm vt communi consilio rebus fidei periclitantibus succurreret. Non autem tribuit ei *authoritatem visitandi, aut decreta faciendi, aut concilia rescindendi*, vt dicit Bellar. sed tantùm rogandum censet, vt aliquos suo nomine mitteret in orientem, qui vnà cum orientalib. episcopis Ariminensis cócilii acta rescinderent, quia communi consilio communi causæ succurrendum [1] putauit. Bellar. verò pro *consilio*, vertit *decretum iudicii*, vt ita Basilii verba ad suam sententiam inflecteret. [1] *Epist.* 48.

Gregorius Nazianzenus non [2] dicit *ecclesiam Rom. semper conseruasse veram de Deo sententiam, vt decet vrbem quæ toti orbi præsidet*, vt impudenter affirmat Bellar. Imò ineptè loqueretur, si quid huiusmodi dixisset. multum enim interest inter ecclesiam, & vrbem Romam. Præterea, licèt vrbs toti orbi præsideret; non tamen sequitur ecclesiam Rom. omnibus præfuisse ecclesiis. Postremò, vt olim authoritatem adepta esset ecclesia Romana, quia veram de Deo conseruauit sententiam; non tamen æquum est eundem honorem apostaticæ huic synagogæ deferre, quæ veram de Deo sententiam iampridem habere desiit. [2] In *carm. de vita sua.*

De Chrysostomo etiam & Innocentio primo multa Bellar. mentitur. non enim contendit ab Innocentio [3] Chrysostomus, *vt Theophili Alexandrini sententiam irritam faceret*, vt dicit Bellar. *sed vt scriberet hanc sententiam non habere robur.* Præterea, non rogat, *vt episcopus Rom. Theophilum puniret*, vt dicit ille, sed vt synodo ab imperatore indicta puniretur. *Obsecrabamus*, inquit [4] Chrysostomus, *Christianissimum regem, vt concilium cogeret.* Postremò, non agnoscit Chrysostomus *Innocentium iudicem esse Græcorum*, vt dicit Bellar. sed illum vnà cum aliis episcopis hanc causam iudicare voluit. Innocentius autem nihil aliud facere potuit, *quàm condolere Chrysostomi calamitatibus.* nam ita scribit [5] Sozomenus. idemque has procellas *sola synodali cognitione sedari potuisse* [6] significat. Certè si tanta fuisset Innocentii potentia, quantam isti prædicant; tum ille Chrysostomum restituisset, & Theophilo & aliis episcopatum abrogasset; quorum ille nihil

[3] *Epist.* 1. *ad Innocent.*
[4] *Ibidem.*
[5] *Lib.* 8. *c.* 26
[6] *Ibidem.*

[1] Epist. 2. fecit, aut facere potuit. *At*, inquit Bellarm. *fatetur* [1] *Chrysostomus Innocentium paternam beneuolentiam erga se declarasse, & orat, ne aduersarii sui excommunicarentur.* quasi verò omnes essent summi ecclesiæ præsides, qui paternam affectionem erga aliquem declarant, & à cõmunione sua aliquos iure pellere possent; aut nõ omnium esset, quos vellent à cõmunione sua repellere. Sunt etiam nonnulli, qui has epistolas Chrysostomi, aut confictas, aut corruptas esse suspicantur.

[2] Epist. 10. & 11. [2] Cyrillus scribit Nestorium, nisi *intra certum tempus à Celestino episcopo Rom. præscriptum errorem reuocaret, ab omnibus esse vitandum.* Sed aut impudens est, aut planè delirat Bellar. qui hinc probari putat Celestini summum in omnẽ ecclesiam imperium. nam omnes episcopi hæreticis tempus ad reuocandas hæreses præscribere, & vnius orthodoxa decreta reliqui ap-[3] Col. 760. probare solent. At inquit [3] Bellarminus, Cyrillus *nihil se aliud, quàm exequutorem & administrum Romani pontificis exhibuit in damnatione, ac depositione Nestorii.* Sed impudenter istud, vt reliqua omnia. Constat enim *Nestoriũ*, authoritate synodi *Ephesinæ* fuisse excommunicatũ & depositum, & non plus *Celestinũ* episcopum Rom. quàm alios episcopos ad condemnationem eius [4] In epist. ad Nestorium, num. 10. contulisse. Cyrillus autẽ Celestinum [4] vocat *fratrẽ & comministrũ*; quæ nomina summo ecclesiæ præsidi non satis conueniunt. Nec obstat, quod alibi *sanctissimus* [5] Gregor. ep. 30. lib. 7. *dicitur pater.* nam ita episcopi se inuicem [5] appellant. Profert præterea locum ex Thesauro Cyrilli Bellarm. *vbi Petro omnes caput inclinare, & ipsi tanquam Iesu obedire asserit, & pontificem Rom. caput vocat.* sed locus iste [6] In opusc. contr. Græc. nusquã reperitur apud Cyrillũ, & [6] Thomas, vnde locus ille translatus est, omnia videtur in gratiã pontifi-[7] Sess. 7. cis Rom. vberiùs dicere. 7 *Andreas* verò *Colossensis* qui in cõcilio *Florẽtino* dixit pontificis Rom. authoritatẽ mirificè à *Cyrillo* prædicari, aurib. põtificis inseruiuit, & propterea nullã fidem meretur. nos enim hanc siue pontificis Rom. siue Petri in vniuersam ecclesiam monarchiam ex verbis Cyrilli iam antea euertimus: apud Cyrillum nihil quod pro ipsa faciat, inuenimus.

Theodoreti epistolæ ad *Leonem* & *Renatum*, dubiæ sunt

sunt fidei. Illa ad Leonem ad finem operum Theodoreti reiicitur; hæc nec inter opera eius reperitur. Præterea, non sapiunt illorum temporum mores. In illa deniq; epistola manifestæ sunt notæ falsitatis. nam *Petri & Pauli sepulchra dicit fidelium animas illuminare*: & Dioscorum Alexandrinū vocat *iustissimum præsulem, & se per Leonis preces & suffragia* dicit ecclesiam regere. Verùm vt Leonis appellarit iudicium; non tamen sequitur eum existimasse illum vniuersæ ecclesiæ esse rectorem. neq; vt magna esset authoritas ecclesiæ Rom. in gubernatione omniū ecclesiarum, propterea rectè concluditur ex lege diuina episcopos Rom. summam adeptos esse totius ecclesiæ administrādæ potestatem.

Sozomenus propter *sedis suæ dignitatem* [1] *dicit curam omnium ad Iulium episcopum Rom. spectare, & ipsum episcopis quibusdā per iniuriam eiectis ecclesiam suam restituisse.* Sed intelligere debemus Iuliū ea in re studiū potiùs suum & voluntatem, quàm summam potestatem ostendisse. docet.n. Sozomenus frustra Iulium episcoporum afflictorū causam suscepisse. nam non tantùm Iulii literas contempserunt, sed etiam ipsum & episcopos illos abdicarunt episcopi orientales. *Iulium* [2] inquit ille, *episcopū Rom. abdicarunt.* idcirco Iulius nihil apud episcopos proficiens rem ad Constantem detulit. *Cum literis ad episcopos orientis nihil proficeret,* [3] inquit Sozomenus, *causam Athanasii & Pauli ad Constantem retulit.* quæ planè ostendunt Iuliū non habuisse summā supra omnes episcopos potestatē. Nunc sanè apud istos nemini licet pontificem Rom. contemnere, planeque rideretur, qui eum excommunicaret.

Acatii ad Simplicium [4] literæ ex falsariorum officina, vnà cum multis aliis eius generis falsis instrumentis, prodiisse videntur. Atq; vt verè essent illæ Acatii literæ; quis tamen est Acatius iste, vt nos ei in re tanta fidem adhibeamus? Præterea, quid dicit ignotus iste & ignobilis pontificis Rom. aduocatus? dicit *episcopum Rom. omnium ecclesiarum solicitudinem secundùm apostolum circumferre.* at apostolum tamen Paulum negant summum fuisse ecclesiæ moderatorem, quem constat hanc solicitudinem circumtulisse.

1 *Lib. 3. c. 7.*

2 *Lib. 3. c. 10.*

3 *Lib. 3. c. 9.*

4 *Tom. 2. concil.*

1 *C. 22.* Episcopus Patarensis de quo *Liberatus* in [1] Breuiario, adeo obscuræ notæ homo est, vt nec nomen eius extet apud aliquem authorem. Præterea, non magnā fidem merentur Liberati narrationes, nec eis aduersarii in omnibus credunt. Verùm vt esset author fide dignus; nihil tamen dicit, nisi *Syluerium esse Papam super ecclesiam mundi totius.* at supereminentiam illam non fuisse in potestate positam, ostendunt acta contra Syluerium, & ipsius calamitates.

Iustinianus inter imperatores potiùs, quàm patres censetur. nihil tamen in rem aduersariorum loquitur. nam etsi *nihil ille absque notitia episcopi Rom. de rebus ecclesiæ statuendum censeret:* non tamen propterea ei in ecclesiæ administratione principatum defert. neq; enim principes summi qui nihil agunt sine cōsilio senatus, summam tribuunt senatoribus potestatem. At, inquit Bellar. ipsum vocat [2] *caput omnium ecclesiarum.* sed interpres mala fide verba imperatoris reddidit. nam in Græco est, ὡς κεφαλῇ οὔσῃ πάντων τῶν ὁσιωτάτων τοῦ Θεοῦ ἱερέων. Aliud est autem, caput esse sacerdotū; aliud, caput ecclesiarū. Verùm si Iustiniani standū sit sentētiæ; non dubium est, quin in summo principe summa sit totius ecclesiæ administrādæ potestas. Ipse.n. leges de fide & ecclesiastica disciplina edidit. ipse pontificibus Rom. mādata dedit. penes ipsum quoad res externas summū erat iudicium, vt ex ipsius [3] cōstitutionib. *de Trinitate & fide catholica, de sacrosanctis ecclesiis, de episcopis & clericis, & aliis capitibus pluribus* constat.

2 *L. inter claras. Cod. de sum Trinit. & fid. cath.*

3 *Cod. lib. 1.*

Ex Latinis Cyprianus primus in iudicium producitur, qui pro pontificis Rom. causa testetur. Sed nihil ille pro Bellar. facit. [4] docet enim *episcopatum vnū esse, cuius à singulis in solidum pars tenetur:* idemque [5] dicit, *neminem se episcopum episcoporum constituere.* Præterea, Cornelium episcopum Romanum, velut collegam & coepiscopum habet. neque in sententia sua de hæreticorum baptismo Stephano cedere voluit. Appellationes deniq; ex Africa ad episcopū Rom. fieri prohibuit, vt antea ostendimus. quæ omnia ostendunt, ex *Cypriani* sentētia episcopum Rom. non fuisse summum ecclesiæ rectorem & iudicem. neque vt verba

4 *Lib. de simpl prælat.*
5 *Epist. ad Quintum.*

eius

eius Bellarminus summa vi distorqueat, aliquid in eis præsidii reperire potuit.

Hæreses quidem & schismata inde exorta [1] dicit, *dum Diabolus secundùm apostoli vocem transfigurat se vel ut angelum lucis, & ministros subornat suos, velut ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, antichristum sub vocabulo Christi; & dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec cœlestis magistri doctrina seruatur.* Sed quid hæc ad propositum? neque enim vel tenuis aliqua suspicio est Cyprianum pontificis Rom. potestatem his verbis commendare. imò, validè hæc contra synagogam pontificiam valent, quæ noctem asserit pro die, & Antichristum pro Christo colit, & origine veritatis & cœlestis magistri doctrina relicta, nouas & noxias traditiones populo Christiano obtrudit. per caput autem intelligit Cyprianus, non Rom. pontificem, vt Bellarm. significat, sed fontem veritatis.

[1] *Lib. de simplic. prælat.*

Pergit præterea Cyprianus, & [2] dicit: *Loquitur Dominus ad Petrum, Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata in cœlis; & quæcũque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis: & eidem post resurrectionem suam dicit, Pasce oues meas.* & in his verbis [3] Bellarm. credit *& doctrinam contineri de ecclesia, & caput ecclesiæ, nempe Petrum, & doctrinam cœlestis magistri.* Sed nihil hoc aliud est, quàm eius somnium. valde enim exiguos fines haberet cœlestis doctrina, si in his verbis contineretur. Præterea, nusquam appellat Petrum Caput ecclesiæ, nec plus ei tribuit, quàm reliquis Apostolis, si ordinis prærogatiuam excipias. Aliena sunt denique à pontificis Romani causa, quæ Petro tribuuntur, velut peculiaria. Nec contra nos facit, quod ecclesiam vnam facit Cyprianus, *in capite & radice.* nam radix hæc apud ipsum est doctrinæ vnitas, & non Petri sublimitas.

[2] *Ibidem.*

[3] *Lib. 2. de pont. Rom. c. 16.*

[4] Dicit etiam Cyprianus *non aliunde nata esse schismata, & hæreses obortas, quàm quod non vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, & iudex vice Christi cogitatur.* & inde

[4] *Lib. 1. epist. 3.*

colligit Bellarm. *intelligi Cornelium episcopum Romanum, & vniuersalem ecclesiam.* Sed filum epistolæ Cypriani contrarium docet. ex ea enim constat Fortunatum in schismate contra episcoporum Africanorum sententiam factum fuisse episcopum, & Cornelium maledicorum vocibus territum pene cessisse, vnde euenerat illud quod dixit Cyprianus, vt non vnus esset in ecclesia sacerdos, sed plures; & vt Nouatiani in singulis vrbibus Africanis suos constituerent episcopos. Loquitur ergo de episcopis Africanis, & nō de Cornelio; & de particularibus ecclesiis, & non de vniuersa.

[4] *Lib. 2. epist. 10.* Alibi [4] dicit, *quosdam non tantum radicis & matricis sinum atque complexum recusasse, sed etiam adulterum, & contrarium caput extra ecclesiam fecisse.* Sed per radicem & matricem intelligit ecclesiam Christi, è qua per schisma egressi erant *Nouatiani*; & non Romanam ecclesiam. & non magis significauit Cornelium factum esse caput ecclesiæ Romanæ particularis, quàm singulos episcopos suarum ecclesiarum. Ostendat ergo Cornelium à Cypriano dici, *omnium totius orbis ecclesiarum* caput, quod audacter affirmat; aut taceat.

[1] *Lib. 1. epist. 8.* Dicit deniq; [1] *Cyprianus vnam esse eccclesiam, & cathedram vnam, super Petrum, Domini voce fundatam.* Sed planè desipit Bellar. nisi videat Cyprianum loqui de Petri cathedra & doctrina in Africa, & non de sede pontificum Rom. in Italia. vbicunq; enim *Petri* sonat doctrina, ibi *Petri* est cathedra: & Cyprianus se & collegas suos episcopos Africanos [2] vocat *Apostolorum successores.* vbi autem Petri doctrina locum non habet, ibi non est Petri cathedra: quod nunc omnes synagogæ Rom. contigisse vident.

[2] *Lib. 2. epist. 10.*

[3] *Lib. 4. epist. 8.* [3] Asserit præterea Bellar. Cyprianum *vocare Romanam ecclesiam radicē & matricem catholicæ ecclesiæ.* Sed nullum huiusmodi verbum apud illum habetur. imò vbi loquitur de radice & matrice ecclesiæ catholicæ; non aliud intelligit, quàm doctrinam cœlestem, & originē veritatis, de qua in libello de simplicitate prælatorum loquitur. illa enim radix est ecclesiæ immobilis,

bilis. Ecclesia verò Rom. antiquitus ex hac radice processit, & nunc ab illa exsecta emarcuit.

4 *Optatus* de cathedra Petri nonnihil dicit. Sed nisi in cathedra illusorum sedisset Bellar. nunquam inde conclusisset *pontificum Rom.* summam *esse super omnem ecclesiam potestatem.* Nam si vnica sit Petri cathedra, vt dicit Optatus: tum non tantùm pontifices Rom. sed omnes episcopi communiter regunt ecclesiam. vtpote qui sedent in Petri cathedra. Ille licèt Afer esset, dicit tamē hanc Petri cathedram ad se pertinere. *Hanc,* inquit, *probamus per Petrum nostram esse.* Præterea, vt cathedra quoad doctrinam vna esset, & doctores ecclesiæ essent iidem præsides; non tamē sequitur summum imperium in ecclesia ad vnum delatū esse, cum cathedra multorum communis sit, & variæ sint in ecclesia gubernationes, & ecclesia in totum orbem diffusa sit. 4 *Lib. 2. cōtr. Parmen.*

De Ambrosio iam diximus, quid ille de episcopis Rom. existimarit. summam fuisse ipsorum potestatem certè nō agnouit, qui Siricium episcopum Rom. non aliter, quàm fratrem 5 appellauit, nec leges ab eo accepit. Verba autem illa in 1. Tim. 3. *cuius hodie rector est Damasus,* non videntur esse Ambrosii, sed glossema quod in contextum irrepsit, fraude an incuriâ dicam, nescio. neq; enim causa erat, cur illo in loco Damasi mentio fieret. Verùm vt verè Ambrosius eum rectorē ecclesiæ vocasset; nonne *omnes episcopi* 6 *constituti sunt ad regendam ecclesiam Dei?* 5 *Epist. 81.* 6 *Act. 20.*

Præterea, 7 percontatus est Satyrus frater Ambrosii, *episcopum quendam, si cum episcopis catholicis, hoc est, cum Romana ecclesia conueniret.* sed nihil hoc ad Siricium. Præterea, nec Satyrus ostendit summam fuisse in episcopis Rom. potestatem. nam non sunt illi summi ecclesiæ rectores, quibuscum omnes fideles communicant. sed quia tum episcopi Rom. fideles erant, idcirco *Satyrus* cum eis communicabat. 7 *In orat. in Satyr.*

In libris de 1 sacramentis, profitetur se Ambrosius *ecclesiam Rom. velut typum sequuturum.* Sed aliud est typum esse; aliud, summum rectorem. Sanè si episcopi Rom. summi essent ecclesiæ moderatores; nusquam 1 *Lib. 3. c. 1.*

ab eorum institutis liceret discedere. At Ambrosius ostendit se eorum legibus non teneri. *In omnibus*, [2] inquit, *sequi cupio ecclesiam Rom. sed tamen & nos homines sensum habemus. ideo quod alibi rectius seruatur, & nos recte custodimus.* vnde constat pontificem Rom. nullum eo tempore imperium habuisse in Ambrosium. Bellarm. solicitè hoc loco quærit, quid sibi hoc loco velit, vbi dicit, *in omnibus.* sed frustra. nam siue omnia necessaria intelligat, siue secus; certum est subditos non fuisse, qui legibus episcoporum Rom. non tenebantur.

[2] *Ibidem.*

Hieronymus epistolam ad Agenchiam de monogamia nullam scripsit. malè ergò [3] Bellarm. locum signauit. In epistola ad Gerontiam dicit *se in chartis ecclesiasticis iuuisse Damasum, & orientis & occidentis synodicis consultationibus respondisse.* Sed ineptus sophista non animaduertit his verbis euerti pontificum Rom. monarchiam potius, quàm stabiliri. Nam si episcopi vbique leges ferre possent in synodis, & eas Damasus probauit; tum summa potestas in synodis erat, & non in Damaso. ad summum enim pertinet magistratum, leges ferre. Præterea, non aliter fecit Damasus, quàm Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, & alii illustres episcopi, quorum tamen summa non erat potestas. omnes enim antiquitus orthodoxi episcopi per literas secum inuicem communicare soliti sunt.

[3] *Col. 765.*

In epistola ad Damasum de nomine hypostasis, se *ouem esse pastoris Damasi* [4] agnoscit, & illum vocat *successorem Petri.* Præterea, dicit *se ipsum post Christum sequi, & Petri cathedræ communione sociari.* non tamen sequitur Hieronymũ episcopo Rom. totius orbis summum dedisse præsulatum. neque enim omnes Petri successores aut pastores summam habent in ecclesia potestatem; neque illi summi sunt, quorum sequimur sententiam; quod ex ipso probatur Hieronymo, qui episcopum [5] Eugubinum Romano æquauit, & Romanæ ecclesiæ mores [6] contempsit, & singulas ecclesias suis rectoribus niti dixit. At inquit Bellarm. *sedes Romani pontificis à Hieronymo fundamentum sit eius domus,*

[4] *Hieron. in epist. ad Damasum de nomine hypost.*

[5] *In epist. ad Euagr.*

[6] *Ibidem.*

& nauis,

& nauis, quæ est ecclesia vniuersalis. At hoc nisi profligatæ impudentiæ esset, nunquam dixisset. nam vbi dicit, *super illam Petram ecclesiam ædificatam esse scio*, non de pontificibus Rom. loquitur, sed de Petra immobili, super quam Christus fundauit ecclesiam. Quid Erasmus de pontifice Rom. senserit, nostrâ non multum interest. non tamen verum est, [1] eum ex verbis Hieronymi colligere *omnes ecclesias subiectas esse apostolicæ sedi*, vt falsò affirmat Bellarm. sed certè, *vel subesse, vel nō alienas esse*: quod aduersariorum sententiam euertit. Idem etiam negat *ecclesiam super sedem Rom. ædificari*, quod Bellarmini causam iugulat. 1 *In annotat. in epist. Hieron. de nom. hypost.*

[2] Augustinus in Romana ecclesia dicit *semper viguisse Apostolicæ cathedræ principatum.* Sed quis non stultè inde concludat, episcopum Rom. vniuersæ ecclesiæ præpositum esse? neque enim, qui dignitate principes sunt, semper habent summam potestatem; nec qui aliqua in re, & respectu aliquorum prærogatiua aliqua fruuntur, omnibus simpliciter anteponēdi sunt. Constantinopolitana ecclesia parem habuit cum ecclesia Romana, ex [3] decreto concilii Chalcedonensis prærogatiuam; non tamen toti orbi præposita est. 2 *Epist. 162.* 3 *Act. 16.*

Rogat præterea Innocentium [4] Augustinus, vt *pastoralem curam in coercēdis Pelagianis adhiberet.* atq; hoc etiam reliqui faciunt concilii *Mileuitani* patres. Sed hoc non erat solius Innocentii, aliorumq; episcoporum Rom. officium. hoc enim ipse Augustinus, hoc reliqui omnes pii episcopi pro virili parte præstiterunt. & eo nomine non est dubium, quin Augustinus ad alios episcopos literas dederit, licèt pari diligentia seruatæ non sint, ac rerum pontificiarum monumenta. 4 *Epist. 92.*

In epistola 157. ad Optatum, significat *se & alios episcopos ex Zozimi mandato Cæsareæ conuenisse.* Sed mandata dant etiam, qui nulla potestate prædiri sunt, & homines priuati Zozimo nullam fuisse potestatem ex eo constat, quia appellationes ad eū fieri patres Mileuitani prohibuerunt, & quia *Donatistæ* & *Pelagiani*, episcopis Rom. inuitissimis, multa turbarunt.

Asserit postremò Bellar. [5] Augustinum fateri *Boni-* 5 *Lib. 1. ad Bonif. c. 1.*

facium celsiore fastigio praeminere, & altius praesidere. sed hoc omnium magistratuum commune est, qui tamen per totum mundum non dominantur. Praeterea, omnes episcopi in celsa specula pastorali praesident, sed agimus nos de totius ecclesiae praesidentia, & praefectura.

6 Lib. de ingratis, & lib. 2. de vocat. gentium. c. 6.

6 Prosper Aquitanus non tam episcopi Rom. quàm vrbis Romae praedicat excellentiã. *eam enim caput mũdo factam* dicit, *& arce religionis latius, quàm solio potẽstatis praesidere.* Sed non quaecunq; vrbs primum locum tenet, & cuius nomen latè diffunditur, eam in vniuersam ecclesiam imperium habere necesse est.

7 Lib. 2. de persequut. Vandal.

Dixit Eugenius apud 7 Victorem, *ecclesiam Rom. esse caput omnium ecclesiarum.* Sed hoc propter dignitatem eius ecclesiae, & non propter potestatem dixit. nam causam religionis non tantùm ab episcopo Rom. sed etiam à reliquis coepiscopis suis cognoscendam esse significat. Praeterea, hoc contra pontificem Roman. facit. nam si ecclesia Rom. caput sit ecclesiarum; tum episcopus Rom. non potest dici ecclesiarum caput, nisi caput capiti praeponere, & capita multiplicare velimus.

8 In commonitorio.

8 Vincentius Lirinensis non pontificem Rom. vt Bellar. narrat, sed vrbem Romam appellat *caput orbis.* nihil ergo facit illius testimonium ad propositum: Nam *primò*, agimus de ecclesiae, & non de orbis regimine. *Deinde* probare debet Bellar. nõ dignitatem, sed potestatem summam pontifici Rom. deberi. *Postremò*, hanc soli pontifici Rom. deberi si vincere velit; ostendere tenetur. at *Vincẽtius* cum episcopis Rom. Cyprianum & Ambrosium coniungit.

9 Lib. 11. epist. 2.

9 Cassiodorus Ioannem episcopum Roman. dicit *populo Christiano praesidere*, eumque *patrem* appellat; & *cũcta curare* dicit. Sedem denique illam *toto orbe mirabilem esse* praedicat. Sed illa praesidentia & cura limitibus ecclesiae Roman. continebatur. admiratio autem hęc potuit esse absque imperio. Non debemus denique quae ille de voluntaria dixit procuratione, ad imperium necessarium, &, vt vocãt, coactiuum transferre.

Beda-

Bedæ historia in falsarios incidisse videtur. nam quæ nunc in manibus omnium versatur, ea multum discrepat ab Aluredi versione Saxonica, vt viri docti annotarunt. Præterea, vixit ille eo tempore, quando episcopi Romani imperatorum ignauia magnam supra omnes authoritatem adepti essent. Falsum est etiam quod Bedæ nomine scribitur, [4] *Gregorium in toto orbe gessisse pontificatum.* negat enim multis in locis Gregorius se *vniuersalem esse totius ecclesiæ episcopum.* Postremò, vt in toto orbe clara esset eius pontificatus fama: non tamen sequitur eum toti ecclesiæ præfuisse. [4] *Lib.2.hist. Anglor.c.1.*

[5] Anselmus in mediis vixit Ægypti tenebris. quid ergo mirum, si *Vrbanum* appellarit *Dominum ecclesiæ*, cum se humilem esse eius seruum fateatur? [5] *Lib. de incarnat. verbi cap.1.*

[6] Hugo de sancto Victore dicit, *Apostolicam sedem cunctis in orbe terrarum prælatum esse ecclesiis.* sed præponuntur, qui excellunt, non tantùm, qui potestatem habent supra alios. Præterea, non multum fidendum est *Hugoni*, qui se pontificis Rom. nutui iam mancipauerat. [6] *Lib.2.de sacrament. part.3.c.15.*

7 Bernardus Eugenium appellat *sacerdotem magnū, summum pontificem, principem episcoporum, hæredem Apostolorum*, eique *vniuersum gregem commissum* dicit. Sed iam pontifex Rom. regnum suum confirmarat. Præterea, vt omnia hæc ei tribuat; dominatum tamen & absolutam ei potestatem negat. *Forma,* [1] inquit, *apostolica hæc est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio.* Et postea, licèt quandam ei præfecturam tribuat; hanc tamen longè à monarchica potestate ab esse ostendit. *Præsis,* [2] inquit ille, *vt prosis: præsis vt fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. ad quid? vt des illis escam in tempore.* liberè denique eum sæpe reprehendit: quod summa potestas, quam nunc sibi vendicant pontifices Rom. non patitur. 7 *Lib.2.de consid. ad Eugen.* [1] *Ibid.* [2] *Ibid. lib.3.*

Postremò, [3] Valentinianus *locum iudicandi de fide, & sacerdotibus, episcopis Rom. tribuit, quoniam eis principatus sacerdotii ab antiquitate collatus est.* Sed parum ille Bellarm. causæ confert adiumenti. nam hæc iudi- [3] *In epist. ad Theodos. inter praamb. ad cōc. Chal.*

candi potestas ab imperatore pōtifici collata, & principatus ab antiquitate concessus, ostendit primatum pontificis Rom. ab hominibus esse, & non à Deo. Deinde, lōgè alius est principatus iste & primatus, quem patres ei detulerunt, ab eo quem Bellar. probandum suscepit. Illi prærogatiuam loci, ordinis, & dignitatis episcopo Rom. concesserunt: iste regnum, & infinitam supra omnes potestatem ei concedi postulat. sed hanc patres ei nunquam dederunt. Quare ex malitia aduersariorum hoc nos percipimus boni, quod vniuersalem pontificum Rom. supra omnem ecclesiam potestatem ex patrum testimonio, & aduersariorum pene cōfessione intelligimus nouam esse, & iniquam. neque enim dubium est, quin omnia patrum scripta curiosè inuestigantes, eius apud illos probationes reperissent, si aliquid huiusmodi antiquitas probasset.

Quintum Bellar. argumentum, ab origine & antiquitate primatus petitum, refellitur. Cap. IX.

[1] *De præscr. aduer. hæret.*
[2] *Lib. 4. cōtr. Marcion.*

Omnis interpolatio, inquit [1] Tertullianus, *posterior credenda est.* Idemq; [2] dicit, *id verius esse, quod prius; id prius quod ab initio; id ab initio, quod ab apostolis est.* Rectè ergo nos conclusimus primatum pontificis Rom. non esse legitimum, quia variè confictus & interpolatus est, & apostolos authores non habuit. Malè autē Bellar. à Christo eius originē ducit, qui temporis processu incrementa capiens, non ante quadringentos aut quingentos annos plenum robur adeptus est. sed videamus tamē hominis acumen, & argumenta eius excutiamus.

[3] *Lib. 2. de pont. Rom. cap. 17.*

Antea se ex *iure Diuino, & conciliorum & pontificum Rom. & patrum authoritate* [3] dicit *pontificis Rom. principatum demonstrasse, idque,* vt ipse loquitur, *ostensiuè.* nūc autem altero argumento, quod ipse *ad impossibile ducens* vocat, idem probare conatur. Sed vt antea, ostensiones eius obscuras, & insulsas, & ridiculas esse ostendimus; sic ex argumento hoc *ad impossibile ducente*, ipsum vnum τῶν ἀδυνάτων suscepisse constabit. Asserit

[4] *Ibid.*

[4] *Christum esse authorem papatus, quia nullum tempus assigna-*

assignari, nullus author notari potest. quin antiquior sit primatus. Sed duo sunt huius argumenti vitia insanabilia. Primò, non est necesse Christum authorem fuisse eorum omnium, quorum authores ignorantur. Nam quo authore mysterium iniquitatis, de quo [3] apostolus loquitur, operari cœpit, incertum est. certum est tamen Christum non fuisse eius authorem. 3 *2. Thess. 2.*

Præterea, multæ hæreses & corruptelæ in ecclesiam irrepserunt, quarum authores ignorantur, quæ tamē nec Christi temporibus ortæ sunt, nec bonos authores habuere. Exemplo sint errores de idolorum, & angelorum cultu, & hæreses circa Christi diuinitatem, & humanitatem, & multa alia perniciosa in ecclesiam introducta dogmata, de quorum origine inter viros doctos multa disputantur.

Secundò falsum est, *non posse tempus assignari, & authores papatus notari post apostolorum tempora.* omnis enim potestas legum ferendarum, & abrogandarum, item suprema iudiciorum potestas, præterea dispensandi, & prouidendi summa facultas, & regnum illud, quod multos annos in ecclesia Dei exercuerunt pontifices Romani, nouum & inauditum erat ante Gregorii septimi tempora. atque hoc, ne longiùs abeamus, docet Bullarium pontificum Rom. quod à Gregorii septimi temporibus legum & constitutionum pontificiarum farraginem incipit; & ius pontificium in decretalibus comprehensum quod omne Gregorio 7. recentius est.

Præterea, primatus episcoporum Rom. qui longè minor est quàm papatus, partim à conciliis generalibus, partim ab imperatoribus & principibus, partim à consuetudine populorum originem habuit. Concilii Niceni patres limites prouinciarum secundum vetustum morē definiuerunt. *Mos antiquus,* [4] inquiunt illi, *perduret in Ægypto, vel Libya, vel Pentapoli, vt Alexandrinus episcopus horum omniū habeat potestatem, quoniā quidem & episcopo Rom. parilis mos est.* à more ergo populorum primùm suam habuit potestatem episcopus Rom. 4 *Can. 6.*

Vrbis episcopum, [5] inquiunt patres Constantino- 5 *Synod. Cōstantin. 1. c. 3.*

poli congregati; *habere oportet primatus honorem post Romanum episcopum, propterea quod sit noua Roma.* Hoc
1 *Lib.5.c.8.* etiam [1] Socrates confirmat. *Eodem,* inquit ille, *tempore decretum fuit, vt episcopus Constantinopolitanus, proximè & secundùm episcopum Rom. primas propterea obtineret, quòd illa ciuitas noua Roma esset appellata.* τῷ θρόνῳ
2 *Can.28.& act.16.* τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, [2] inquiunt patres Chalcedonenses; διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα.

3 *Can.3.* *Renouantes,* [3] inquiunt patres concilii Constantinopolitani 2. *quæ à centum quinquaginta patribus, qui in hac vrbe conuenerunt, & sexcentorum triginta, qui Chalcedone congregati fuerunt, instituta sunt, definimus, vt Constantinopolis sedes parem habeat dignitatem sedi antiquioris Romæ, & in ecclesiasticis negotiis æquè atq; illa magnificetur, cum sit post ipsam secunda. Post eam autem Alexandrinæ Magnæ vrbis, & post hanc Hierosolymorum episcopus sedeat.*

Similiter synodus Ephesina limites certos metropolitanis episcopis præscripsit, & eos sub graui pœ-
4 *Can.8.* na seruari mandauit. *Placuit,* inquiunt [4] patres Ephesini, *sanctæ & Oecumenicæ synodo, vt singulis prouinciis pura & inuiolata, quæ iam inde ab initio habent, sua iura seruentur, vt vnusquisque metropolita secundùm priscum & solitum morem, rerum faciendarum æqualiter facultatem obtineat, proprium que suum ius firmum possideat.*

5 *Constantinus dist. 96.* Asserunt etiam Papistæ *imperatorem* [5] *Constantinum priuilegium contulisse Romanæ ecclesiæ pontifici, vt in toto orbe pontifices vel sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut iudices regem.*

6 *In Bonif.3.* Platina [6] scribit Bonifacium à Phoca impetrasse, vt *ecclesia Rom. caput esset omnium ecclesiarum.*

Imperator verò Iustinianus accuratè rem diffini-
7 *Nouel.131.* uit. *Papa Rom.* [7] inquit ille, *prior omnibus episcopis & patriarchis sedeat, & post illum Constantinopolitanus.* vnde constat quicquid priuilegii Romani episcopi habuerunt, hoc omne à patrum decretis, & principum donatione profectum esse, & illud temporis diuturnitate robur acquisiuisse. Hoc etiam quodammodo epi-

do episcopi Romani, & ipsi aduersarii fateri coguntur. [8] Gregorius enim primus nomen vniuersalis episcopi repudiat, & illud ab omnib. suis prædecessoribus recusatum fuisse dicit. [9] *Æneas Syluius* ante concilium Nicenum *paruum respectum ad ecclesiam Rom. habitum fuisse* scribit. [10] Bernardus conquestus est, quod *à pontificib. Rom. truncarentur, & demembrarentur ecclesiæ*, & propterea principes, & synodi complures contra pontificum prouisiones, & rapinas, leges ediderunt.

[8] *Lib. 4. epist 32. 34. 38. & lib. 7. epist. 30.*
[9] *Epist. 288.*
[10] *Lib. 3. de consider.*

Præterea, historiæ ecclesiasticæ ostendunt pontifices Rom. ex paruis initiis profectos, quasi gradib. quibusdam ad hanc quam nuper habuerunt potestatis amplitudinem peruenisse. A Iustiniano, & Phoca, & synodorum decretis obtinuerunt super episcopos cæteros primatū. Armis Gregorius 7. Paschalis 2. Alexander 3. Innocentius 3. Gregorius 9. & Innocentius 4. debellarunt imperatores. [1] Machiauellus *partim armis, partim censuris & indulgentiis potestatem adeptos* significat. Cùm armis & censuris adiunxêre etiam mendacia, & fraudes. commentitiis enim editis scriptis, & instrumētis corruptis, gloriam sedis Rom. amplificarunt. Hinc donatio Constantini, & Ludouici pii fluxit, multaq; alia falsa instrumēta. Multa pii principes eis donarunt: nonnulla ipsi partim vi, partim fraude acquisiuerunt. [2] Bonifacius 9. in dissidio ciuium Rom. vrbis dominium inuasit. Alii pontifices fraude in regnum Neapolitanum, Anglicum, & alias prouincias manus iniecerunt.

[1] *In hist. Florent. ad Clemen. 7. lib. 1.*
[2] *Theodoric. à Niem. lib. 2. de schism. & Laurent. Vall. contr. donat. Constant.*

Postremò, tantùm abest, vt à Christo papalis dominatio instituta fuerit, vt eam disertè ipse interdixerit. Vetuit enim ille apostolos; & apostolorum successores, instar regum gentium dominari. *Reges gentium,* [3] inquit Christus, *dominantur eis, vos autem non sic.* atq; hæc Bernardus de acerba pontificum Rom. dominatione dici intellexit. *Planum est,* [4] inquit ille, *apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & vsurpare aude, aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. planè ab alterutro prohiberis.* Petrus etiam vetuit episcopos & pastores in clero dominari. *non dominantes,* [5] inquit

[3] *Luc. 22.*
[4] *Lib. 2. de consid. ad Eugenium.*
[5] *1. Petr. 5.*

ille, *in clero* Sed quid nos argumenta ad nostram sententiam confirmandam conquiramus, cum satis sit ad Bellar. argumentū diluendum, quod ille nihil probat? Dicit *papatum à Christo esse*: sed nihil ex scripturis, nihil ex patribus, nihil ex historiis affert. imò nulla firma ratione illud confirmat. Quid, quod nec argumētis nostris respondet? quid ergo dicit, vt non planè lectores suos lusisse videatur?

6 Col. 769. 6 Disputat quidem contra eos, qui papatū vel ab apostolis, vel à conciliis, vel à Cardinalibus, vel ab imperatoribus profectum putāt. Sed quorsum ista? nam se vt à nullo istorum originem habuerit; non tamen sequitur à Christo extitisse. potest enim à diabolo esse: idq; multò credibilius est, quàm quod à Christo fluxit. nam 7 *aduentus antichristi est secundùm operationem Satana* & 8 *draco dabit potestatem bestia*, hoc est, diabolus pontifici Rom. qui verè antichristus est.

7 2. Thess. 2.
8 Apoc. 13.

Præterea, non potest eorum sententiam refellere. qui primatum pontificum Rom. ab hominibus fluxisse contendunt. Profert quidem 9 Gelasii testimoniū, qui dicit *ecclesiam Rom. nullis synodicis constitutis, sed euangelica voce Domini primatum obtinuisse*. Sed dum Gelasii testimonio pugnat, se planè omnibus καταγελάστιμον reddidit. quis enim vnquam audiuit hanc vocem, de qua Gelasius loquitur? quis legit nomen Romanæ ecclesiæ apud euangelistas? quis audiuit Christum de ecclesia illa loquutum esse? *Præterea*, ridiculum est postulare, vt quisquam testibus domesticis, & in causa propria testantibus credat. *Postremò*, ea dicit Gelasius quæ causam aduersariorum euertunt. his enim verbis, *Tibi dabo claues*, primatum putat ecclesiæ Rom. datum. at si hoc verum sit, tum Petrus post datum primatum Christum abnegauit, & priuilegio suo excidit.

9 In concil. 70. episc.

1 Act. 16. Ad decretum concilii 1 Chalcedonensis respondet, *non esse illud legitimum: factum enim esse absentibus legatis pontificiis, & Leone 1. reclamante*: & *præterea continere duo mendacia, nempè quod primatus à patribus Nicenis datus sit pontifici Rom & hoc propter vrbis amplitudinem.* Sed nisi os haberet ferreum, & frōtem adamantinam,

nunquam sibi potiùs neganti, quàm tot venerandis patribus decretum legitimum esse affirmantibus credi postularet. Præterea, non tantùm patres Chalcedonenses, sed etiam [2] Constantinopolitani hoc decretum probarunt. Rationes autem Iebusitæ istius infirmæ sunt. nam licèt abfuissent legati, & *Leo* primus reclamasset; non tamen ex duorum, aut trium reclamatione decreta synodorum suspenduntur, aut infirmantur. Valet enim sententia, in qua plures numero fuerint sacerdotes, vt docent patres [3] Chalcedonenses, idq; authoritate concilii Niceni. Nec obstat synodi [4] Nicenæ secundæ constitutio, *quod nullum decretũ sit legitimum, quod sine pontifice Rom. aut eius legato fit.* nam hoc intelligere debemus vbi pontifex Rom. non est legitimè vocatus. deinde, synodus hæc idololatrica nullam meretur fidem.

[2] *Synod. Cõstantinop.* I. *c.* 3. & 2. *c.* 3.

[3] *Act.* 16.

[4] *Act.* 6.

Præterea, non patres synodi Chalcedonensis, sed Bellar. mentitur, idq; satis impudenter. nam præsentibus *Leonis* legatis, & reclamantibus, decretum illud [5] factum est, quod negat Bellar. & non reclamauit, aut impugnauit illud decretum Leo, quod iste affirmat. imò, licèt hoc ipsi displiceret, non tamen ausus est cõcilii decretum improbare.

[5] *Act.* 16.

Sunt etiam verissima illa duo, quæ hic mendax monachus dicit esse manifestò falsa. Nam primatum habuit episcopus Rom. ex decreto synodi Nicenæ: ita enim synodi Chalcedonensis patres affirmant, quibus potiùs credendum est, quàm vel Bellarmino, vel eius sodalibus; & eorum sententiam confirmant synodi Constantinopolitanæ patres, & Socrates, vt antea ostendimus. Verba autem illa quæ *Paschasinus* in principio [6] canonis ascripsit, nempè *quod ecclesia Rom semper habuit primatum*; aut ab ipso, aut ab aliquo alio falsario interpolata sunt, vt & omnia exemplaria canonum Nicenorum docent; & ex [1] recitatione secretarii Constantini deprehendere licet. Nec propterea sequitur pontificem Rom. primatum antea habuisse, quia apud ipsum Dionysius Alexandrinus accusatus est. nam apud arbitros, & communes amicos, & nonnunquam apud ignotos fiunt accusationes, vt si nihil

[6] *Act.* 16. *synod. Chalced.*

[1] *Ibidem.*

aliud assequantur alios accusantes, infames tamē reddant accusatos.

Similiter verum est, propter vrbis Romæ amplitudinem Episcopo Rom. delatum esse primatum. hoc enim & concilii Chalcedonensis & Constantinopolitani secundi dicunt patres, & testes etiam grauissimi affirmant: neq; vt aliter existimarint Gelasius & Leo, illis potiùs credendum est in negotio proprio testantibus, quàm tot piis & doctis viris, qui contrarium decreto suo confirmarunt.

[2] Col. 771. [2] Respondet ergo vlteriùs, *concilia quodammodo tribuisse ecclesiæ Rom. authoritatem, quia eam declararunt, & asseruerunt.* Sed concilii Chalcedonensis patres disertè loquuntur, & ostendunt ex decretis conciliorum ecclesiam Rom. primitus habuisse authoritatem; & Sozimus in concilio Africano non ex iure Diuino, sed ex concilii Niceni decreto, licèt ementito & falso, pugnauit licere ad se appellationes fieri. Nec vel Ioannes secundus aliud asserit; vel Nicolai primi priuilegia sua iactantis testimonium recipiendum est; vel vlla fides commentitiis *Symmachi* epistolis adhibēda est. Asserit etiam *ita synodos declarasse Romanæ ecclesiæ authoritatem, vt declararint filium Dei esse patri consubstantialem.* quod sanè & impudenter & blasphemè dicitur. Blasphemè, quia blasphemum est pontificis Romani primatum Christi diuinitati comparare; Impudenter, quia ex scripturis filii diuinitatem demonstrarunt patres Niceni: at ex scripturis nec ipsi demonstrarunt, nec aduersarii vnquam demonstrabunt pontificatum Rom. tantùm ostendunt se de Christi diuinitate non multum laborare, cum pari loco cum ea habeant Iebusitæ pontificatum Rom. Præterea, nō aliter declararunt primatum episcopi Romani quàm Constantinopolitani, & Alexandrini, & aliorum. at his patres primatus dedêre prærogatiuam. cur non ergo pariter ecclesiæ Rom. prærogatiuam dedisse censendi sint, præsertim cum hoc patres Chalcedonēses, disertè affirment? οἱ πατέρες, inquiunt illi, ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. Etiā in synodo quarta sub Symmacho, legimus *sedi Petri concilia singularem in ecclesia tradidisse*

potesta-

potestatem. iacet ergo commentum aduersariorum de declaratione.

Quod autem dicimus ab imperatoribus etiam pōtifices Rom. partem sui primatus habuisse, & argumēta quædam afferimus; hæc omnia [3] Bellar. dicit *facilè posse refutari.* Sed hoc dictu, quàm factu est facilius. nam de Constantino negari non potest, quin amplissimi dederit episcopis Rom. priuilegia. Ipsi aduersarii, prolato donationis cuiusdam instrumento, asserunt eum multa bona eis contulisse. Respondet Bellar. *hac donatione Constantinum nullam contulisse pontifici Rom. spiritualem iurisdictionem.* quasi verò papatus non complectatur & temporalem, & spiritualem iurisdictionem; & pontifices Rom. non arrogent sibi ex hac donatione vniuersalem vtriusque gladii potestatem. Præterea, falsum est quod dicit, *nullam pontifici Rom. datam spiritualem ditionem.* nam concedit commentitius hic Constantinus ad eum fieri posse *appellationem, & vt omnes sacerdotes ita hunc habeant pro capite vt iudices regem suum pro capite habent.* Respondet etiam *hanc donationem commentitiam esse.* quasi verò ex falsis instrumentis isti ius suum probare non soleant. Sub huius donationis colore *Papa,* [1] inquit Valla, *& ipse bella pacatis populis infert, & inter ciuitates, principesque discordias serit.* [2] dicit etiam *omnes pontifices exigere ab imperatoribus huius donationis confirmationem.*

[3] Col. 774.

[1] Contr. de nat. Const.

[2] Ibidem.

Constantinus etiam quartus [3] soluens pontificem Rom. lege, quâ petere tenebatur confirmationem ab imperatore, non mediocriter eius auxit potentiam. Respondet Bellarm. *imperatores nullum ius habuisse in confirmatione pontificis Rom.* Sed neq; hoc verū est. nam decretis suis hoc ius plures pontifices confirmarunt, & illud Gregorius primus agnouit. Atque vt nullo iure confirmationem sibi sumerent episcoporum Roman. imperatores; tamen non est dubium, eum auxisse pontificum opes, qui hoc ius remisit. *Phocas* præterea multum se dedisse putauit, quando priuilegium dedit Bonifacio tertio, vt *ecclesia Rom. caput omnium ecclesiarum diceretur*; & Bonifacius tertius

[3] Plat. in Benedicto. 2.

multum se recepisse vidit: neq; enim aliter frustra ille de re nihili contendisset.

Respondet ergo vlteriùs Bellar. *Phocam sanxisse primatum ecclesiæ Rom. declarando & asserendo, & non instituendo aliquid noui.* quasi verò non post hanc Phocæ legem pontifices Rom. vniuersales episcopi dicerentur, quod antea factum non est; & non eâdem silentium impositum sit Constantinopolitano episcopo, qui antea se vniuersalem dixit, & episcopo Rom. se præposuit. Et sanè ante hanc legem, nomen vniuersalis episcopi Rom. nusquam vsurpauit.

4 *Lib.7. epist.63.* Quod autem ante Phocæ tempora dicit 4 Gregorius, *Constantinopolitanam sedem Romanæ esse subiectam,* non ita exploratum erat, quin *Phocæ* diffinitione & lege opus esset. Iustinianus etiam *secũdùm sacrorum synodorum definitionem decreuit, sanctissimum vrbis Romæ episcopum primum esse omnium sacerdotum.* eiusq; decreti beneficio ille prærogatiuam supra cæteros episcopos obtinuit.

Certum est deniq; *Pipinum, Carolum Magnum & Ludouicum Pium* multa dedisse pontificibus Romanis. Eorum etiam exemplum imitatã est Mathildis Gregorii septimi amica, & patrimonium Petri largiter auxit. vnde constat ex donationibus principum auctum & confirmatum esse papatum.

5 *Col.776.* Respondet Bellarm. *Gregorium, & Leonem 5. & Zachariam antea in Gallia & Germania habuisse iurisdictionem.* Longam prætereà de *Pipino* exorditur narrationem, & *Childericum iustè à Zacharia depositum, & Francos rectè à iuramento fidelitatis absolutos* dicit, Caluinum etiam mendacii arguere conatur, quòd ista iniustè à pontifice Rom. perpetrata, & propterea iurisdictionem in Gallia & Germania spiritualem adeptum esse affirmet. Sed verè hæc Caluinus existimauit, & falsò & impudenter contrarium affirmauit Bellar. constat enim Childericum legitimum fuisse Francorum regem, nec hoc negat Bellar. quomodo ergo licuit pontifici Rom. verum & legitimum regem deponere? si propter ignauiam Childerici; duram legem omnibus principibus Christianis ferunt, qui eo nomine ipsos

deponi

deponi posse asserunt. Præterea, immeritò accusabatur rex ignauiæ, qui præfectorum palatii potentia à rebus gerendis excludebatur. At *omnes historici iuste depositum à Zacharia affirmant.* ita enim putat Bellar. sed falsò. multi enim rem tantùm gestam narrant. plerique verò à proceribus ipsum depositum, & Zachariam hoc eorum factum confirmasse dicunt. Et sanè non multum ad rem facit, si pontificis sententiam ipsius asseclæ & mancipia probarint: veritas enim ex lege diuina, & morib. patriæ, & non ex monachorum insulsissimorum narrationibus æstimanda est. Dicit etiam Bellar. *hoc contumeliosum esse in reges Franciæ, & imperatores Germaniæ, qui ex Pipini stirpe longissima serie descenderunt.* quasi vero turpe sit Philippo Hispaniæ regi ex Gothis descendisse, qui nullo iure Hispaniæ regnum inuaserunt; aut regibus Galliæ ex Francis ortos esse, qui armis sibi Galliam vendicarunt. Quocunque iure eorum maiores ista regna inuaserunt, illi sanè longissima præscriptione tuti sunt. Illud vero non modò turpe & contumeliosum, sed etiam valdè periculosum est, furioso pontifici, & Satanæ mancipio potestatē tribuere supra summos reges, & eius iniquissima dicta & facta defendere.

Præterea, nullo iure pontifex Rom. subditos à iuramentis suis soluere potest. est enim iuramentum maius vinculum, quàm vt ab homine solui possit. & diuina in periurio lacessitur maiestas, cui semel violatæ nec pontifex Rom nec vllus mortalis satisfacere potest. Nec ad rem facit, quod *Bonifacius Moguntinus Pipinum inunxit & consecrauit.* nam viri sanctissimi non omnia rectè faciunt. deinde meritò dubitatur, an hic sanctus fuerit.

Postremò, certum est, & *Pipinum*, & Carolum Magnum, & alios ipsorum posteros, pontificum Rom. beneficiis deuinctos, multa eis & in Italia & in Gallia contulisse: & pontifices Rom. multò liberiùs postea res ecclesiasticas in Gallia procurasse; atq; hoc verè affirmasse Caluinum.

Nec obstat quod proceres Francorum iuramenti absolutionē a Zacharia petierunt. nam fortasse ipsum

paratissimum videbant ad faciendam iniuriam, & illam ab illustri aliquo episcopo impetrare cupiebant. hoc autem iurisdictionem non tribuit, cum à quouis monacho, & presbytero, & non solùm à pōtifice Rom. fieri posse asserant.

Preterea non obstat, quod Bonifacius Moguntinus Germanicas ecclesias pōtifici subiectas esse significat. nam exigua erat illa subiectio: & eam propterea agnoscit Bonifacius, vt sibi faciliùs authoritatem conciliaret, qui legationis munus à pontifice ad Germanos susceperat. Ante Bonifacii tempora, nec episcopos per Germaniam crearunt pontifices Rom. nec leges dederunt Germanis, aut laxarunt; nec infinitam ibi exercuerunt, quam nunc sibi vendicant, potestatem.

[1] Lib. hist. Angl. 2. c. 1. Non obstat *tertiò*, quod [1] Beda dicit Gregorium *in toto orbe gessisse pontificatum.* nam hoc ipse negat Gregorius, & vniuersalis episcopi nomen repudiat. & fortasse Beda per pontificatum intelligit curam & solicitudinem, quam omnes pii episcopi habent circa vniuersam Christi ecclesiam. Atq; hoc satis est ad elidendum hoc testimonium, etiamsi locum hunc incorruptum esse concedamus; quod tamen meritò dubitamus.

[2] Lib. 4. epist. 52. Non obstat *quartò*, quod Gregorius *vices suas Arelatensi episcopo* [2] *committit*, & quasdam causas ad iudicium ecclesiæ apostolicæ referri præcipit. nam communes ecclesiæ causæ communi consilio definiendæ erant: & propter summam eius authoritatem Gregorio multa deferebantur, quæ ex lege ad eius cognitionem non pertinebant. At Bellar. ostendere debet Gregorium, quod nunc Papæ faciunt, per Galliam Papalem exercuisse iurisdictionem. cur ergo non expedit se? cur in hoc tam calido negotio adeò friget?

[3] Epist. 89. Non obstat *quintò*, quod dicit [3] *Leo, apostolicā sedem ab episcopis Galliæ consuli solitam.* nam consuluntur omnes docti & pii viri: etiam qui nullam habent supra consulentes potestatem.

[4] Lib. 3. epist. 13. Non obstat *sextò*, quod [4] Cyprianus Stephanū episcopum Rom. hortatur, *vt episcopum Arelatensem deponat,*

nat, & alium substituat. nam hoc solus *Stephanus* facere non potuit. sed synodo hoc facienti consentire potuit; & illud Cyprianus petit.

Non obstat *septimò*, quod dicit [1] Irenæus *propter potentiorum principalitatem ad Romanam ecclesiam necesse esse omnem conuenire ecclesiam.* non enim ad leges accipiendas, sed ad exemplum fidei petendum, eò conueniendum censet, atque ita & ipse Irenæus & alii Galli ad ecclesiam Rom. & alias illustres ecclesias conueniebant. [1] *Lib. 3. c. 3.*

Nō obstat *postremò*, quod dixit [2] Christus Petro, *Pasce oues meas.* hoc enim nō tantùm ad episcopos Rom. sed etiam ad omnes pastores ex æquo pertinet. Cum ergo nihil afferat Bellarminus, vnde pōtificatus Rom. originē à Christo esse doceat, nec nostris argumentis, quæ eum aliunde esse ostendunt, satisfacere possit: quod ab origine & antiquitate pontificatûs Rom. ducitur argumentum, ruat necesse est. [2] *Ioan. 21.*

Ad sextum Bellar. argumentum quod sumptum est ab authoritate, quam exercuit pontifex Rom. in alios episcopos, respondetur, CAP. X.

INfirmum etiam est argumentum, quod ab authoritate quam exercuit pontifex Rom. in alios episcopos, sumptum est. Nam licèt aliquando in aliis orbis partib. episcopos vel instituisset, vel deposuisset, vel restituisset; non tamen sequitur eum totius ecclesię monarcham esse constitutum. hæc enim & synodi, & alii episcopi fecisse leguntur, quibus tamen aduersarii summam potestatem concessam negant. Præterea, ab imperatoribus episcopi & confirmati, & depositi, & restituti leguntur; quibus tamen aduersarii omnem in ecclesiasticis negotiis potestatem abrogant. Etiam episcopi Rom. ab aliis ordinati, confirmati, depositi, & restituti leguntur; & ordinatos ab aliis nec ipsi aduersarii negant. Confirmatos ab aliis ostendit Cyprianus. *Placuit*, inquit [3] ille de Cornelio episcopo Rom. verba faciens, *vt ad confirmandam ordinationem tuam per episcopos in prouincia ista positos literæ fierent.* Decreuit etiam [4] synodus Nicena, *vt episcopi, si fie-* [3] *Lib. 4 ep. 8.* [4] *Can. 4.*

ri posset, ab omnibus prouinciæ episcopis ordinarentur: sin aliqui interesse non possent, saltem literis consensum suum testarentur. Imperatores etiam olim electionem pontificis Rom. confirmarunt. *Vana*, inquit [1] Platina, *tunc habebatur cleri & populi electio, nisi etiam imperatores, aut eorum exarchi eam confirmassent.* Gregorius primus à Cæsare [2] petiit confirmationem: & hoc alii [3] pontifices probarunt, & imperator [4] *Ludouicus* lege faciendum sanxit.

Pontifices Romanos ab aliis depositos fuisse, multa exempla docent. In synodo Rom. depositus est Ioannes 13. In alia synodo, auspiciis Henrici secundi imperatoris Rom. depositi sunt Gregorius 6, Syluester 3, & Benedictus 9. Gregorium 7. exauctorauit synodus Brixinēsis, Ioannem 23 synodus Constantiensis; Eugenium 4. Basiliensis. nonnulli denique ab aliis expulsi à synodo, & imperatore restituti leguntur, vt Athanasius pulsus ab Arrianis, Liberius pulsus à *Felice*, *Leo tertius* eiectus à populo Rom. & alii nonnulli ciuium iniuria è sedibus suis expulsi.

Præterea, falsum est quod dicit [5] Bellarm. *Pontifices Rom. in toto orbe episcopos instituisse, deposuisse, & restituisse.* hoc enim primò canones Apostolorum prohibuerunt. [6] Decernunt enim *episcopos deponendos esse, qui extra terminos proprios ordinationes facerent.* Deinde, canones conciliorum [7] vetant *clericos ordinari sine cōsensu sui episcopi.* Patres verò [8] Ephesini sub graui pœna cauerunt, *ne aliquis episcopus alienam inuaderet prouinciam.* Primis denique ecclesiæ temporibus parum potuerunt. Victoris minas episcopi Asiatici [9] contempserunt. [10] Cyprianus Stephano primo episcopo Rom. cedere noluit. Arrium presbyterum Alexandrinum res nouas molientem episcopus Rom. absque synodo Nicena coercere non potuit. Iniquissimis calumniis oppressum Athanasium, aliosque episcopos iniuria affectos restituere conatus est Iulius: sed nihil ipsis [1] opitulari potuit. Imò ipsum cum Athanasio & aliis, episcopi Asiatici [2] deposuerunt. Blasphemias contra Spiritum sanctum eructauit Macedonius: malo tamen huic episcopus Rom. absque concilio mederi non

[1] *In Seuerin.*
[2] *Lib. 1. ep. 4.*
[3] *C. Agatho. & c. Adrianus. & c. in synod. dist. 63*
[4] *C. ego Ludouic. dist. 63*
[5] *Lib 2. de pont. Rom. c. 18.*
[6] *Can. 36.*
[7] *Concil. Nicen. c. 17.*
[8] *Can. 8.*
[9] *Euseb. hist. lib. 5. c. 23.*
[10] *Lib. 2. epist. 1. ad Stephanum.*
[1] *Sozom. lib. 3. c. 9.*
[2] *Ibid. c. 10.*

ri non potuit. Episcopi & presbyteri Africani à pontificibus Rom. auxilium postulantes, à sacris [1] exclusi sunt à suis, ab illis nihil auxilii impetrarunt. Innocentius primus Chrysostomi iniuriam magno animo persequi instituit; nihil tamen æqui ab aduersariis impetrare potuit. imò cum vehementius eius causam vrgeret, ipsius legati velut imperii turbatores ablegati sunt, & duriùs actum est cum [2] Chrysostomo. Dioscorus [3] Eutychem ad communionem recepit, & synodum illam iatronum Ephesi coegit, vbi Flauianus interfectus est: eum tamen *Leo* absque synodo nec deponere, nec reprimere potuit. Damnatum tãdem Eutychem cupiebat *Leó* ex monasterio eiicere, sed nihil ipse potuit. adeo afflictæ erant eo tempore episcoporum Rom. res. [4] supplicat ergo *Pulcheriæ, vt præcipiat Eutychem ab eo loco, qui Constantinopolitanæ vrbi vicinus est, longius transferri.* Antiocheni episcopi ordinationem idem irritam facere [5] conatus est. sed eius iram & Antiochenus, & Constantinopolitanus contempsit. Episcopum verò Antiochenum contra canones ordinatum plures episcopi Rom. deponere cõtenderunt: sed nec ipsi quicquam efficere potuerunt, nec eorum iræ indulsit imperator.

[1] Cyprian. lib. 1. epist. 3. & cõcil. Mileuit. c. 22.

[2] Sozom. lib. 8. c. 28.

[3] Euagr. lib. 2. c. 18.

[4] Epist. 45.

[5] Epist. 55. Leon.

Sed nihil magis refellit Bellarmini mendaciũ, quàm ipsius ineptissima disputatio. Nam licèt à Leone *Maximus & Anatholius* confirmati essent, & eam potestatem idem episcopo Thessalonicensi delegasset, & *Donatum Salicinensem* ab hæresi redeuntem recepisset; & quãuis Gregorius queratur episcopum Salonitanum se inconsulto ordinatum fuisse, palliumque ad episcopos misisset: quamuis denique vera essent ea omnia, quæ de Stephano & Nicolao primo, & Gelasio, & Sixto tertio, & Iulio primo ipse [6] narrat, non tamen sequitur, *vel in toto orbe pontifices Rom. episcopos instituisse, deposuisse, & restituisse; vel iure ea fecisse, quæ narrant historiæ.* nam extra fines istos magna erat orbis pars relicta: & soliti sunt episcopi Rom. absque vllo iure in alienam messem falcem mittere.

[6] Lib. 2. de pont. Rom. c. 18.

Præterea, multa affert Bellarm. vel aliena, vel falsa. *Maximum Antiochenum à Leone in episcopatu confirma-*

ium fuisse, atque hoc in Concilio Chalcedonensi, Act. 7. legi dicit. sed in concilio Chalcedonẽsi nihil eius habetur. Et *Paschasini* testimonium, qui dicit *Leonem Maximi Antiocheni episcopatum confirmasse*, nusquam nisi in lacera scheda repertum est. Aliud deniq; est dicere, *Maximum à Leone in episcopatu confirmatum*, vt ait Bellar. *& Maximi episcopatum confirmatum fuisse à Leone*, vt dicit Paschasinus. nam illud significat Maximum potestatem & robur accepisse à *Leone*: hoc, assensum. Verùm vt concedamus *Maximi* episcopatum confirmatum fuisse à *Leone*; nullum tamen priuilegium inde assequutus est. nam episcopatus *Leonis* ab aliis epi-
[1] *Lib.* 4. *ep.* 8. scopis confirmatus est: & [1] Cyprianus dicit *se Cornelii episcopatum confirmasse*: & mos fuit ille omnium episcoporum communis, vt acceptis literis ab episcopo nuper ordinato eius episcopatum probarent: quem morem synodus Nicena decreto suo confirmauit.
[2] *Can.* 4. decreuerunt enim [2] patres Niceni, *vt episcopi à tribus aliis episcopis ordinati, reliquorum qui absentes essent, consensum literis obtinerent*. Atque vt ordinatus esset à *Leone Maximus*, & non tantùm confirmatus; non tamen ex eo probatur vel *Leonem* vbique episcopos ordinasse, vel pontificatum habuisse vniuer-
[3] *Epist.* 54. salem. nam ex [3] *Leone* intelligimus patriarcham Constantinopolitanum ordinasse episcopum Antiochenum: cui tamen propterea primatum deberi non concedunt.

[4] *Epist.* 54. [4] *Leonis* testimonio probat *Anatholium ex episcopi Rom. fauore & assensu episcopatum Constantinopolitanum adeptum fuisse*. Sed quid si Leo episcopi Constantinopolitani fauore & assensu episcopatum Rom. adeptus
[5] *Lib.* 1. *ep.* 4. *&* 24. *&* 25. esset, quod sæpenumerò contigit, & [5] Gregorii primi exemplo probari potest? num propterea erit episcopus Constantinopolitanus totius orbis monarcha? quid, inquam, si cardinalium fauore & assensu pontifices Rom. episcopatum Rom. adipiscantur, quod nũc semper faciunt, & magna plerumq; pecunia eorũ suffragia comparant, num Cardinales erunt ecclesiasticarum rerum per totum orbem domini? quem ergo paulò studiosiorẽ causæ pontificię, non pudeat Bellarmini & harum ineptiarum? Scribis

Scribit etiam Bellarm. *Anastasium Thessalonicensem ex mandato* [1] *Leonis episcopos ritè ordinatos confirmare solitum.* sed hæc confirmatio nihil aliud erat, quàm consensus sui testificatio, quam *Leo* ritè ordinatis dari volebat, & quam omnes episcopi communiter orthodoxis episcopis dedêre. Hanc confirmationem [2] Cyprianus adhibuit in ordinatione Cornelii episcopi Rom. & eam literis suis petiit ab aliis episcopis [3] Gregorius primus. Ineptus est ergo Bellarm. si hinc summum pontificatum probari, & his copiolis tantum regnum acquiri posse putet.

[1] *Epist.* 84.
[2] *Lib.* 4. *ep.* 8.
[3] *Lib.* 1. *epist.* 24. *&* 25.

Donatum [4] *Salicinensem episcopum ab hæresi conuersum recepit Leo.* & quidni reciperet, si verè ipsum hæreseôs suæ pœnitebat? [5] *Postulauit etiam libellum fidei ab eodem ad se dirigi*: & meritò. neque enim admittere eum debuit ad communionem suam, nisi exploratum haberet, eum orthodoxam fidem tenere. Sed planè delirat Iebusita iste, si hinc summam potestatē pontificis Rom. probari putet. episcopos enim conuersos ab heresi omnes episcopi [6] Catholici, atque etiam eorum libellos recipiebant. Theodoretus libellos quib. Nestorii & Eutychis heresim anathematizabat, coram synodo Chalcedonensi legi postulauit.

[4] *Epist.* 87.
[5] *Ibidem.*
[6] *Concil. Nicen. c.* 8. *&* 19.
7 *Act.* 8.

[8] Gregorius primus ideo conquestus est sibi iniuriā fieri, quod intra fines sui episcopatus, alius contra canones episcopum Salonitanum ordinasset. sed nemo credo hinc colliget, Gregorium vbique episcopos ordinare potuisse. Neque sanè verisimile est, Gregorium hoc postulasse, vt omnes vbiq; episcopi à se ordinarentur. nihil ergo hic locus ad negotium quod in manibus est, facit. Imò, adeo abhorruit Gregorius ab hac infinita dominatione, quam nunc habent pontifices Rom. vt nec nomen vniuersalis episcopi ferre posset, nec ordinationem hanc epscopi Salonitani reprehendere auderet, si facta fuisset ex principis mandato.

[8] *Lib.* 4. *epist.* 34. *ad Constantiam.*

Ostendit etiam Bellar. *Gregorium pallia, hoc est archiepiscopatus insignia ad episcopos Graciæ, Galliæ, & Hispaniæ transmisisse.* Quasi verò non liceat munera ad amicos transmittere, aut etiam potestatem habeans

in amicos, qui ad eos munuſcula mittunt: aut denique non ſoleant piſcatores retia iacere in loco communi, vel alieno. nulla certè in ordinandis epiſcopis ex hoc facto ſingularis & extraordinaria poteſtas ad pontificem Rom. pertinere probatur.

Dicit prætcrea Bellarm. *epiſcopos Rom. Arelatenſem, Conſtantinopolitanum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum epiſcopum depoſuiſſe.* Sed multa ille mentitur, & parum fortiter concludit. Illud probatur, quia nuſquam legimus epiſcopos Rom. tantos viros è ſedibus ſuis expuliſſe & depoſuiſſe. Hoc probatur, quia ex horum depoſitione non oſtenditur, epiſcopos Rom per totum orbem terrarum epiſcopos depoſuiſſe. Deinde, quia licèt de facto iſtos depoſuiſſent; non tamē ſequitur ius eos diuinitus ſupra omnem eccleſiam accepiſſe. Vtrumque demonſtratur ex ipſis locis vnde Bellar. ſua teſtimonia hauſit. Arelatenſem epiſcopum à Stephano depoſitum [1] ſignificat: ſed neque Cyprianus illud dicit, neque verum eſt. Cyprianus tantùm Stephanum epiſcopum Rom. [2] rogat, vt literas mitteret in Galliam, *quibus abſente Marciano alius in eius locum ſubrogaretur.* ex quibus conſtat clerum & plebem Arelatenſem Marcianum depoſuiſſe, & Stephanum tantùm monuiſſe & conſenſiſſe. quod etiam ipſe vnà cum Stephano fecit Cyprianus. *Cui rei,* [3] inquit ille, *noſtrum eſt conſulere, & ſubuenire, frater chariſſime.* Hoc etiam ad omnes paſtores pertinere [4] dicit, *vt ſi quis hæreſim facere, & gregem Domini dilacerare cœperit, reliqui ſubueniant, & oues dominicas colligant.* Hiſpani ad Cyprianum [5] ſcripſerūt, *Martialem & Baſilidem amplius epiſcopos eſſe non debere.* non tamen hoc dabit Bellarm. Cyprianum ſummum fuiſſe more Papali pontificem.

Quid [6] Nicolaus primus, aut eius epiſtolæ author ſcripſerit, quæ ſub Nicolai nomine edita eſt, non multum laboramus. multa enim ille mendacia dixit, multaque ineptè ſcripſit: atque hæc omnia, vt diuinos honores pontifici Rom tribuendos probaret. Illud tamen quod dicit Bellarm. non ſcripſit. non enim dicit octo patriarchas Conſtantinopolitanos à pontifici-

bus.

[1] *Col. 779.*
[2] *Lib. 3. ep. 13*
[3] *Ibidem.*
[4] *Ibidem.*
[5] *Lib. 1. ep 4.*
[6] *In epiſt. ad Michaelem.*

bus Rom. depositos esse, vt habet Bellar. sed *sedis apostolicæ discurrentibus consultationibus & decretis eiectos fuisse.* vnde constat pontificum Rom.assensu, & non authoritate eos eiectos fuisse à synodo. nam *Nestorium* constat à synodo *Ephesina,* [1] *Sergium* verò,*Pyrrhum* & *Paulum*, & vnà *Honorium* episcopum Rom. à synodo sexta damnatos fuisse. [2] Liberatus & [3] Zonaras non asserunt *Anthimum ab Agapeto depositum* vt Bellarm. narrat,sed à synodo potiùs,cui interfuit Agapetus authoritatem suam synodo accommodante Iustiniano. [4] Platina dicit *Iustinianum libertate Agapeti permotum, pulso Anthimio, Menam catholicum suffecisse.* Non habuisse Agapetum summam potestatem ex Zonara cōstat. ipse enim eum à Theudato legatum ad Iustinianum missum, & mortem se æquo animo laturum dixisse, [5] scribit.

[1] *Act.*13.
[2] In *breuiar. cap.*21.
[3] *In vita Iustiniani.*
[4] *In Agapeto.*
[5] *Zonar. in vit. Iust. tō.*3.

Gelasii epistola ad episcopos Dardaniæ impudēter conficta est. eius enim author, quod Gelasius facturus non erat,apertè mentitur,vbi dicit *Dioscorum Alexandrinum authoritate sedis apostolicæ damnatum fuisse.* [6] Acta enim concilii Chalcedonensis ostendunt, eum à patribus eius concilii damnatum & depositum fuisse. & [7] Euagrius *abdicationem Dioscori per idem concilium ad eum missam fuisse, eumq; à sancto & generali concilio episcopatu abdicatum, & ab omni iure ecclesiastico penitus abalienatum scribit.* Adeo autem nihil contra ipsum profecit [8] *Leo*,vt ei anathema dicere veritus non sit Dioscorus. In has ergo angustias redactus Leo imperatori [9] supplicauit, *vt iuberet omnia in eo statu manere,quo fuerunt ante Ephesinum concilium secundum:* & ingenuè [1] fassus est *à concilio remedium petēdum esse:* ideoque *cum gemitibus & lachrymis imperatori supplicauit,vt episcoporum concilium indiceret.* Adeoque parum potuit illis temporibus Leo, vt licèt concilium in Italia indici [2] petiisset, ne hoc quidem impetrare potuerit. Mentitur etiam eiusdem epistolæ author, vbi dicit *apostolicam sedem Petrum Alexandrinum damnasse.* erat enim Petrus Athanasii successor,& vt [3] Socrates loquitur, *vir valde pius & eximius,* cuiusmodi hominem nullus pius damnaret. Petrus autem Mon-

[6] *Act.*1.& 2.
[7] *Lib.*2.*c.*18.
[8] *Ibidem.*
[9] *Epist.*24.
[1] Ibidem.
[2] *Epist.*51.
[3] *Lib.*4.*c.*17.

gus de quo Cedrenus in Basilisci vita, Alexandriæ episcopus non erat.

De Flauiano episcopo Antiocheno duo insignia
[1] Col. 779. narrat mendacia [1] Bellar. nam & *hunc à Damaso depositum, & illud Theodoretum scribere dicit.* Theodoretus
[2] Lib. 5. c. 9. verò contrarium scribit. [2] Asserit enim, *tota ecclesia*
23. *consentiente, ipsum ecclesiæ Antiochenæ præfectum fuisse.* neque vlla apud ipsum vel leuissima est alicuius depositionis à Damaso factæ suspicio. Inimicitias quidem
[3] Lib. 5. hist. fuisse inter Damasum & Flauianum scribit [3] Theo-
c. 23. doretus: sed quod depositus sit, nullum verbum facit. imò, ab imperatore dicit causam Flauiani actam, & Damasum cum eo in gratiam rediisse: quod quidem, si eum antea deposuisset, non est verisimile Damasum
[4] Lib. 5. c. 15. facturum. [4] Socrates ostendit populum Antiochenum à Flauiani communione abstinuisse. at à Damaso abdicatum non dicit. His duobus etiam tertium addit Bellar. negat enim *Flauianum antea tenere potuis-*
[5] Lib. hist. 5. *se episcopatum, quàm Damasus placatus consensisset.* at [5]
cap. 23. Theodoretus ante reconciliationem factam ostendit, & ecclesias oriẽtales, & Thracicas, & Illyricas Flauiano adhæsisse. Verùm vt deposuisset Flauianũ Damasus; non tamen propterea sequitur eum totius ecclesiæ præsulem fuisse. nam Dioscorus eum postea deposuit, & pugnis contudit, licèt non esset summus ecclesiæ moderator.

De Polychronio etiam Hierosolymitano falsum
[6] Col. 780. narrat [6] Bellarm. non enim Sixtus tertius, vt ait ille; sed synodus 76. episcoporum Hierosolymis congregata eum deposuit; idque non ex Sixti, sed ex synodi 81. episcoporum & 48. presbyterorum decreto. causa
[7] Cõcil. tom. autem in actis synodi [7] recitatur, *quod episcopos donis*
1. in Sixt. 3. *acceptis consecrasset.* quæ si iam contra pontifices Rom. valeret, omnes iampridem fuissent depositi, & à sedibus suis pulsi.

[8] Col. 780. Asserit denique [8] Bellar. *pontifices Rom. episcopos ab aliis pulsos suis sedibus restituisse. ab iis enim Basilidem, Athanasium, & alios restitutos fuisse.* Sed neque satis firmum est consequens, nec antecedens verum. *Non primùm*, quia non solùm synodi, sed etiam imperato-

res

res episcopos sedibus suis restituerunt: quibus tamen aduersarii negant in ecclesiæ regimine summam deberi potestatem. Præterea, vt episcopos quosdam restituerint; non tamen sequitur eos vbique hoc fecisse, quod tamen Bellarm. probandum suscipit. Fieri denique potest, vt contra leges & canones apostolicæ & primæ ecclesiæ istud fecerint. at Bellarmino hoc eos ex iure diuino fecisse demonstrandum erat, si pontificum Rom. potestatem ex iure diuino fluxisse contendat.

Non secundum, quia nec Basilidem, nec Athanasium, aut alium quemuis soli episcopi Rom. restituerunt. Basilidem non fuisse à Stephano restitutum cōstat ex verbis Cypriani. [1] ostendit enim, Basilide deposito, Sabinum eius loco ab episcopis Africanis suffectū fuisse: cuius ordinationē, cum Basilides oppugnare cœpisset; & Cyprianus & synodus vniuersa restitit. *Nec*, [2] inquit Cyprianus, *ordinationem iure perfectam rescindere potest, quod Basilides post crimina sua detecta Romam pergens Stephanum collegam nostrum longè positum, & gesta rei & veritatis ignarum fefellit.* constat ergo ordinationem hanc Sabini à Stephano non fuisse rescissam; imò nec potuisse rescindi. Nec obstat, quod hoc Basilides ab illo petiisset. solent enim condemnati quorumuis opem implorare, qui vel precibus, vel lege aliquid potuerunt. hoc sanè & [3] Cyprianus improbauit, & synodus sexta Africana. *Petimus*, [4] inquiunt synodi illius patres, *vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilè admittatis, nec à nobis excommunicatos, in communionem vltrà velitis excipere.*

Athanasium episcopus Rom. etsi summè cuperet, restituere nō potuit. ideo multos ille annos ab ecclesia sua exulauit. Postea verò, cum Iulius Athanasii restitutionem vrgeret, [5] ipsum Iulium episcopi Asiatici abdicarunt: *Athanasium* vero & *Paulum* ad ecclesias suas reuersos, iterum expulerunt. *Ostendunt*, inquit [6] Socrates, *si qui eorum arbitrio ecclesia fortè exacti essent, rem ab eo* (nempe Iulio episcopo Rom.) *non esse de nouo cognoscendam.* Iulius ergo suæ imbecillitatis satis conscius, ad Constantem confugit. *Cum literis*, inquit

1 Lib. 1. epist. 4.
2 Ibidem.
3 Lib. 1 ep. 3.
4 Epist cōcil. Carthag. 6.
5 Sozom. lib. 3. cap. 10.
6 Lib. hist. 2. cap. 11.

9 *Lib.1.hist.* 9 Theodoret[9], *apud episcopos orientis de rebus propter quas*
c.9. *scripsisset, nihil proficeret, causam Athanasii & Pauli ad*
Constantem retulit; atque ita Athanasius non ex decreto Iulii, sed ex decreto concilii Sardicensis, Constantio minis Constantis perterrefacto, sedem suam recu-
1 *Socrat. lib.* perauit. *Sedem episcopatus tui*, inquit [1] imperator, *tum*
2.c.16.&18. *concilii decreto, tum nostra approbatione recuperasti.* Bellarminus autem falsi conuictus est, qui Athanasium,
2 *Lib.3.c.7.* & alios à Iulio restitutos dicit. Nec obstat quod [2] Sozomenus dicit *Iulium eos restituisse.* intelligit enim eum fecisse, quod in se erat, & eos restituendos decreuisse, licèt eius decretum effectum non sit sortitum.
3 *In epist. ad* 3 Gelasius verò non scribit *Athanasium à Iulio resti-*
episcop. Dardan. *tutum*, vt dicit Bellar. sed tantùm absolutũ, quia Græcorum condemnationi non consensit. de Paulo autem & Marcello ne verbum quidem vnum facit Gelasius: tantùm abest vt eos restituerit Iulius; quod impudenter affirmat eum scripsisse Bellarminus.

Postremò, nec ipsum Theodoretũ in synodo Ephesina depositum restituere potuit *Leo* episcopus Rom. licèt hoc factum affirmet Bellarminus, & hoc maximè faciendum esse iudicasset *Leo*. nam neque ad synodum Chalcedonensem ingredi ausus est, nisi imperator ita decreuisset; neque ecclesiam suam obtinere potuit, nisi ex synodi decreto. at hoc omnino superfluum fuisset, si *Leo* ipsum antea restituisset: quod nos ex verbis concilii Chalcedonensis de Theodoreto intel-
4 *Act.8.* ligimus. *Deest*, 4 inquiunt patres Chalcedonenses, *vt sententia proferatur ab amabilitate vestra, vt cuncta sua prius, & ecclesiam suam recipiat, sicut & Leo archiepiscopus iudicauit. Leo* ergo censuit tantùm; at conciliũ Chalcedonense Theodoretum restituit. vnde facilè intelligimus maiorem fuisse concilii, quàm *Leonis* potentiam. Quod etiam clarissimè ex causa Chrysostomi demonstratur. Nam cum nihil eius causa præsta-
5 *Sozom. lib.* re posset Innocentius, *necessariam esse* 5 *dixit synodi co-*
8.cap.18. *gnitionem: eam enim solam esse, quæ huiusmodi procellarum impetus retundere posset.* Idcirco supplicat Ho-
6 *Sozom. lib.* norio & Arcadio, *vt illi concilium* 6 *indicant.* Inte-
8.cap.21. rim verò sede pulsus exulat Chrysostomus, & Inno-

centius nec synodi indicendæ potestatem habuit. at si ipse episcopos restituere potuisset, & summam potestatem habuisset; tunc sine vllis ambagibus ipsum restituisset, & vt faciunt nunc pontifices Romani, imperatoris obstinati subditos sacramento soluisset, eumque ferro & flammis persequutus esset. Quid ergo superest, nisi vt omnes agnoscant, pontifices Rom. summam non habuisse in rebus ecclesiasticis potestatem, quia episcopos per totum orbem nec ordinare, nec deponere, nec restituere potuerũt? nihil sanè causæ est, cur se iactet Bellar. ea attulisse, *quibus nemo responderit, aut respondere potuerit*: vt ex ista responsione satis liquet, & vos ex futurá hominis in hac causa taciturnitate vlterius sentietis.

Ad argumentum septimum à legibus, dispensationibus, & censuris pontificum Rom. sumptum, respondetur. CAP. XI.

VEntum est nunc ad legum pontificiarum laqueos, & dispensationum dedecus, & clauium ecclesiæ intolerabilem abusum, in quibus plenitudo posita est potestatis, quam arrogant pontifices Romani: in quos eo nomine illud Bernardi ad Eugenium quadrat, *sic factitando,* [1] inquit, *probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed iustitiæ fortè non item.* Huius turpitudinis pudet aduersarios, qui paulò sunt verecundiores: idcirco eam quantum possunt, tegunt & excusant. at Bellarminus eam iactat, & ex hac infinita potentia, quam sibi arrogant, ostendere [2] conatur pontifices Rom. summam habere suprà omnem ecclesiam potestatem. Sed variis nominibus hoc argumentum claudicat. Primò, non tantùm reges summi, sed etiam tyranni leges ferre & laxare, & pœnas irrogare solent. non satis est ergo quod ista faciant pontifices Rom. nisi iure faciãt. at Bellar. in hac disputatione nec semel quidem iuris meminit.

Præterea, non satis est ostendere pontifices Rom. leges tulisse, & laxasse, & pœnas irrogasse, nisi hoc vbique eos fecisse demõstrare possit Bellar. nam episcopi, & synodi prouinciales hæc omnia olim fecerunt. ne-

[1] *Lib. 3. de consider.*

[2] *Lib. 2. de pontif. Rom. c. 19.*

mo tamen dicet earum summam fuisse potestatem. at Bellar. nusquam ostendit vbi vniuersæ ecclesiæ vel leges tulerint pontifices Rom. vel contra leges dispensarint, vel pœnas omnibus vbique delinquentibus irrogarint.

Deinde, non satis est ostendere pontifices Rom. collapsa ecclesiæ disciplina hæc omnia potuisse, nisi eandem potestatem bonis ecclesiæ temporibus eos habuisse demonstret. at hoc Bellar. non esse in sua potestate videt. nam leges ecclesia catholica olim nullas habuit, nisi vel ab apostolis, vel à conciliis, vel ab imperatorib. Ius pontificium primus in lucem protulit Gregorius nonus circa annum Domini 1240. in Bullario legum pontificiarum originē à Gregorio septimo repetunt. famelicus iste Iebusita à Leone primo primùm incepit quærere legum pontificiarum incunabula.

Leges etiam olim abrogarunt & laxarunt vel apostoli, vel synodi, vel imperatores. Bellarminus autem dispensationum pontificiarum vestigia miserè quærēs, ad Gelasii cōmentitias, & Gregorii primi malè intellectas epistolas cōfugere coactus est. Excōmunicationis imperatorum, & summorū principum exempla ab Innocentio primo, & Nicolao primo repetit. at hoc omnino non sufficit, nisi ostendere possit, pontifices Rom. synodos excommunicare, & ipsos à nullo excommunicari potuisse: quod sanè ille, licèt multa magnificè promittat, facturus non videtur.

Postremò, in exemplis & testimoniis à se prolatis turpissimè fallitur Bellar. & alios etiam fallere conatur. [1] *Leo* primus *ab officio denuntiat submouendum & excommunicandum, quicunque contra constitutiones de natalibus ordinandorum, & vsuris clericorum venerit. Omnia* [2] *preterea decretalia constituta Innocentii & prædecessorum suorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus & canonum ordinata sunt disciplinis, custodienda esse mandat.* sed neque leges istæ *Leonis* vbique seruabantur, neque noui aliquid præter antiquam ecclesiæ disciplinam continebant, vti ex præfatione constat, vbi dicit *se molestè ferre, quoties aliqua contra statuta canonum, ecclesiasticamq; disciplinam committebantur.* Præterea, epistolæ hæ

[1] *Epist.* 1.
[2] *Ibidem.*

læ hæ *Leonis* aut confictæ sunt, aut corruptæ. Prima hæc epistola ad *vniuersas prouincias* inscripta est. scribendum autē videtur, *vicinas prouincias.* meminit etiam constitutionum Innocentii primi; sed eius nomine paucæ, aut nullæ extant genuinæ. Postremò, quæritur de iure pontificum Rom. antiquo & singulari. At *Leo* recentior est, nec quicquam fecit quod non alii episcopi in suis diœcesibus præcipere potuerunt. ipsi enim mandare possunt, vt canones seruentur; & delinquentes censuris coercere, & punire tenentur.

Profert etiam Bellar. epistolam [1] *Leonis* decretalem ad *Dioscorum*, vbi de temporibus ordinationum, & celebratione missarum quędam præcipit. sed nemo paulò exercitatior in historiis ecclesiasticis, nō videt eam impudenter esse confictam. *Dioscorum enim Alexandrinum* constat *Leoni* inimicissimum fuisse. tantumq; abfuit, vt à *Leone* leges acceperit, vt nec eius literas in concilio Ephesino secundo recitari [2] passus sit, nec cum eo communicarit. Præterea, aliena à tempore *Leonis* in istis literis continentur. neque enim duas missas vno die quisquam eo tempore recitari legit, quod tamen præcipit *Leo*; nec oblatio illo tempore sine communione celebrabatur, quod tamen ille faciendum præcipere videtur. Postremò, vt aliquid *Dioscoro* præceperit; non tamen sequitur illud vel necessariò, vel vbique seruandum fuisse.

[1] *Epist.* 81.
[2] *Concil. Chalced. act.* 1. & 2.

[3] Hilarius Papa decreuit, *nulli fas esse, vel diuinas cōstitutiones, vel apostolicæ sedis decreta temerare.* Sed hæc ille non propria authoritate, sed in cōcilio sedens decreuit. Præterea, cōciliorū acta ista aut corrupta sunt, aut malè descripta, nullamque fidem merentur. Dico *tertiò*, illum non nouas condidisse leges, sed vel veteres in vsum reuocasse, vel canones generales aliàs conditos recepisse. *Postremò*, erat concilium hoc Hilarii particulare. At Bellar. ostendere debet pontifices Rom. à primis ecclesiæ temporibus leges condidisse generales, quibus vniuersa ecclesia teneretur.

[3] *Concil. tom.* 1.

[4] Anastasius secundus, quem Bellar. iuniorē vocat, ne eū allegari putaremus qui propter hæresim de cælo tactus est, *iussa sanctæ ecclesiæ Rom. implenda esse præ-*

[4] *In epist. ad Anastas. Augustum.*

cipit. Sed nec verba hæc legis vim habent; nec erat ille epistolæ huius author vir optimus; nec videtur epistola hæc genuina esse. Pontifice enim Anastasio, Gothi in Italia dominabantur, ecclesiæ res afflictæ erant. hęc aũt epistola nusquã apud fide dignos authores reperitur. *Præterea*, eo tempore imperatores leges dedêre pontificibus Rom. & nullas ab eis acceperunt, vt ex Iustiniani legibus constat, qui post Anastasium vixit. nonne ergo egregiis armis instructus pugnat aduersatius, qui præter commentitia & suspecta instrumenta nihil profert?

1 Priuileg. Medard. post epist. Gregorii.

Gregorius primus, vel Bellarmino teste, non legem tulit, sed [1] priuilegium. testimonium enim hoc suum ex priuilegio, quod dedit Gregorius monasterio Medardi, sumptum esse fatetur. Sed multum interest inter priuilegia, & leges. Priuilegia enim dare possunt homines priuati, eaq; ad singulos pertinent. Bellar. autẽ probare debet pontifices leges dedisse, quib. populus Christianus vniuersus teneretur. Prętere a, hoc priuilegium confictũ esse videtur. neq; enim alio nititur fundamẽto, quàm monachorũ testimonio, quod parum firmum est. Ipse etiã priuilegii contextus eius redarguit falsitatem. Gregorius enim ille Medardianus minatur se *reges, antistites, iudices, & omnes seculares personas honore suo priuaturum.* at verus Gregorius nusquã tales edidit minas, sed *imperatoris iussionibus se obedientem* fore profitetur. legum ergo cõdendarum potestatem pontifices Rom. antiquitus non habuerunt.

2 Dist. 38. in c. lector. & dist. 87. presbyter.
3 In c. proposuit. de cõcess. prabendæ.
4 In l. Barbarius. de offic. pratoris.
5 C. debitus. de appell.
6 In l. sacrilegii, Cod. de crim. sacrileg.
7 Taxa pœnit.

Neque sanè antiquitus habuerunt hanc infinitam, quam nunc possident, dispensandi facultatem. Nunc [2] aiunt *Papam dispensare posse contra apostolum, & contra canones apostolorum.* Nonnulli[3] contendunt *Papam esse supra ius.* Baldus [4] dicit, *Papam esse omnia, & super omnia* Vulgò [5] asserunt *Papam de iniustitia facere posse iustitiam*: & de potentia Papæ dubitare, non [6] dubitant *quin summum sit sacrilegium.* Hinc illa infinita dispensandi non solùm in criminibus, sed etiam contra leges licentia. Nullum certè adeo nefandũ est facinus, cuius nõ illi relaxant pœnas. cũ [7] homicidis, patricidis, adulteris, Sodomitis, hominibusq; sceleratissimis

tissimis facilè dispensant. *Nulli*, inquit [6] Matthæus Paris, *deest sedes clementissima pecuniam largienti. Alexander quintus*, [7] inquit Theodoricus Niemensis, *abusiuas & exorbitantes gratias fecit.* Idem [8] dicit eum *dispensationes anomalas fecisse de matrimonio.* Neque sanè alii solent esse in dispensando verecundiores. Propter istas dispensationes *ambitiosos, auaros, simoniacos, sacrilegos, concubinarios, incestuosos, & huiusmodi hominum monstra ad pontificem Rom. concurrere solere* [9] dixit Bernardus. quid habet ergo Bellar. vnde nobis probet hāc dispensandi facultatem?

[6] *Henr. I. & Henr. 3.*
[7] *Lib. 3. de schis. c. 52.*
[8] *Ibid. c. 53.*
[9] *De consid. ad Eugen.*

Profert quidem *primò* Gelasii epistolam primam, vbi dicit *temporum necessitatem deposcere, vt prædecessorum suorum præcepta relaxet, & temperet.* sed nec epistola hæc genuina videtur; nec tam loquitur ille de dispensationibus, quæ priuilegia sunt personis particularibus concessa contra leges, quàm de legibus mutandis. *Non primum*, quia leges illo tempore pontifices nec dare poterant, nec mutare. prætereà non ea erat ecclesiæ facies temporibus Gelasii, quæ in illa epistola describitur. *Non secūdum*, quia post præfationem de relaxatione canonū, nouæ sequuntur leges & constitutiones.

Profert *secundò* epistolam [1] Gregorii ad Felicem Siculum, vbi dicit, *se dispensasse cum Anglis circa matrimonia in gradibus prohibitis.* Sed nihil ille Anglis permisit, quod non & Diuino & humano iure concessum esset. imò licèt ipse nihil concessisset, Angli tamen hoc iure vsuri fuisse videntur. Bellarm. autem ostendere debet eum dispensasse contra leges, & Christianos eius dispensationem acceptasse. debet etiam ostendere eum leges & pœnas, sicut nunc faciunt pontifices Rom. relaxare potuisse; & nullum alium orbis episcopum talem dispensationem posse concedere.

[1] *Lib. 12. epist. 31.*

[2] Dicit *postremò* Gregorium *Siculis indulsisse, vt semel in anno concilia celebrarent*: idque ex eadem epistola ad Felicem probat. Sed neque vllum eius rei est in epistola ad Felicem vestigium; neque, vt hoc ita esse ei gratificemur, hoc Gregorius rescripto aliquo fecit, sed tantùm ex conniuentia. & Siculi etiam sine eius dis-

[2] *Ibidem.*

pensatione concilium semel in anno celebraturi fuisse videntur.

Atq; hæc illa sunt, quæ summo labore ex omni antiquitate pro indulgentiis & dispensationibus pontificis Rom. probandis inuestigare potuit. quæ sanè nec summam potestatem penes eum esse ostendunt, nec dispensandi facultatem antiquam esse docēt, nec horum temporum dispensationes probant.

Censuris quidem & episcopalibus armis olim vsi sunt episcopi Romani, sed ex eo non sequitur eos summam habuisse potestatem. erat enim excommunicatio mucro episcopalis omnibus episcopis communis. Ambrosius Mediolanensis etiam Theodosium imperatorem à sacra communione [1] exclusit. Episcopi orientales Iulium primum à communione sua repulerūt. Synodus sexta Honorio primo anathema dixit. At nūc pontifices Rom. non tantùm à sacris arcent imperatores, quod fecit Ambrosius; sed etiam è regno expellunt, & sacramento soluunt subditos, ne ampliùs eis pareant: quod antiquitus episcopi Rom. fecisse non leguntur.

Dicit quidem [2] Nicephorus Innocentium excommunicasse Arcadium & Eudoxiam vxorem eius. sed neque imperium ei abrogauit, nec subditos ad rebellionem concitauit, vt nunc faciunt pontifices Rom. Prærerea, meritò suspecta est hæc Nicephori narratio, dicit enim Innocentium simul excommunicasse Arsacium iam mortuum, quod de pio episcopo non est credibile, & Theophilum etiam Alexandrinum. at si quid eius fuisset, non est verisimile & Sozomenum, & Theodoretum, & Euagrium, & Zonaram, qui Chrysostomi res gestas diligenter persequuntur, rem tantam fuisse taciturос. neque sanè scriptores pontificii tantam Innocentii fortitudinē tacuissent, si quod huiusmodi facinus fecisset. Præterea, absurdum est Innocētium iam mortuo Chrysostomo excommunicationis sententiam protulisse, quando nihil supererat remedii, & in vita Chrysostomi tacuisse: & multò absurdius est eum [3] supplicasse imperatori, qui pro imperio, vt putant isti, mandare potuit. Postremò, incredibile

[1] Sozom. lib. 3.c.10.

[2] Lib.13.c. 34.

[3] Sozom. lib. 8.c.28.

dibile est, Gothis iam Romæ imminentibus, & per totam Italiam grassantibus, Innocentium contra Arcadium imperatorem, à quo rebus afflictis non modicũ exspectabatur præsidium, anathematis sententiam pronuntiare voluisse. Verùm vt contra Arcadium excommunicationis sententiam protulerit Innocentius; non plus tamen fecit, quàm cõtra Theodosium Ambrosius. Nam quod dicit [4] Bellar. *Ambrosium hoc fecisse in ecclesia sua, cum imperator Mediolani sedem haberet; Innocentium verò imperatorem Constantinopoli existentem excommunicasse*; verum esse non videtur. nam meminisse debet, [5] *Ambrosium* propter cædem *Thessalonicæ* factam imperatorem exclusisse à sacris; & *Theodosium* non *Mediolani*, sed in oriente sedem vt plurimùm habuisse, licèt sententiam suam, si quam tulit Ambrosius, Mediolani tulisse, & exequutioni mandasse videatur.

[4] Col. 786.
[5] Theodoret. hist. lib. 5. c. 17.

Gregorius terti⁹, vt inquit [1] Zonaras, *subditos imperatoris, vnaq; ipsum synodico anathemate obstrinxit.* non ergo hinc pontificis, sed synodi potestas in imperatoris excommunicatione ostenditur. pontificis verò rebellio, & impietas [2] inde clarè probatur. eius enim authoritatem sequuti Itali, ab imperatoribus Græcis defecerunt ad Francos, legitimoq; imperatori tributa pendere in tempore maximè necessario detrectarunt. Non tamen tanta erat Gregorii impietas, quanta est recentiorum pontificum. ille enim tantùm obedire mandatis imperatoris sui detrectauit: isti reges & principes armis persequuntur, eorumque vitæ insidias struunt, & subditos aduersùs principes concitant.

[1] In Leone Isauro to. 3.
[2] Ibidem.

Lotharium regem Galliæ à communione sua fortasse exclusit Nicolaus primus. nam hoc narrant [3] Otho Frisingensis, & alii. at bannum papalem contra eũ protulisse non dicit. neque enim vllum regem ante Henricum quartum, qui à Gregorio septimo excommunicatus est, papali banno subiectum meminit se legisse. *Lego*, [4] inquit, *& relego Romanorum regum & imperatorum gesta, & nusquam inuenio quenquam ante hunc à pontifice Rom. excommunicatum.* [5] Sigebertus

[3] Lib. 6. c. 3.
[4] Idem lib. 6. cap. 35.
[5] In hist. anni 864.

non Lotharium, sed eius pellicem Valdradam dicit à Legato apostolico excommunicatam. ipsum autem Lotharium à pellice nunquam diuelli potuisse scribit. [6] Ioannes Trithemius ante Gregoriũ septimum ostendit nullum pontificem aliquem imperatorem deposuisse. ille de Henrico quarto scribens : *is à Gregorio septimo*, inquit, *excommunicatus; & ab imperio synodali episcoporum decreto fuit depositus, quamuis non curaret. Ipse autem primus est inter omnes imperatores à papa depositus.* non videtur ergo Lotharium excommunicasse more papali Nicolaus; atq; vt à sacris exclusus esset, excommunicationẽ tamẽ illam contempsit, quod satis indicat, nõ habuisse eo tempore pontifices Rom. summã potestatem. Ex istis etiam cõstat, primis ecclesiæ temporibus eos hanc principes anathematizandi potestatem sibi non arrogasse.

[6] *Chron. Hirsaug. c.* 4.

Victor Asiaticas ecclesias propter diuersam paschatis obseruationem, & quia sibi cedere nollent, à communione sua exclusit. sed hæc ipsius sententia, vt [7] testatur Eusebius, *cæteris omnibus episcopis parum placuit. Irenæus* episcopus *Lugdunensis* eum grauiter eo nomine reprehendit. *Polycrates*, vir doctus & pius, solidis rationibus hominis insaniam contudit. Asiaticæ ecclesiæ arrogantiam *Victoris* contempserunt. quæ omnia satis ostendunt, eum summa potestate in omnes ecclesias præditũ nõ fuisse. Quod etiam inde constat, quia omnes episcopi, & presbyteri, imò & Christiani in potestate sua habẽt, vtrum cum aliquo cõmunicare velint, necne. Populus [1] Antiochenus Flauianum episcopum suum à communione sua repulit. Pii episcopi ante receptas literas formatas cum ordinatis communicare non solebant. [2] Episcopi verò orientales Iulium episcopum Roman. dignitate priuarunt. At, inquit [3] Bellarm. *nulli fuerunt, qui eam sententiam irritam esse docuerunt, vel Victorem contemnendum, aut excommunicãdum esse censuerũt.* quasi verò & Irenæus, & *Polycrates* non docuerint sententiam esse irritam, & non omnes eam vulgò contempserint. Excommunicatione autem opus non erat, cum seipsum *Victor* à communione Asiaticorum segregasset. Dicit etiam

[7] *Lib.* 5. *hist. cap.* 24.

[1] *Theodor. hist. lib.* 5. *c.* 23.

[2] *Sozom. lib.* 3. *c.* 10.

[3] *Col.* 787.

Bel-

Bellarm. *Victorem prudenter egisse.* At 4 Irenæus & alii viri docti & pii acriter eum obiurgabant, *velut inutiliter ecclesiæ commodis consulentem:* quibus potiùs credendum est, quàm turpi & infami pontificis Romani mancipio, eius omnibus ineptiis turpiter adblandienti. Dicit postremò Bellarm. *Blastum eum hac paschatis obseruatione Iudaismum introducere voluisse; & propterea quartodecimanos hæreticos esse habitos.* sed nihil hoc ad causam Asiaticorum, qui Iudaismum execrabantur, & hanc obseruationem *ex Apostolorum traditione descendisse* 5 confirmabant. Nugas ergo agit Bellar. neque vel ex legibus, vel legum relaxationibus, aut censuris aliquid in rem sui pontificis afferre potest argumenti.

4 *Euseb. hist. lib. 5. c. 25.*

5 *Euseb. lib. 5. hist. c. 23. & 24.*

Ad argumentum octauum, quod ex vicariis papæ concludit papam Christi esse vicarium generalem. respondetur. CAP. XII.

OMnem vel leuissimam argumenti ansam arripit Bellarm. vnde pontificis Rom. primatum confirmet. ita homines in submergendi periculo constituti, in quiduis obuium manus iniiciunt. Hic ille, *ex eo quod vicarios suos in variis regionibus habere solitus est, eum summam habuisse potestatem existimat. Ex eo enim intelligi prouincias regi alicui esse subditas, quia in eas suos mittit præsides, & proreges.* Sed nullo negotio hoc argumentum dissoluitur. Nam vt Turca in Hungariam, & Mæsiam, & alias hominum Christianorum regiones suos duces & præfectos mittere solet; & vt Romani olim suos prætores in alienas misêre prouincias, totius orbis imperium animo præcipientes: sic etiam pontifices Rom. totius orbis imperium ambitiosè meditantes & affectantes, nuntios suos & legatos circa vniuersum mundum mittere soliti sunt. Mittunt etiam in Angliam & Germaniam sicarios & veneficos, qui optimorum principum vitis insidiantur. sed vt nec Turcæ propter suos Begos & Bassas aliosq; suos præfectos; nec Romani propter suos prætores & imperatores totius orbis domini erant; sic nec pontifices Roman. ex suis vicariis, quos nullo iure in alienas prouincias miserũt, totius ecclesiæ rectores cẽsendi sunt.

Præterea, si summæ potestatis indicium sit, in toto orbe vicarios habere: tum certum est, serò admodum, & non nisi post disciplinæ apostolicæ summam perturbationem, pontifices Roman. summum in ecclesia imperium adeptos esse. serò enim pontifices Rom. & diu post apostolorum tempora vicarios suos in variis & longinquis regionibus habere cœperunt. Quod, ne longè quæramus, ipsius Bellarmini testimonio confirmatur. nullum enim vestigium alicuius legati, aut vicarii papalis ante *Leonis* primi tempora reperire potuit.

Nos autem aliquot secula post Leonem vicarios istos in alienas prouincias trāsmitti cœpisse credimus. In Angliam nullus venit cum potestate vicaria legatus ante Henricum secundum, qui circa annum Domini 1155. regnare [1] cœpit. In Africam quidem venêre à pontifice nuntii, siue executores; sed turpiter repulsi sunt ab vniuersa synodo Africana. *Executores clericos vestros*, [2] inquiunt patres Africani ad pontificem, *quibuscunque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum fastum seculi in ecclesiam videamur inducere.* Postea quidem cum inualuisset pontificis Romani tyrannis, missi quidem sunt legati & nuntii: sed eorum aduentus nulli fuit gratus, aut auspicatus. *Ita debacchantur*, inquit [3] Iohannes Sarisburiensis, *eius legati, ac si ad ecclesiam flagellandam egressus sit Satan à facie Domini.* Fridericus imperator eos ex Germania exclusit, eiusque rei graues reddit rationes. *Cardinalibus vestris*, [4] inquit ille, *clausæ sunt ecclesiæ, & non patent ciuitates nostræ; quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores; non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores.* Angliam ita expilarunt pontificis legati, vt [5] Matthæus Paris *eam factam esse dicat quasi vineam expositam omni transeunti.* [6] asserit eos, *non populi deuotionem, sed marsupia quærere denariorum.* Cum sæpiùs procurationes inauditas flagitarent, responderunt episcopi Anglicani, *Romanam importunitatem toties exhausisse bona ecclesiæ, quod nullo modo tolerarent.* Temporibus Henrici 7 quinti imperatoris, grassante pontifice contra ecclesiam, legatos ipsius ad se missos

1 *Matth. Paris in Henr. 2.*
2 *Synod. Carth. 6. epist.*
3 *In Polycr.*
4 *Epist. Frideric. I. ad Adrianum 4.*
5 *In Henr. 3.*
6 *Ibidem.*
7 *In Henr. 3.*

recusauit [8] ecclesia *Leodiensis*, & rationem hanc allegauit, *quia ad ditanda marsupia discurrebant, & quia ab eis proueniebat*, vt ipsa dicebat, *non morum correctio, non vitæ emendatio, sed hominum cædes & ecclesiarum deprædationes.* Benedictus duodecimus rogatus vt nouos cardinales crearet, [9] *dixit quidem se id libenter facturum, modò nouum mundum creare posset; nam hunc, qui iam existit vix præsentibus cardinalibus sufficere.* tanta erat legatorum cupiditas & rapacitas.

[8] In epist. ad Paschalē 2.

[9] Engelhusius.

Responderi etiam potest argumentum hoc, ex alio capite nihil valere. nam vicarios & actores suos non tantùm reges & principes, sed etiam homines priuati in alias regiones mittunt. [1] Rabirius Posthumus amicos suos & actores *in negotium misit, partes dedit, in pluribus prouinciis eius res versata est.* Marcus Crassus misit suos libertos & vicarios ad *defœnerandas & diripiendas prouincias*, vt [2] ait Cicero. [3] Habent etiam & serui lautiores suos vicarios. Quid ergo magnum habent, qui se dicunt seruos seruorum, si procuratores habeant & negotiorum gestores in variis prouinciis? num propterea summi sunt ipsi ecclesię rectores?

[1] Cicero pro Posthumo.

[2] In parad. quod solus sapiēs dives.

[3] Plautus in Asinaria.

Respondeo postremò, primos episcopos Romanos nullos habuisse vicarios cuiusmodi nunc in orbem terrarum circummittunt recentiores pontifices. nullos certè per orbem miserunt, qui vel lites excitarent, vel bella conflarent, vel pecunias cogerent, vel principibus optimis insidiarentur. imò nullos diu habuerunt in alienis prouinciis legatos, vel negotiorum suorum actores. *Vices quidem sui moderaminis* delegat [4] *Leo* episcopo Thessalonicensi: sed nullo alio nomine, nisi vt antiquos ecclesię canones seruari procuraret, & vt ipse seruaret. quod etiam vel Constantinopolitanus, vel Antiochenus, vel Alexandrinus episcopus mandare potuit. potuêre etiā eo nomine actores in omnes partes dimittere inferiores episcopi. omnibus enim episcopis, & præcipuè patriarchis, cura incumbebat, vt canones ecclesiæ integrè custodirentur. Idcirco Alexandrinum concilium *Asterio orienti, &*

[4] Epist. 84.

Eusebio occidentis procurationem [5] *iniungit.* nullam autem huic suo actori episcopus Rom. dat potestatem episcopos consecrandi, beneficia conferendi, aut reseruandi, aut in casibus papæ reseruatis dispensandi. Præterea, non misit in Græciam vicarium, vt nunc faciunt pontifices, sed episcopo Thessalonicensi negotiorum suorum procurationem commisit. Deinde, eius vicarii potestatem nec agnouêre Græci, nec curarunt. Postremò, epistolæ hæ *Leonis*, vt sæpe admonuimus, meritò suspectæ sunt. nam in posterioribus editionibus plures sunt, quàm in prioribus: & videntur illæ à temporum illorum moribus & statu longè discrepare. Cui enim credibile videtur, *Leonem*, qui nec vnum [1] monachum è claustro eiicere, nec furorem hominum leuissimorum aduersùs synodum Ephesinam & Chalcedonensem oblatrantium compescere potuit, & in omnibus ab imperatoris nutu pendebat, vt Socrates & Sozomenus testantur; leges pro arbitrio præscripsisse, & per vicarios suos regnum exercuisse?

5 Ruffin. lib. hist. 1. c. 19.

1 Epist. ad Pulcheriam, 45.

Huius quidem rei nullum extat apud authores fide dignos vestigium. nam quod [2] concilium *Sardicense* vetat clericos diutiùs Thessalonicæ moram facere, nihil ad *Leonem* attinet. ibi enim fortasse synodi celebrabātur semestres, & litibus clerici ex mora illa nimium assueuerunt. iam verò instrumentis domo productis, & testibus in propria causa testantibus, nemo fidem adhibere tenetur.

2 Can. 20.

Potentio episcopo Africano Leo non imperiū [3] dedit, *sed vicem suæ curæ*, vt ipse loquitur. Non inquam, dat potestatem dispensandi, vel negotia finiendi, sed tantùm inquirendi; cuiusmodi potestatem quiuis episcopus habet. Nec sanè impedire potest pontifex Rom. quo minùs nos aliquos Romam mittamus, qui quid ibi occulti concilii capiatur, quidque mali misceatur, inquirant. Miserunt etiam à latere suo aliquando pontifices Rom. nuntios, qui se in negotiis Africanorum intromiserunt sed hoc episcopi Africani diu non tulerunt. *Vt aliqui*, [4] inquiunt concilii Africani patres ad pontificem Roman. *à tuæ sanctitatis la-*

3 Epist. 87.

4 Synod. Carth. 6.

tere

tere mittantur, nulla inuenimus patrum synodo constitutum.

Celestinus nullam tribuit Cyrillo authoritatem, sed tantùm vices suas & suffragium in synodo Ephesina. hoc autem omnes episcopi, qui synodis interesse non possunt, facere solent. 5 Nestorii autem causam, etiamsi nihil Celestinus mandasset, patres concilii cognouissent. Dicit etiam Bellarm. *Celestinum vices suas commisisse Cyrillo etiam in Constantinopolitana ecclesiá regenda, episcopo deposito:* quod plane dictu ridiculum est. illam enim ecclesiam nec Celestinus, nec Cyrillus regebat, licet in episcopo idoneo subrogando Cyrillus & synodus vniuersa laboraret. mādatum verò Celestini hoc nomine factum nullum proferri potest.

5 *Epist. Cyrill. ad clerũ Constantin.*

Gelasius, siue eius epistolę author quę ad episcopos Dardaniæ eius nomine transmissa est, multa ineptè, multa arroganter, multa falsò scripsit. nō tamen dicit pontificem Rom. *Acacio curam Ægypti, & depositionem episcopi Alexandrini mandasse*, vt asserit Bellarm. Neque sane verisimile est. 6 oppugnauit enim synodum Chalcedonensem, & cum Petro Mongo communicauit episcopus Alexandrinus, & corrupit pontificis Rom. legatos, vt contra formam mandatorum secum communicarent: tantum abest, vt ab iis depositus fuerit. 7 Zonaras & Cedrenus vniuersam commentitiæ eius epistolæ narrationem refellunt. ostendunt enim *Zenonem*, *Petrum Cnapheum* operâ synodi ex episcopatu eiecisse: & Petrum Mongum à monachis Ægypti fuisse eiectum; & non *Gelasium*, sed *Felicem* ab imperatore & Acacio Constantinopolitano postulasse, vt ipsi, non pontificis Rom. sed sua authoritate Alexandriâ eum eiicerent: & pontificem Rom. hoc nomine alios legatos misisse. quod autem Acacius constitutus esset episcopi Rom. vicarius, nulla est vel leuis suspicio.

6 *Zonaras in Basilisco, & Cedrenus.*

7 *In Basilisco.*

Hormisdæ etiam literæ ad Sallustium, commentitiæ esse videntur. Verùm, vt genuinę essent; nihil tamē aliud dicit Hormisda, quàm *se vices suas ei commisisse*. at vices suas aliis committere solent omnes episcopi, quando vel ipsi synodis interesse non possunt, vel ali-

quid habent negotii in aliis prouinciis, cui ipsi interesse non possunt. Nec vicarium certè in Hispaniã misisse Hormisda, nec Sallustio magnam dedisse videtur potestatem, cum Metropolitanorum iura integra seruari iubeat. nihil sanè plus fecit, quàm alii pii episcopi facere potuerunt, & soliti sint.

[1] Iustinianus primę Iustinianæ episcopo prærogatiuam defert, *vt instar Romani pontificis, siue põtificis Rom. loco, subiectis sibi ab imperatore ciuitatibus præesset.* quis non ergo miretur Bellar. impudentiam, *qui eum pontificis constitutum vicarium, & à Vigilio constitutum* [2] affirmat? nõ enim à pontifice, sed ab imperatore & potestatem, & terminos iurisdictionis accepit, vt nos nouella Iustiniani docet. *Vigilius* autẽ nihil præter consensum dedit, & ipse eadem cõstitutione sedi suæ prærogatiuam adeptus est.

[3] Gregorius primus Arelatensi episcopo suas vices commisit, sed non ad ecclesiam Galliæ regendam, vt nunc potestatem habẽt pontificis Rom. legati; sed *vt curaret catholicæ fidei integritatẽ seruari.* Similiter [4] *Leo vices suas cõmisit Anastasio*; sed non alio nomine, nisi vt dispiceret *vt antiqui canones seruarẽtur, & inuiolata maneret fides.* ad ordinandum, deponendum, excommunicandum, absoluendum, vendendum, largiendum, nullos antiquitus legatos in alienas prouincias misêrunt. Cuiusmodi autẽ legatos misêre pontifices Rom. etiam alii patriarchæ & episcopi misêre. Omnia enim patriarcharum iura æqualia erant; quod etiam [5] glossa, & iura agnoscunt. Ex Honorii & Theodosii [6] lege controuersias per Illyricum nascentes cognoscebat episcopus Constantinopolitanus. omnes episcopi ad synodos legatos & vicarios suos misêre. Asterio & Eusebio ampla [7] data sunt ad Orientales & Occidentales ecclesias mandata. Cyprianus misit in Galliam Faustinum, qui cognitioni causæ episcopi Arelatensis [8] interesset. neq; quicquam vsitatius erat, quàm vt episcopi vicini mutua sibi impenderent officia. Ex hac ergo parte claudicat Bellarm. argumentum: non docet enim episcopos Rom. aliquid singulariter fecisse.

1 *Nouell.* 131.
2 *Col.* 788.
3 *Lib.* 4. *epist.* 52.
4 *Epist.* 84. *ad Anastasium.*
5 *In c. renouantes dist.* 22.
6 *l. omni innouatione. Cod. de sacro. eccles.*
7 *Ruffin. lib.* 1. *c.* 19.
8 *Lib.* 3. *epist.* 16.

Præter-

Præterea, ex illa parte mancum est etiam, quod neque antiquitus episcopos Rom. legatos per prouincias circummisisse, neque vbique eam potestatem habuisse docet. Postremò, nihil valet, quia nusquam ostendit *Leonis, Celestini, Gelasii, Hormisdæ,* & *Gregorii* vicarios ea fecisse, quæ nunc faciunt pontificis vicarii & legati.

Nonum Bellarm. argumentum, quod ab appellationibus ad pontificem Rom. fieri solitis sumptum est, diluitur.

CAP. XIII.

A Vicariis pontificis Romani repulsus Bellarm. ad appellationum ius confugit. nam quia *ex quauis parte orbis terræ ad Romanum pontificem legitimè prouocatur, & ab eius sententia appellare non licet; idcirco eum totius ecclesiæ* [1] *colligit habere principatum.* Sed & huius etiam argumenti multa sunt vitia non facilè sananda. *Primò*, falsum est, licere ex quauis orbis parte ad pontificem Rom. appellare, neque enim ab aliis episcopis excommunicati, *Clementem*, aut *Linum*, aut *Cletum* adierunt, sed synodos prouinciales: ibi enim apostolorum [2] canones ecclesiasticas contentiones tollendas esse diffiniunt. Neque tantùm apostolorum, vt dicuntur, [3] canones, sed etiam synodi Nicenæ [4] patres disertè vetuêre *ab aliis episcopis excommunicatos* ab aliis ad communionem recipi. Postea verò, cum homines nequam iustè depositi & excommunicati in episcoporum Roman. auxilio & authoritate spem haberent: concilii [5] Carthaginensis & [6] Mileuitani patres vetuerunt appellationes ad partes transmarinas fieri. qua lege non tantùm presbyteri & inferiores clerici, vt in angustias redactus Bellarm. [7] respondet, sed etiam episcopi tenebantur. nam in epistola ad Celestinum [8] ostendunt patres concilii Africani *episcopos suis metropolitanis fuisse commissos; & non modo presbyteros, sed etiam episcopos à pontifice Roman. in communionem recipi prohiberi.*

Cyprianus episcoporũ Basilidis & Martialis ad Stephanum Rom. querimonias grauiter [9] reprehendit. eos enim *Deificam disciplinam turbasse*, qui episco-

[1] Lib. 2. de pont. Rom. c. 21.

[2] Can. 38.

[3] Can. 33.

[4] Can. 5.

[5] Can. 92.

[6] Can. 22.

[7] Lib. 2. de pont. Rom. c. 24.

[8] In synod. Carth. 6.

[9] Lib. 1. epist. 4.

pos illos ab Africanis depositos ad communionem suam recepissent, licèt à Stephano restituti essent.

Damasus disertè fatetur se post prouincialis synodi iudicium non posse iudicare. *Cum huiusmodi fuerit*, inquit [1] Damasus, *concilii Capuensis iudicium, vt finitimi Bonoso atq; eius accusatoribus iudices tribuerentur; aduertimus, quod nobis iudicandi forma competere non potest.* Respondet [2] Bellarm. *non dicere Damasum, se non posse iudicare, sed nō conuenire*: sed ridiculè. nam Damasi verba sunt euidentia & clara; & dicit disertè *nō posse sibi iudicandi formam competere*. Et vt concedamus ipsum loqui de conuenientia tantùm; tamen nō conuenit vt vnus indoctus & insulsus pontifex, vt apud istos vt plurimùm fieri solet, atque vt Papa imperitus, & longè remotus, post doctissimorum episcoporum cognitionem causam retractet. *Absurdum est enim*, vt [3] inquiunt patres Africani, *credere Deum vnicuilibet examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare.* & sanè minimè conuenit causam ibi diffiniri, vbi testes commodè haberi non possunt.

Displicuere etiam Bernardo frequentes ad pontifices Rom. quæ vndique fiebant appellationes. *Quousque*, [4] inquit, *non euigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem?* [5] Vrspergensis ex appellationibus istis infinitam litium materiam enatam significat. Pontifices Rom. eas non ipsi cognoscunt, sed ad auditores reiiciunt. atque ita tandem turbata est ecclesiæ disciplina, ius violatum, libertas omnis Christianorum euersa, & tyrannis pontificum Rom. stabilita.

Secundò, falsum est quod dicit Bellar. *nemini licuisse à pontifice Rom. appellare.* nam Christus vltimum iudicium non in vno aliquo, sed in ecclesia constituit, & [6] synodi iniuriam passis ab episcopis, ad synodos concedunt appellationes. neq; vspiam excepti sunt pontifices Romani: quod ex pluribus exemplis ostendi potest. nam *Victoris* sententiam [7] contempsère episcopi Asiatici: & *Melchiadis* iudicium declinauit [8] *Donatus*, & imperatorem appellauit.

[1] *Inter epist. Ambros. 79.*
[2] *Col. 793.*
[3] *In epist. ad Celestinum, inter acta synodi sextæ Afric.*
[4] *Lib. 3. ad Eugen.*
[5] *De temporib. Innoc. 3.*
[6] *Can. apost. 38. & synod. Nic. c. 3.*
[7] *Euseb. lib. 5. c. 23. & 24.*
[8] *Epist. August. 162.*

In cau-

In causis Basilidis, Martialis, Apiarii, & aliorum, patres Africani, iudicio episcopi Rom. neglecto, sententiam suam executioni [9] mandarunt. Iulii primi sententiam adeo [1] contempserunt episcopi Asiatici, vt ei episcopatum etiam abrogarent. nuperque Galli à sententia Iulii 2. & Leonis decimi appellarunt. Appellationis à *Leone decimo* instrumentum extat apud *Orthuinum Gratium.*

[9] *Cypr. ep. 3. & 4. lib. 1.*
[1] *Sozom. lib. 3. c. 10.*

Tertiò, vt aliquando tanta esset pontificum Rom. potentia, vt omnes vndiq; causæ per appellationes ad eos confluerent; non tamen probat Bellar. hanc potestatem eis vel ex apostolica institutione, vel ex antiqua ecclesiæ consuetudine competere.

Profert quidem *primò* duos canones [2] concilii Sardicensis, *qui episcopis depositis episcopum Rom. appellandi facultatem concedunt.* Sed nos tabulas diuinas, aut saltem apostolicas exspectabamus. ipse autem non modò nullum profert diuinum testimonium, sed nec humanum quidem, quod sit authenticum. canones enim istos meritò habemus pro suspectis. *Primò* ipsum concilium Sardicense, vt ait [3] Augustinus, *Arrianorum* erat *Apud nos*, inquit, *constitit Arrianorum fuisse concilium.* & rationem reddidit: quia in eo concilio reperit *Athanasium & Iulium improbatos*; quorum tamen maximè eminuêre aduersùs Arrianos studia. [4] *Socrates* ostendit *Sardicæ* minime cõuenisse inter episcopos orientales & occidentales, eosque seorsim conuentus habuisse, vnde constat non fuisse concilium generale. Constat denique hos duos canones ab Hosio rogatos fuisse, quem authores epistolæ quæ concilio præposita est, *delirum & impium senem vocant.* vanaq; sunt Bellarm. de huius concilii authoritate aduersùs testes tales, & talia argumenta coniecturæ.

[2] *Can. 4. & 7.*
[3] *Epist. 163. ad Eleusium & alios.*
[4] *Lib. hist. 2. c. 16.*

Secundò, qui huius concilii acta diligenter perscripserunt, nullam horum canonum mentionem [3] fecerunt. Imò in epistola quam patres Sardicenses ad omnes episcopos dederunt, nullum indicium rerum istarum reperitur.

Tertiò, apertè docent [4] patres Africani in nulla patrum synodo constitutũ, *vt aliqui à pontificis latere in*

[3] *Ibidem.*
[4] *In epist. ad Celestin. ante concil. Carthag. 6.*

thore ridiculo dignas, ab omnibus piis & doctis constat explosas esse. Dicit Gelasius ille καζαγίλαςος, *canones appellationes vndiq; ad Romanam sedem fieri voluisse, & ab ea appellationes fieri vetuisse.* Sed ridiculum caput, licèt multos prætendat, nullum tamen canonem citare potuit. Præterea, potestatem hanc suam summã pontifices Rom. non à conciliis, vt dicit Gelasius, sed à Christo profectam iactitant. absurdum est denique domesticum testem, & domesticum testimonium in re tanta producere.

Profert *tertiò* testimonium 7 *Leonis*. neque enim sine domesticis testib. aduersarii quicquam probare possunt. dicit ergo *Leo veterem esse consuetudinem in Gallia, sedem Rom. consulere, & eam appellare.* Sed *Leo* loquitur de consultationib. & appellationib. extra iudiciũ; hîc autẽ agitur de iudicialib⁹ appellationibus. Præterea, loquitur *Leo* de vna Gallia: hîc autem cõtrouersia est de appellationibus totius ecclesiæ. Bellar. ex hoc loco probari [8] putat *morem hunc appellandi Rom. pontificem fuisse ante concilium Sardicense.* sed *Leo* diu vixit post cõcilium illud: & de appellationibus propriè acceptis ne verbum quidem facit.

7 *Epist.* 89.

8 *Col.* 79.

Profert *quartò* exemplum [1] *Marcionis* hæretici; neque pudet ipsum auxilium emendicare etiam ab infimis, & deploratis hæreticis. Sed hoc exemplum ipsius causam prorsus euertit. nam cum à *Pio* episcopo Rom. petiisset ille ab excommunicatione absolutionem: responsum [2] tulit, *non posse hoc fieri absque permissione patris, qui ipsum à communione excluserat.* at si appellationem accipere potuisset; potuit etiam eum ad cautelam absoluere, vt loquuntur iuris canonici interpretes.

1 *Epiphan. in hæres. Marcion.*

2 *Ibidem.*

Profert *quintò* exemplum *Fortunati & Felicis*, qui à Cypriano ad [3] Cornelium, & Basilidis, qui ab episcoporum *Hispanorum* iudicio ad [4] Stephanum appellauit. Sed exempla hæreticorum, & hominum facinorosorum non sunt imitanda. Præterea, licèt appellarint isti ad episcopum Rom. nihil tamen illis opitulari potuit. firmum enim mansit episcoporum, qui eos deposuerunt, iudicium: quod magno argumento est, nec

3 *Lib.* 1. *epist.* 3.

4 *Ibidem epist.* 4.

ipsos ritè appellasse, nec episcopos Rom. eorum appellationes admittere debuisse, si leges ecclesiæ seruare voluissent.

Dicit sextò, *Athanasium ad Iulium primum prouocasse & ab eo restitutum fuisse.* Sed mendacium dicit, idque vetere more suo. Athanasius quidem confugit ad Iulium, vtpote suæ cõmunionis episcopum: sed sciuit se frustra eum appellaturum, qui ipsi auxilium ferre non potuit. Iulius etiam summè cupiebat Athanasium restituere: sed dum nimis se eius studiosum ostendit; ab oriẽtalibus episcopis excommunicatus est, & depositus. atq; hæc [1] Sozomenus narrat, quem frustra Bellar. testem & patronum inuocat.

[1] *Histor. eccl. lib. 3. cap. 7. & 10.*

Dicit *septimò, Chrysostomum ad Innocentium primum appellasse.* Sed euentus docuit Innocentiũ eius causam cognoscere non potuisse. neq; enim si opitulari potuisset, tam pium & doctum virum è sede sua deturbari, & in exilium pelli passus esset. Preterea, hoc ipse fassus est. dixit enim omnium malorum remedium à synodo petendum esse, ideoq; imperatori, vt synodum indiceret, supplicauit: ipse opem ferre non potuit.

Dicit *octauò*, [2] Flauianum & [3] Theodoretum appellasse Leonẽ. Sed appellatio hæc nihil aliud erat, quàm querela de acceptis iniuriis, quas *Leo* nullo modo vlcisci potuit. *Valentinianũ ergo & Eudoxiam cum multis episcopis ad genua eius prouolutus*, vt inquit [4] Liberatus, *deprecatus est, vt imperatorem Theodosium hortaretur aliam fieri synodum ad retractandum illa, quæ à Dioscoro malè acta & perpetrata fuerant in damnatione Flauiani episcopi, & orthodoxorum depositione.* Hinc constat *Leonẽ* nihil potuisse, & episcopos depositos non nisi à synodo restitutos fuisse: quod etiam ex actis concilii *Chalcedonensis* [5] probatur.

[2] *Liberat. Breuia. c. 12.*
[3] *In epist. ad Leon.*
[4] *Liberat. Breu. c. 12.*
[5] *Act. 1. & 2.*

Dicit *postremò, episcopum Thebanum Gregorium primum* [6] *appellasse, & hunc episcopum Iustinianæ primæ excõmunicasse, quia appellationi non detulisset.* Sed ostendit etiam [7] Gregorius episcopum Iustinianæ appellationẽ episcopi Thebani cõtempsisse. Præterea, erat Iustiniana prima intra fines & limites patriarchatus. Rom. Cum ergo nullum exemplũm reperire possit Bellarm. alicuius

[6] *Lib. 2 epist. 6.*
[7] *Ibidem.*

alicuius legitimæ appellationis extra fines prouinciæ & diœcesis suæ ad episcopum Rom. factæ; multò difficilius erit ostendere, appellationes vndiq; ex toto orbe Christiano ad eum factas fuisse. cur autem à pontifice Rom. nullus appellet, si vnius Gelasii testimonium excipias, nihil attulit. atque ita dum ægrè moliens nihil tamen afferre potuit, vnde intelligamus vel appellationes ad pōtificem fieri solitas, vel ab ipso fieri prohibitas; hæc Bellarmini disputatio clamitat hanc omnem tyrannidem pontificis Rom. nouam esse & iniquam.

Decimum Bellarm. argumentum, quod fundatur in eo, quod pontifex Rom. à nullo iudicatur, *refellitur,* CAP. XIIII.

MVlta de pontificis sui iudicio & potestate somniant canonistæ. [1] Antonius de Rosellis dicit eum esse *regem regum, & dominum dominantium.* Papam vulgò [2] dicunt esse stuporem mundi. *Tantùm sacerdos,* inquit [3] Orichouius, *præstat regi, quantum homo præstat bestiæ.* Papam tantum præstare imperatori dicit [4] Innocentius, *quantum præstat sol lunæ.* Iudicium eius Diuinum esse dicunt & infallibile, adeo quidem, *vt si totus mundus contra eum sententiaret, star. dum sit tamen iudicio Papæ.* Ex istis somniis, Bellar. hoc argumētum duxit. nam quia *Papæ tantam esse potentiam* [5] *existimauit, vt à nullo homine mortali iudicari posset;* idcirco concludit, *Papam supremum esse ecclesiæ moderatorem.* at hæc omnia somnia sunt & fabulæ, & germanæ, vt aiunt, nugæ.

[1] *Verbo Papa.*
[2] *In procem. Clement.*
[3] *In Chimæra.*
[4] *C. solitæ. de maior. & obed.*
[5] *Lib. 2. de pont. Rom. c. 26.*

Nos enim ostendimus *Petrum*, in cuius ius pontifices Rom. se successisse iactitāt, & alios Apostolos, quibus isti (credo) minores se esse non negabunt, regibus fuisse subiectos. *Petrus* enim [6] soluit tributum, quod subiectionis signum est. Neque obstat quod Christus etiam soluit tributum. ille enim *quod regis esset filius, immunis erat à tributo*, vt dicit [7] Hieronymus; at *Petrus* nō erat regis filius, sed seruus. Petrus etiam obedientiam præstitit regibus, & Neronis iudicium subiit. neque vnquam se ab eius imperio exemptum esse

[6] *Matth. 17.*
[7] *In Matth. 17.*

dixit. Paulus verò etiam spōte imperatoris opem implorauit. *Ad Cæsaris*, [1] inquit, *tribunal sto, ibi oportet me iudicari.* Neq; minùs doctrina quàm exemplo obedientiā summis principibus præstandam docuerunt Apostoli. *Subiecti estote,* inquit [2] *Petrus, cuiuis humanæ ordinationi.* vnde [3] Augūstinus, *hoc*, inquit, *figuratè significabat ecclesiam in omnibus sanctis eius, qui sunt ciues cælestis Hierusalem, serituram sub regibus huius seculi.* Suadet idem etiam Apostolus *Paulus* ad Romanos scribens. *Omnis*, [4] inquit, *anima potestatibus supereminentibus subiecta esto.* nec putandum est eum, vel de aliis potestatibus loqui, quàm secularibus: vel sacerdotes aut Apostolos excipere. *Primum* ex eo probatur, quia loquitur de eis, qui *gladium gestant*, & quibus *tributum penditur.* & ita veteres intelligunt. *Principes hos reges dicit*, inquit [5] Ambrosius, *qui propter corrigendam vitam, & prohibenda aduersa creantur. Secūdum* ex eo sequitur, quia generaliter loquitur; & ita etiam patres interpretantur. [6] Chrysostomus *Apostolos, Euangelistas, Prophetas, sacerdotes, & monachos* hac lege teneri dicit; eiq; suffragatur [7] Theophylactus.

Optimi etiam, & primi episcopi Rom. regib. erant obedientissimi. [8] Clemens deponēdum esse decernit, idque Apostolorum authoritate, *qui imperatorem contumelia afficeret.* Reliqui etsi acerbissima quæq; à regibus seculi paterentur, nunquam tamen vel aduersus eos arma sumpserunt, vt faciunt pontifices Romani, vel se exemptos esse ab eorum iurisdictione dixerunt. Postquam verò christianam religionem imperatores amplecti cœpissent, non alias habuêre leges Christiani, quàm quas aut imperatores tulerunt, aut concilia generalia sanxerūt. *Serenitatis vestræ apices*, inquit [9] Ioannes secundus in epistola ad Iustinianum, *reuerentia cōsueta suscepimus.* Gregorius etiam primus imperium Mauritii humiliter agnoscit. *Sacerdotibus*, inquit [1] Gregorius ad Mauritiū, *Dominus noster ita dominetur, vt etiā debitam reuerentiam impendat.* Idem [2] affirmat, *Deum se sub imperatoris manu secundùm piam misericordiam disponere.* nusquam verò recusandum [3] cēset imperatoris iudicium. neque sanè dubium est, quin de ponti-

[1] Act. 26.
[2] 1. Petr. 2.
[3] In Gloss. in 1. Tim. 2.
[4] Rom. 13.
[5] In Rom. 13.
[6] Hom. 23. in ep. ad Rom.
[7] In 13. ad Rom.
[8] Can apost. 83.
[9] L. inter claras. de sum. Trinit. & fid. cath.
[1] Lib. 4. ep. 31
[2] Lib. 4. epist. 34.
[3] 2. q. 7. si quis.

pontificibus Rom. imperatores iudicarint.[1] *Siluerium* [1] *Liberat.*
proditionis accusatum damnauit *Iustinianus.* Alio *Breuiar. cap.*
nomine *Vigilium* in vincula coniecit. Otho Ioannem *22.*
13. Henricus secundus tres pontifices deposuit Gregorium 7. Henricus quartus exautorauit. corā Theodorico Symmachus se purgauit. coram Carolo Magno Leo tertius de crimine ei intentato respondit.
Legatione etiam [2] *Agapetus* regis Theodati nomine [2] *Zonaras*
ad imperatorem Rom. functus est. *in Iustiniano tom.* 3.

Neque sanè valde cōtrouersum videtur, an episcopi Rom. conciliis subiecti fuerint. nam & Petrus ecclesiam velut summum iudicem adire [3] iussus est: & ab [3] *Matth.* 18.
apostolis legatus Samariam missus est. Neq; episcopi Rom. minùs, quàm alii, conciliorum decretis tenebātur. Gregorius enim primus non minùs se quatuor generalia concilia, quàm quatuor euangelia reuereri
[4] dixit. at nemo dubitat, quin minor sit pontificum [4] *Dist.* 15. *sicut.*
Rom. quàm euangeliorum authoritas. [5] Marcellinus
à synodo Sinuessana damnatus est. Iulio primo epi- [5] *Concil.*
scopi orientales episcopatum [6] abrogarunt. Honorio *tom.* 1.
primo synodus sexta, & aliæ synodi anathema dixe- [6] *Sozom.*
runt. Ioannem 13. synodus Rom. deposuit. Henri- *lib.* 3. *cap.* 10.
cus tertius synodo coacta simul tres pontifices de gradu deiecit. *Henricus*, inquit [7] Platina, *cum magno ex-* [7] *In Greg.* 6.
ercitu in Italiam veniens, habita synodo, Benedictum, Siluestrum, & Gregorium, tanquam tria teterrima monstra, abdicare se magistratu coegit. [8] Gregorium septimum [8] *Beno Card.*
multorum criminum condemnauit synodus Brixinēsis. Gregorio 12. & Petro de Luna magistratum abrogauit synodus [9] Pisana, eisque Alexandrum quin- [9] *Theod. à*
tum substituit. Eandem sententiam confirmauit syn- *Niem. de*
odus Constantiensis, & præterea Ioannem 23 depo- *schism. lib.*
suit; & ne quisquam de authoritate concilii supra Pa- 3. *c.* 51. 52.
pam dubitaret, suam iurisdictionem decreto totius concilii firmauit. Synodus denique Basileensis Eugenium quartum hæreticum pronunciauit, & in eius locum Amedæum Sabaudiæ ducem subrogauit.

Aduersus ista [10] Bellār. totis viribus pugnat. sed pri- [10] *Lib.* 2. *de*
mò obseruat tria, licèt ea nec obseruatione, nec lecti- *pontif. Rom.*
one digna videatur. Dicit primò *se nō disputare de pōti-* *cap.* 26.

fice, vt est princeps temporalis; nam aduersarios fateri eum, vt principem temporalem, non iudicari in causis temporalibus. Sed miror cum quibus aduersariis ille hanc pugnam instituit. nos enim negamus eum vel esse, vel posse esse principem temporalem. Nam vt Christi esset vicarius; [1] *Christus tamen suum regnum negauit esse de hoc mundo.* Idem etiam [2] vetuit suis apostolis magnas istas factiones *& imperia, instar regũ gentium.* Petrus autem negauit se vel aurum, vel argentum habere. Primi denique episcopi Rom. nullum exercuere aut habuere regnum temporale.

[1] *Ioan.* 18.
[2] *Matth.* 20. *& Luc.* 22.

Neque sanè quod pontifices Rom nunc habent, illud illi vllo iure habent. Proferunt quidem donationem Constantini: sed ipsi hanc constitutionem [3] paleam esse non negant. præterea, omnes viri docti commentitium & falsum esse instrumentum agnoscunt.

[3] *Dist.* 96. *Constantin.*

Solent etiam Pipini, Caroli Magni, & Ludouici donationes commemorare. sed neque isti regnum donasse leguntur. eorum enim posteri & in Italia, & in vrbe Roma vsque ad Bonifacii noni tempora dominatione potiti sunt.

Confugiunt ergo postremò ad præscriptionem. Sed iurisconsulti respondent, neminem posse præscribere, qui non potest capere & possidere. Pontifices autem Rom. regni non sunt capaces. non ergo, si quicquam saperet Bellar. sumendum erat hoc, sed probandum. omnes enim historici loquuntur, & res ipsa clamat, pontifices Rom. nullo iure imperium inuasisse. Verùm vt missum faciamus regnum pontificis temporale, de quo non est hîc dicendi locus; negamus illud verum esse quod obseruat Bellar. *Pontificem Rom. nimirum, ratione pontificatus, non posse, vel à concilio, vel principe seculari iudicari.* hoc ille obseruat: sed nisi validiores afferat rationes, nunquam seruabit, nec tenebit. nos enim contrarium eius iam demonstrauimus: eiusque sententiam multa vetusta antiquitatis monumenta refellunt.

Obseruat secundò *duos fuisse errores de hac re: vnum eorum, qui pontificem à principe seculari, alterum eorum,* qui

qui eum à concilio iudicari & puniri posse dixerunt. sed hæc ille de cælo nunquam obseruauit. neque sanè, vt multum sibi confidat, eos qui ita existimarunt errasse, vnquam argumentis docebit.

Obseruat tertiò, *rationem præcipuam, cur Papa iudicari non possit, esse, quia princeps est ecclesiæ totius; & quia respub. ecclesiastica spiritualis est, & proinde maior, ac sublimior quauis rep temporali: proptereaque summus princeps ecclesiæ dirigere, & iudicare potest summum principem reip. temporalis, & ab eo dirigi, & iudicari non debet.* Sed rationem hanc præcipuam nos non aliter, quàm summam & inter alias multas præcipuam delirationem habemus. quid enim stultius, aut delirãtium monachorum magis proprium, quàm illud sumere, quod summa vi negatur, & in controuersia positum est?

Rationis etiam secunda pars, quæ ipsi mirificè placet, planè infirma est, & nihil valet. Primò enim ineptè resp. ecclesiastica opponitur temporali, præsertim vbi fides christiana publicè recepta est. iidem enim sunt ciues ecclesię & reip. imò non magis in rep. imperat princeps Christianus, quoad res terrenas; quàm in ecclesia, quoad externam formam, ordinem, & iurisdictionem. ab eo enim primis ecclesiæ temporibus omnes Christiani leges acceperunt, vt[1] videre licet ex titulis *De summa Trinitate & fide catholica, De sacrosanctis ecclesiis, & episcopali audientia,* & multis aliis. Socrates ab imperatorib. ecclesię res antiquitus pendere solitas dicit. *Passim in historia,*[2] inquit ille, *propterea imperatorum mentionem fecimus, quòd ex illo tẽpore, quo Christiani esse cœperunt, ecclesiæ negotia ex eorum nutu pendère visa sunt, atque adeo maxima concilia de eorundem sententia, & conuocata fuerunt, & adhuc conuocantur.* Deinde, hoc non sequitur, *Ecclesia est supra remp. ergo ecclesiæ rectores imperium habent in reges.* nam & princeps Christianus ecclesiæ est, quoad externam iurisdictionem, rector; & falsum est omnes ecclesiæ rectores esse supra summos principes; quod tamen sequitur, si Bellarm. consequentia quicquam valeret. Postremò, patres, licèt non dubitarent ecclesiam reip. præstare, sacerdotes tamen regibus & eorum legibus subiecerunt; &

[1] *In Cod. Iustinian. lib.* 1.

[2] *Lib.* 5. *in procem.*

scripturæ, vbi reges vocāt ecclesiæ nutritios, magnam eis dant in ecclesiæ regimine supra filios ecclesiæ & alumnos eius prærogatiuam. Sed videamus acumen Iebusitæ, & genus illud argumentorum, quibus probare conatur, *pontificem Rom. à nullo iudicari posse*, degustemus.

[1] Col. 806. *Primò*, [1] profert testimonia ex conciliis. *In concilio*, inquit, *Sinuessano dicunt patres, quod prima sedes à nemine iudicabitur.* Sed neq; hoc dicunt patres eius cōcilii, sed tantùm *Helciades*, nescio quis: neque vt inter acta concilii Sinuessani hæc verba reperirentur, aliqua eis fides adhibenda esset. qui enim acta concilii descripsit, [1] dicit *adeo intolerabilem esse exemplariorum deprauationem, vt quid dicatur, intelligi non possit. Præterea*, aliud est primam sedem, aliud pōtificem iudicare. nam vt iura primæ sedis integra maneant; possunt tamen pōtifices Rō. de sede sua deturbari. *Postremò*, synodus hæc Sinuessana Marcellinum [2] iudicauit. ibi enim legimus *Marcellinum in conspectu synodi cecidisse in terram, & ibi iacentem & moram trahentem damnatum fuisse.* & sanè stultè disputarent monachi, *vtrum papa hæreticus deponi posset*, nisi de pontifice Rom. iudicare liceret.

[1] Ante synod. Sinuess. apud Petr. Crabb. tom. conc. 1.
[2] Tom. concil. 1.

[3] Can. vlt. Dicit *secundò*, [3] *synodum Rom. sub Siluestro decreuisse, vt neque ab Augusto, neque à regibus, neque ab omni clero, neque à populo iudicaretur prima sedes.* Sed neque corruptis exemplaribus fidendum est; nec actis commentitiis. Esse autem illa acta commentitia, inde constat; quia Siluester ante exitum synodi Nicenæ mortuus erat, vt dicit Beda; & colligitur ex [4] Sozomeno, & [5] Tripartita historia; qui tamē in hac synodo acta synodi Nicenæ cōfirmasse dicitur. Præterea, qui acta huius synodi [6] descripserunt, *fatētur in exemplarib. huius synodi intolerabilē esse deprauationē.* Verùm vt nulla omnino esset; tamē aliud est prima sedes, aliud pontifex Rō. vt iam dictum est. Atq; vt per primam sedem intelligamus pontificem Rom. qui aliquando non plus sapit, quam sedes lignea, aut truncus ficulneus; refellitur tamen canon iste ex argumentis, quæ diximus, & ex actis multorum conciliorū, & ex praxi ecclesiæ; vnde intelligimus multos pontifices Rom. & iudicatos, & condemnatos fuisse.

[4] Lib. 2.
[5] Cap. 1.
[6] Apud Petrum Crabb. & Carranzam.

Profert *tertiò* duo testimonia ex synodo Rom. sub Sixto tertio. ibi enim dicitur, *non licere in pontificē sententiam dicere*; & [1] Sixtus ipse dicit, *esse in arbitrio suo, vt iudicetur, & vt non iudicetur.* Sed primum testimoniũ non est concilii, sed Maximi cuiusdam. secundum non est concilii, sed ipsius Sixti. quæ sanè nihil aliud probant, quàm imperatorem hoc illi indulsisse, ne iudicaretur: quod tamen nec ipse imperator prę̄stare potuit. nam in eadem synodo & iudicatus est, & a quodam episcopo excōmunicatus. Præterea, non multũ valent testimonia ista. nemo enim in sua causa testis est idoneus. Præterea, nō valet probatio ex vitiosis exemplarib & ex domo & scriniis aduersariorum depromptis. — [1] *Can.* 5.

Quartum testimonium ex synodo Chalcedonensi quæsitum est. *ibi enim damnatum esse Dioscorum dicit Bellar. præcipuè, quod in primam sedem sententiam ferre* [2] *præsumpsisset.* Sed valde errat Bellar. si existimarit concilium illud censuisse, pontificem Rom. à nullo esse iudicandũ. nihil enim aliud reprehendit, quàm quod iniustè *Leo* damnatus esset. Dioscorum autem [3] damnarunt patres, *quia & alia crimina perpetrauit, & cōtra Apostolicam sedem latrauit, & contra Leonem excommunicationis literas facere conatus est: idque iniustè.* — [2] In *epist. ad Martian. & Valent. & act.* 3. — [3] *Ibidem.*

Quintum testimoniũ ex concilio quinto sub Symmacho petit Bellar ibi enim in libello quodā Ennodii scriptum esse dicit, *Deum sedis Rom præsulem suo iudicio reseruasse.* Sed neq; magnam meretur iste Ennodius fidem: neque negat ille, rectum esse de pontifice Rom. iudicare. synodos enim illas defendebat, quæ de Symmacho iudicantes eum absoluebant. Præterea non ita Deum pontificem suo iudicio reseruasse dixit, quin aliorum recta de eo iudicia probet. quod & ipse Symmachus suo decreto confirmat. episcopum enim Rom. *à fide exorbitantem, & pro sua iniustitia accusari posse* [4] decernit. — [4] *In act. syn.* 5. *sub Symmacho.*

Sextum testimonium ex concilio [5] Romano haustum est. ibi enim habetur *pontificem Rom. de omnium ecclesiarum præsulibus iudicasse, & de ipso nullum* Sed nec conciliũ ista dicit, nec magna est cōcilii istius authoritas. *Non primum,* quia verba sunt Adriani ad cōciliũ, — [5] *Act.* 7. *syn.* 8. *apud Carranz.*

temere & arroganter se iactantis. *Non secundum*, quia omnia tum occupabat pontificum tyrannis, & tenebræ latè per ecclesiam dispersæ erant. Verbis autem Adriani quis fidem adhibeat, cum omnes norint, de pontifice Rom. toties esse iudicatum, & ipsum solum de patriarchis aliis iudicare non potuisse?

1 Act.10.c.2. apud Carranzam. Septimum testimonium ex concilio [1] octauo sumptum est. Sed nihil illud singulariter pro pontifice Rõ. decernit. prohibet tantùm *mundi potentes quenquam eorum qui patriarchalibus sedibus præsunt dedecorare, aut mouere à proprio throno tentare. Præterea*, non condemnantur qui simpliciter de pontifice Rom. iudicant, *sed qui temere & audacter iudicant. Postremò*, synodus hæc celebrata est in mediis tenebris ecclesiæ: & exemplaria eius [2] corrupta sunt: originalia verò nullibi habentur.

2 Act.10.

3 Can.19. Octauum testimonium est [3] synodi Mileuitanæ. Sed nihil illa non contra Bellar. testatur. Nam vt prohibeat clericos iudicia publica ab imperatore petere; permittit tamen eos episcoporum iudicia ab imperatore postulare. Verùm vt non possent clerici secularia iudicia adire; non tamen prohibentur vel imperatores, vel synodi iure suo contra pontifices Rom. vti. concilia ergo non concedunt pontifici Rom. à iudiciis immunitatem.

Neque sanè pontifices Rom. apertè profiteri audẽt, se à iudiciis aliorum esse liberos. Gelasius [4] dicit *sacerdotes ad imperatoris voluntatem non esse redigendos, sed imperatorem potius ex eorum pendere arbitrio.* Quasi verò inde sequatur pontificem Rom. non posse à quoquam iudicari; aut eos non posse iudicari, ex quorum iudicio in rebus fidei pendet imperator; aut nulla sint iudicia, præterquam fidei. Nos nec minimos ecclesiæ pastores ad voluntatem imperatorum redigendos cẽsemus: nõ tamen æquum est, vt propterea iudiciorum metu soluantur: & Gelasius de pluribus loquitur sacerdotibus Bellarm. autem vnum tantùm pontificem Rom. à iudicum potestate liberare cupit. [5] Dicit etiam *pondus sacerdotum esse tanto grauius, quanto pro ipsis regibus in diuino iudicio reddituri sunt rationem.* Sed hoc ad

4 In Epist. ad Athanas.

5 Ibidem.

ad omnes pertinet pastores, qui regum docendorum curam susceperunt; de quibus tamen iudicium fieri posse, nec ipsi aduersarii negant.

[1] Gregorius iniquum esse censuit, *vt oues pastorem suum reprehenderent* quod neque nos temerè faciendū censemus. At si causa postulat, tum & pastores reprehendendi, & eiiciendi sunt. nam & Petrus reprehēsus est, & multi præterea ecclesiæ episcopi & accusati, & damnati, & depositi fuerunt. Non ergo ex Gregorii verbis quisquam concludere potest, pontificem Rom. à nemine iudicari debere.

[1] *Lib.9. Epist.39. ad Theotistam.*

Nicolaus primus non adeo (credo) erat insulsus, vt epistolam illam ad Michaelem, quæ sub eius nomine circumfertur, scriberet. nihil enim aliud continet, quam futilem contra imperatorem inuectiuam, & putidas sedis Rom. laudes. Verùm vt genuina sit, & dignum, vt aiunt, patella operculum; non tamen illa quæ affert Bellar. ad pontificem Rom. pertinent. ipse enim intelligit Ignatium Constantinopolitanum, cum dicit *pontificem nec ligari posse à seculari potestate, nec solui.* Vnde sequitur, si rectè conclusit Bellarm. episcopum Constantinopolitanum à nemine iudicari posse, nec aliquem alium episcopum. *Præterea*, non loquitur Nicolaus de alia potestate, quàm clauium, quas nec nos imperatori commissas cēsemus, licèt aliâs de pōtifice Rom. iudicare possit. *Postremò*, non excluditur concilii potestas a Nicolao, sed tantùm principum secularium. Sed quid nos de Nicolai sentētia laboremus, qui pontifici Rom. etiam diuinos ascribit honores?

Innocentius tertius ad Græcorum imperatorem Constantinum scripsisse [2] fertur, cum tamen nullus eius nominis tempore Innocentii vixerit imperator. Verùm vt falsitatem instrumenti missam faciamus; ne verbum quidem de iudiciis facit. *Pontificem quidē tantum dicit præstare imperatori, quantum sol luna*; hoc est, *quadragesies septies*, vt ait [3] glossator; sed etiamsi imperatorem nolit ferre iudicem, non tamen cōcilii negat authoritatem. In sermone secundo *de consecrat. pontif.* dicit quidem ridiculè *Petrum dici Cephas, hoc est, Caput, & eum à nemine posse ligari.* at de pontificib. Rom. tan-

[2] *C. solitæ de maior. & obed.*

[3] *Glossa ib.*

tum profiteri non est ausus. imò [1] profitetur *se seruum esse, & non dominum. vtinam*, inquit, *non vnus de illis, quibus scriptura: qui fecerit peccatum, seruus est peccati.*

[1] In serm. 2 de consecrat.

Bonifacium octauum *Philippus* rex Galliæ bello captũ iudicio synodi subiecit. quid ergo attinuit ipsum gladios suos duos, & pompam pontificalem ostentare? disputatione ipsius nihil cogitari potuit languidius. *idcirco enim pontificem à nullo iudicari posse* [2] *concludit Bonifacius, quia spiritualis iudicat omnia.* quasi verò soli pontifices Rom. spirituales essent: & quasi, qui omnia iudicant, non possent ipsi committere, vt nonnunquam iudicarentur.

[2] c. vnã sanctam de maiorit. & obed.

Ioannes 22. de animarum dubitauit beatitudine, erat præterea [3] homo omnium nequissimus. cum ergo ecclesia iudicatum deposuit, & alium eius loco substituit, licèt sententia effectum non sit sortita. Hinc ergo duo colligimus: *Primum*, nihil esse aduersariis nostris impudentius, qui domesticis testib. & in propria causa testantibus fidem haberi postulant. *Secundum*, nihil esse eorum causa deploratius, quæ nec instrumẽtis falsis, nec Romanorum pontificum testimoniis obtineri potest.

[3] Ioan. Villanus hist. Florent.

[4] Profert *tertiò* confessionem imperatorum. sed frustra est, si illud ab imperatorib. concessum putet, quod pontifices Rom. non sunt ausi postulare. De Constantino scribit Ruffinus, *eum noluisse episcopos* [5] *iudicare*. Sed nemini dubium est, quin potuerit nã & in Ceciliani, & in Athanasii causa iudicauit in Ceciliani causa post appellationem ab episcopo Rom. & aliis episcopis rem totam cognouit, & diffiniuit. Verùm vt non potuerit episcopos iudicare; non magis tamen hoc pontificem Rom. quàm alium quemuis episcopum ostendit nõ potuisse ab imperatore iudicari. *Præterea*, vt imperator non potuerit episcopos iudicare, & præsertim in causa fidei; supererat tamen iudiciũ synodi, à quo nisi immunis sit episcopus Rom. nihil est, quod se à iudicio immunem esse iactet.

[4] Col. 807.

[5] Lib. hist. 10. c. 2.

Basilius imperator in fine octauæ synodi, ne verbũ quidem vnum facit de pontifice Rom. Imò nec ea dicit, quæ habet Bellar. *de pascendis pastorib. aut iudicandis iudicib.*

iudicibus. At contra, ea dicit, quæ pontificis Rom. supremum iudicium euertunt. non enim post exitũ synodi cuiquam facultatem dat ecclesiæ actis contradicendi. Quod autem opus esse dicit pontificum & sacerdotum, ecclesiasticas causas tractare; æquè ad omnes episcopos pertinet synodus verò octaua prouocationem à patriarcha nemini concedit, quod ostẽdit appellationem ad pontificem Rom. non concedi.

[1] Nicolaus testis est in hac causa notus, sed nec locuples, nec fide dignus. Præterea, nihil aliud dicit, quàm pios imperatores *multa pontificibus Rom. bona contulisse, & illos vt patres obsecrasse.* Sed etiam patres delinquentes iudiciis subiecti sunt: & si animum abiiciunt paternum, vt alieni & patrui tractandi sunt. nihil ergo hoc pro pontificum causa, quæ in manibus est, facit.

[1] *In epist. ad Michael.*

Profert *postremò* testimonia patrum: sed ea ipse pauca esse fatetur; nos ea pro ipso nihil facere videmus. *Imperator*, inquit [2] Ambrosius, *non est supra ecclesiam*. Esto. at si pius fuerit, & verè christianus, tum nutritius est ecclesiæ, & membrũ ecclesiæ nobile: & de sacerdotib. & clero, vt *Dauid*, vt *Salomon*, vt *Ezechias*, iudicare potest. Neq; obstat, quod episcopus Rom. dicitur *pater & pastor*. nam omnes episcopi, & presbyteri sunt patres & pastores ecclesiæ; de quibus tamen imperatores iudicasse accepimus. Nam etsi imperator nõ sit supra ecclesiam, vt fidei mutet fundamenta; ita tamen est supra episcopos errantes & delinquentes, vt fidem tueatur, atque mores. Atque vt imperator in causa fidei non possit pontificem Rom. iudicare; superest tamen synodi iudicium, vbi causa ipsius, quãdo exorbitat à fide, aut iustitia, agenda est, vt ait [3] Symmachus. Ambrosius deniq;, quando negauit imperatorem *esse supra ecclesiam*, nihil minus cogitauit, quàm vt pontificem Rom. in peccata & impietates incidentem ab imperatoris eximeret iudicio.

[2] *In orat. de tradend. Basilicis.*

[3] *Synod. 5. sub Symmacho.*

Gregorius Nazianzenus in oratione illa, qua se excusat, quòd tamdiu ab ecclesiastica functione abstinuisset, ne semel quidem cogitauit de põtifice Rom. Vbi ergo dicit, *oues non debere pascere pastores, nec populũ iudicare iudices, aut leges ferre legulatoribus*; nihil aliud in-

telligit, quàm non debere vel populum, vel aliquem alium pastores rectè docentes turbare, aut impedire. pastores autem delinquentes nunquam ille a magistratus imperio eximendos censuit. Nec obstat, quod imperatorem [1] *dicit esse ouem gregis sui, & ipsum suo tribunali subiectum esse.* nam hoc intelligendum est de foro, vt aiunt, interiore, & non impedit magistratus supra episcopos externam iurisdictioné. Quod si aliter verba hæc intelligamus; tum omnes episcopi erunt à iudiciis magistratuum exempti. Atq; vt sub magistratus imperio non essent episcopi in negotiis fidei; manet tamen, vt antea diximus, synodi tribunal, vbi respondere debent; adeo vt nullus sit, qui se immunem a iudiciis dicere possit.

[1] *In orat. ad ciues perculsos timore.*

[2] Bernardus *reuerentiam exhiberi voluit Petri vicario.* Quasi vero quisquam nostrûm neget legitimis pastoribus reuerentiam exhibendam esse, aut omnes, quib. reuerentia debetur, à iudiciis liberi essent. Præterea, pontifices Rom. *Petri* esse vicarios illius ætatis errore credidit Bernardus. sed ita viuunt, ita moriuntur, vt nihil nunc videantur minus. *Qui vanam gloriam non desiderat*, inquit [3] Chrysostomus, *ille debet Christi vicarius factus Christi iustitiam prædicare.* at isti honores ambitiosè quærunt, Christi euangelium non prædicant. [4] Adrianus quartus dicere solitus est, *pontifices Rom. succedere non Petro in docendo, sed Romulo in parricidio. Qui debuerant esse vicarii apostolorum*, inquit [5] Ambrosius, *facti sunt socii Iudæ, & præambuli antichristi.* In fastu & ornatu regali dicit [6] Bernardus pontificem Rom. *non Petro successisse, sed Constantino.* Pontifices ergo [7] Erasmus vocat *successores Iulii Cæsaris, aut Alexandri Magni, & non Christi aut Petri.*

[2] *In Epist ad Conrad. imperat.*
[3] *In Matth. hom. 6.*
[4] *Ioan Sarisb. in Polycrat.*
[5] *In sermone quodam.*
[6] *Lib. de cõsid. ad Eug.*
[7] *Adagium. Sileni Alcibiadis.*

Quod autem habetur apud Gratianum, dist. 40. *c. si Papa*; hoc ego nec Bonifacium martyrem, nec quenquam virum bonum dicturum credo. nam *si Papa innumerabiles populos cateruatim secũ duceret in gehennam, neminem tamen eius culpam redarguere debere* scribit. Similiter loquuntur Canonistę neminem enim, etsi Papam delinquentem videat, debere dicere, *Domine cur ita facis?* Sed hæc & huiusmodi omnia, sunt assentato-

rum deliramenta, potius quam solida legitimorum testium testimonia. Præterea & assentatores isti pontificem Rom. a fide deuium iudiciis subiiciunt.

[1] Hugo de sancto Victore dicit *spiritualem potestatem iudicare terrenam, & ipsam cum deuiat, à solo Deo iudicandam esse.* sed loquitur ille de conscientiæ foro, & non de externis iudiciis. præterea, tenebris hæresis pontificiæ occæcatus, verum videre non potuit.

[1] *Part. 2. de sacram.*

Hoc denique Bellarmini argumentum ex alia parte claudicat. Nam etsi postremis his ecclesiæ temporibus, quando tenebræ densæ errorum euangelii veritatem obumbrauerant, pontifices Rom partim fraudib. & hypocrisi, partim aperta vi & armorum potentia debellatis magistratibus, colla sua omni legitimo imperio subduxerant; tamen nec hoc ita à principio fuit, nec iure vllo vel diuino, vel humano hanc potentiam ipsi consequuti sunt. Quare non tantùm ostendere debuit Bellar. pontifices Rom. iudiciorum vinculis solutos fuisse, sed eos hoc vel iure diuino, vel saltem ecclesiastico, idque à primis ecclesiæ temporibus habuisse. nam tyranni, legibus extinctis, & oppressa ciuium libertate, omnes iudicant, & à nullo iudicantur: nullum tamen regiminis genus magis exitiosum, aut pestiferum censendum videtur.

Postremum Bellar argumentum, quod ex nominibus pontifici Rom. tribui solitis, concludis eum summum esse ecclesiæ monarcham, refellitur, Cap. XV.

DVm Bellar. omnia conciliorum, patrum, historicorum, pontificũ, iurisc õsultorũ, imperatorum, & omnium denique fere authorum monumenta & scripta scrutantem, vt sui põtificis astruat monarchiã, vestigiis persequor; magnum & turbidum pelagus mihi ingressus videor. Sed bene se res habet terrã quam iam oculi mei diu requisiuerunt, video. ad vltimũ Bellar. argumentum ventum est illud autem ex nudis nominib. sumptum est. Sed si nihil valent res ab illo allatæ nihil est quod nos turbent vocabula & nuda nomina. nomina enim plerũq; temere imponuntur & casu; nonnunquam ab assentatione vulgi, nonnunquam

vero non delata, ambitiose assumuntur. Quare licet à multis pōtifex Rom. dictus sit, & nunc etiã dicatur, *Papa, & Pater patrum, & Christianorum pontifex, & Summus sacerdos, & Princeps sacerdotum, & Vicarius Christi, & Caput corporis ecclesiæ, & Fundamentum ædificii ecclesiæ, & Pastor ouilis Domini, & Pater & Doctor omnium fidelium, & Rector domus Dei, & Custos vineæ Dei, & Sponsus ecclesiæ Dei, & Apostolicæ sedis præsul, & Episcopus vniuersalis*, vt Bellarm. affirmat; nihil tamen aliud inde probatur, quàm illos esse assentatores, qui superba eis nomina detulerunt, & pontifices Rom. esse arrogantes & superbos, qui ea sibi arrogarunt & assumpserunt. Neq; enim omnes appellationes, quæ pontifici Rom. deferuntur, meritò ei debentur. Dicitur enim *dominus Deus noster Papa*, & [1] Deus in terris; & vt loquitur [2] Stapletonus noster, *supremum numen in terris*: & [3] *nouus Petrus*, & [4] *vnicus sponsus & caput ecclesiæ indiuisum*: [5] *princeps etiam ecclesiæ, & rex regum terræ*, [6] *primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchizedech, dignitate Aaron, authoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus*, & quid non? Hæc inquam apud aduersarios vulgò de pontifice Rom. dicuntur: idem tamen nihil aliud est, quàm antichristus, qui in templo Dei sessurus dicitur, quiq; se ostensurus est quasi sit Deus; nihil inquam aliud, quàm filius perditionis, quàm homo peccati, quàm meretricis Babylonicæ amasius, quàm satelles Satanæ. Hoc ergo argumentum, quod in vltima acie, & post signa tanquam fortissimum locatur, ex meris nugis & ineptiis conflatum est, & in eo Bellarm. se ineptissimum ostendit.

Nomen Papæ vnde primùm deriuetur, non multũ nostrâ interest. à blandientibus & balbutientibus puerulis deductum esse, quod cõtendit Bellar. in eius rem esse non videtur. neq; enim aduersariis non turpe esse debet, se adhuc puerulos esse fluctuantes, & circumlatos omni vento doctrinæ, & assentatores pontifici blandientes, & circa nomina & nugas theologos balbutientes. Vndecunq; deductum est, hoc certè constat, istud cæteris episcopis nomen esse commune. nam &

[1] C. *satis. dist.* 96. *& c. inter corporalia, de trãslat prælat. & Felin. in c ego N. de iureiurando.*
[2] *In epistol. ante doctrinal. princip.*
[3] *In continuat pontific. Damasi, in Nicol.* 1.
[4] *Bonauentura in Breuiloqu & Dionys. Carth. in* 4. *sentent. dist.* 24.
[5] *Turrecrem. lib.* 3. *c.* 9.
[6] *Bernard li.* 3. *de consid.*

1 Cypria-

1 Cyprianus appellatus est Papa, & 2 Augustinus, & a- *1 Lib. 1 ep. 7.*
lii multi. At inquit Bell. non *solus pontifex Rom. Papa di-* *2 Hier. epist.*
citur κατ' ἐξοχὴν, seu, vt ipse loquitur per antonomasiam, *ad August.*
vt patet ex concilio Chalcedonensi. Sed nec verū est eum
ita dici, nec patet hoc ex cōcilio Chalcedonēsi. 3 Ver- *3 Act. 16.*
ba enim hæc, *beatissimus & apostolicus vir Papa hoc no-*
bis mandauit, à Bellarm. prolata, non sunt concilii, sed
tantum Bonifacii legati & mancipii pontificis. neque
vt essent concilii, aliud ostendunt quam *Leonem* dictū
esse Papam, quod & cæteris multis commune est. No-
tat etiam Bellar. *quod Leo non dicitur Papa Rom. aut vr-*
bis Romæ. quasi verò non etiam Cyprianus & Augusti-
nus aliiq; multi apud veteres absolute dicantur Papę,
sine alicuius vrbis additione.

Dicit *secundò, neminem vocari totius ecclesiæ Papam,*
præter pontificem Rom. Sed neque ille omnia legit. nam
in passionis suæ 4 historia Cyprianus dictus est *Papa* *4 Ante opera*
Christianorum. *Leo* autem a nullo dictus est totius ec- *Cypriani.*
clesiæ Papa in synodo 5 Chalcedonensi, præterquam *5 Act. 16.*
ab ipsius legato, qui Domino illustres affingit titulos,
vt suffragetur sibi. Episcopi autem *Patarensi* verba a-
pud 6 *Liberatum* a Bellarm. non leuiter mutata sunt. *6 Breuiar.*
non enim dicit *nullum esse Papam super ecclesiam totius* *c. 22.*
mundi, nisi Romanum pontificem, vt habet Bellarm. sed
non esse vnum (scilicet regem) *sicut ille Papa est super ec-*
clesiam, mundi totius. Multum autem interest inter *nul-*
lum esse, & *similem non esse* inter *regem mundi*, & *Papam*
ecclesiæ. Præterea, nihil authoritatis meretur narratio
ista. neq; enim ex vnius Græculi assentatiuncula, de to-
tius ecclesiæ imperio iudicium facere debemus. Ve-
rùm vt *Liberato* summam adhibeamus fidem; támen
nihil ex eius narratione acquiret pōtifex Rom. autho-
ritatis. 7 narrat enim ille, eum & emisse magna pecu- *7 Ib. cap. 22.*
nia pontificatum, & patriam prodidisse. vnde sequitur
non omnes pōtifices Rom. esse patres patriæ, sed quos-
dam esse proditores patriæ.

Dicit *tertio, episcopum Rom. à toto mundo, & à genera-*
libus conciliis vocari patrem siue Papam: ipsum verò ne-
minem ita appellare. Quorum *primum* verum non est:

[1] Lib. 5. c. 10. neque hoc vel ex [1] Theodoreto, vel ex epistola concilii Chalcedonensis, quæ hoc nomine à Bellarmino citatur, probari potest. Græci multos iam annos eum patruum experti sunt; nos hostem, & non patrem. *Secundum* nihil aliud ostendit, quam ipsum maleuolētia & inuidia laborare, qui aliis debitum honorē inuidet: causam pontificis non confirmat. nam apud scriptores fidedignos reperimus, vbi alii episcopi non aliter quàm episcopus Rom. appellati sunt patres: & vbi pōtifices Rom. ab aliis episcopis dicti sunt *fratres, collegæ, comministri, & consacerdotes.* etiam [2] Damasus episcopos orientales *fratres* vocat.

[2] Theod. lib. 5. c. 10.

Nomen præterea *Patris patriæ*, etiam hominib. sceleratissimis olim tribuebatur: vt Neroni, Caligulæ, Heliogabalo, Domitiano, & aliis [3] imperatorib. nihil est ergo, quòd titulo isto superbiat pontifex Rom. eoque magis, quòd cum vni Damaso, & in vnis tantùm [4] literis tributū videmus, eisq; quæ manifestas continēt notas falsitatis. nam *antiquis regulis asserunt statutum esse, vt de episcoporum depositione nihil in longinquis regionibus tractaretur, vel acciperetur, nisi ad notitiam sedis Rō. prius deductum esset:* quod tamen nusquam statutum legitur. imò contrarium & canones Apostolorum, & Niceni statuerunt. & concilium Africanum sextum, & Mileuitanum fortiter aduersus ambitionem pontificum Rom. qui hunc honorem sibi deberi contenderunt, pugnauit.

[3] Sueton. & Herodian.

[4] In ep. Stephan. Carth ad Damas.

Tertium nomen est, *Pontifex Christianorum.* Sed hoc Eusebius Petro tantū, & non pontifici cuiquam Rom. tribuit. sed etsi illi ab aliquo tribueretur, non multum referret. Cyprianus enim [5] dictus est *Papa Christianorum*, quem tamen nolunt supra omnem ecclesiam potestatem habuisse.

[5] In passione Cypriani.

Quartum vocabulum est, *Summus pontifex:* sed rarò illud à veteribus pontifici Rom. tributum est. Synodus Carthaginensis tertia disertè hanc superbam appellationem damnauit. *Nemo,* [6] inquiunt patres eius synodi, *vocetur summus sacerdos:* non est ergo credibile aut *Stephanum Carthaginensem* hanc appellationē Damaso delaturū fuisse: aut illas esse Stephani [7] literas, quæ

[6] Concil. Carth. c. 26.

[7] Cōcil. tō. 1.

quæ eius nomine ad Damasum scriptæ feruntur. Si autem summus intelligatur sacerdos, qui in catalogo & numeris presbyterorum primus est; tum quiuis episcopus dici potest summus sacerdos. atq; ita, *dandi baptismi ius*, inquit [4] Tertullianus, *habet summus sacerdos, qui est episcopus.*

[4] *De baptismo.*

Quintum est, *Princeps sacerdotum*. Sed hoc vocabulum antiquitus pontifici Rom. delatum nō reperitur: imò potiùs omnibus interdictum legitur. *Primæ sedis episcopus*, [5] inquiunt patres Carthaginenses, *non appelletur princeps sacerdotum*. Respondet Bellar. *concilium hoc prouinciale pontificem Rom. non obligasse.* Quasi verò hoc ipsi pulchrum esset, quod aliis turpe videbatur; aut non satis esset, quod [6] synodus sexta hoc concilium probasset; aut non valeret canon iste, qui in decreta pontificum [7] relatus est. Præterea, nusquam ostendere potest, vbi pontifex Rom. ab aliquo authore fide digno dictus sit princeps sacerdotum. Nec obstat quod [8] Valentinianus dicit, *antiquitatem principatum sacerdotii episcopo Rom. super omnes contulisse*: vel quod dicit [9] Prosper Aquitanus, *Romam habuisse principatum sacerdotii.* nam omnes patriarchæ, imò & episcopi, principatum habent sacerdotii, qui tamen non dicuntur sacerdotū principes. episcopatus enim summum dicitur sacerdotium. Præterea, Valentinianus, nō est optimus loquēdi magister. Postremò & Valētinianus & Prosper plus nocent Bellar. quàm prosunt. Ille .n. asserit antiquitatem contulisse episcopo Rom. sacerdotii primatum: iste significat Romam habuisse principatum sacerdotii propter vrbis amplitudinem: quæ duo prorsus euertunt papatum.

[5] *Concil. Carth. 3. c. 26.*

[6] *C. quoniā, dist. 16.*

[7] *Dist. 99. c. prima.*

[8] *In epist. ante synod. Chalced. ad Theodos.*

[9] *Lib. 2. de vocat gent. c. 6.*

Sextum pontificis nomen, vt inquit Bellarm. est, *vicarius Christi. hoc enim ipsi à* [1] *Bernardo, & Concilio Lugdunensi sub Gregorio 10. tribuitur. vt est in* [2] *sexto decretalium.* Sed vbi de ecclesiastica agitur politeia, nos meliores authores quærimus, quàm vel sextum decretalium, vel Bernardum. Ille loquitur, quod eo tempore erat: nos autem quid esse debeat, quærimus.

[1] *Lib 2. de considerat.*

[2] *C. vbi periculum, de electione in 6.*

Septimum nomen est, *Caput ecclesiæ*. Sed nec antiquitus pontifices Rom. dicti sunt totius ecclesiæ capita: nec aliter hoc nomen pontifici Rom. quàm aliis

[3] Ephes. 5.

episcopis tribuebatur. *Non primum*, quia [3] Christus propriè dicitur ecclesiæ caput, & nemo potest dici caput ecclesiæ, nisi cui ecclesia corpus est mysticum. Præterea, dicit [4] Gregorius *Petrum esse*, non caput, sed *primum membrum sanctæ & vniuersalis ecclesiæ*. Testes deniq; a Bellarm. citati non dicunt pontificem Rom. esse caput ecclesiæ, Patres synodi Chalcedonensis dicunt Leonem, [5] *sicut membris caput*, præfuisse episcopis in concilio congregatis, & non vt dicit Bellar. *ecclesiæ*. Dicitur etiam [6] *ecclesia Rom. caput omnium ecclesiarum*; sed hoc propter authoritatem, non autem propter vniuersalem in omnes potestatem. Ita etiam [7] Gregorius appellat sedem apostolicam *caput fidei*: quia fides præcipuè ibi eo tempore elucebat. & *Gratianus & Valentinianus* apud [8] Gregorium apostolicam sedem appellant caput omnium ecclesiarum, quia eius sedis tum propter vrbis splendorem erat prima dignitas.

[4] Lib. 4. epist. 38.

[5] In epist. ad Leon. act. 3.

[6] Act. 1. synod. Chalced.

[7] Lib. 11. epist. 42.

[8] Ibid. epist. 54.

Non *secundum*, quia alii apostoli & episcopi dicti sunt ecclesiæ capita. *Paulus, Andreas, Iacobus*, inquit [9] Gregorius, *quid aliud, quàm plebium singularium sunt capita?* & vt est in apostolorum [1] regulis: *episcopos gentium singularum scire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment.* Neque tantum ecclesia Romana, sed etiam aliæ Capitis appellationem sortitæ sunt. *Constantinopolitana ecclesia*, inquit [2] Iustinianus, *omnium aliarum est caput.* Ad illud Gregorii, qui Petrum negauit esse totius ecclesiæ [3] caput, respondet Bellarm. *Christum ita esse caput, vt ipse solus sit caput: Petrum autem & alios pontifices Rom. ita esse capita generalia, vt non tollant capita particularia.* Sed mirum est, quod non viderit se pugnantia loqui. Nam si Christus ita sit caput generale, vt nullum præterea caput generale admittat, vt in primo diuisionis membro dicit; quomodo in secundo membro tot generalia admittit capita, quot pontifices? Præterea, si in Petro reprehensibile erat *caput dici totius ecclesiæ*, vt dicit Gregorius; quomodo non erunt reprehendendi pontifices Rom. qui se capita ecclesiæ generalia esse profitentur? Sed de ratione huius vocabuli iam aliquoties di-

[9] Lib. 4. epist. 38.

[1] Can. 35.

[2] De sacros. ecclesiis. l. Constãtinopolitana.

[3] Lib. 4. epist. 38.

ctum

dictum est suprà. nunc satis est significare, quod isto vocabulo summa potestas non designetur, cum illud pluribus sit commune.

Octauum vocabulum est, *Fundamentum ecclesiæ.* Sed illud pontifici Rom. conuenire nunquam probabit. Quomodo enim dicentur illi ecclesiæ fundamentum, qui subinde extinguuntur morte, & ab ecclesia nunc seiunguntur hæresi? Veteres sanè hoc vocabulum pontifici Rom. nunquam detulerunt. [4] Hieronymus non dicit, *super hanc petram ædificatam esse ecclesiam scio*, vt Beliai, sed *super illam*, vt omnes se non Damasum, sed Christum intelligere viderent. *Ego*, inquit, *nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ*, id est, *cathedræ Petri communione socior. super illam petram ecclesiam ædificatam scio.* quis autem non videt, per pronomen *Illam*, quod remotius est intelligi? *super illam petram*, hoc est, inquit [5] Erasmus, *non super Romam, nam fieri potest, vt Roma quoque degeneret, sed super eam fidem, quam Petrus professus est.* & sanè valde repugnaret menti Hieronymi, vt Damasum absolutè sequeretur, cum dicit se nullum primum, nisi Christum sequi.

[4] *Epist.* 57. *ad Damasum.*

[5] *In scholiis in epist. illâ.*

Nonum vocabulum est, *Pastor ouilis Dominici.* [6] Ambrosius enim dicit Syricium *velut bonum pastorem pia solicitudine Christi ouile custodire.* Sed hoc proprium erat Syricii, & non pontificis cuiuscunque Rom. multos enim Romæ sedisse pontifices non ignorat Bellar. qui nec gregem pauerunt, nec aliquam habuerunt de Christi ouili solicitudinem. Præterea, hoc vocabulum est commune omnibus piis episcopis. ipsi enim à Spiritu sancto [7] constituti sunt *ecclesiæ pastores*, vt ait Paulus: & Petrus presbyteros [8] hortatur, vt *pascerent gregem Dei.*

[6] *Epist.* 81.

[7] *Act.* 20.

[8] 1. *Petr.* 5.

Decimum est, *Rector domus Dei.* Sed neque hoc commune est omnibus pontificibus Roman. vt sint rectores domus Dei. multi enim diruunt potiùs, quàm regunt ecclesiam Dei: neque vllis piis episcopis hoc nomen negatur. ipsi enim à Spiritu sancto [1] constituti sunt ad regendam ecclesiam Dei. Vtrum verò Damasum appellarit [2] Ambrosius *Rectorem do-*

[1] *Act.* 20.

[2] *In* 1. *Tim.* 3.

mus Dei, incertum est propter ea, quæ superiùs diximus.

Vndecimum nomen, quod pontificis Rom. proprium esse vult Bellarm. est, *Custos vineæ*. Sed malè ageretur cum vinea Domini, si nullus esset præter pontificem Rom. eius custos. nam vt hoc Leoni [3] tribueretur, qui reuera vineam custodiebat, aprosque & feras arcebat; eam tamen posteriores pontifices neglexerunt, nonnulli eam quibusdam in locis radicitus exstirparunt.

[3] *Act. 3. in epist. ad Leonem.*

Duodecimum nomen est, *Pater & Doctor omnium Christianorum*. hoc enim *nomen tribuit pontifici Romano concilium* [4] *Florentinum*; *& concilium* [5] *Lateranense sub Innocentio tertio hoc sensu vocat ecclesiam Rom. matrem & magistram omnium ecclesiarum.* Sed si nomina ista pontifices Rom. sibi ascribere velint, necesse est vt meliores authores quærant, quàm conciliabulorum istorum patres, quorum omnis cura in antichristi regno stabiliendo, & veritate opprimenda posita erat. Præterea, si hinc summam pontifici Rom. deberi potestatem concludere velit Bellarm. ostendere debet nullum alium esse Christianorum patrem, aut doctorem, præter pontificem Rom. hoc autem ipsi plusculum exhibebit negotii. nam [1] Innocentius Chrysostomum appellat *magnum totius orbis doctorem*, & hoc nomen antiquitus tribuebatur Athanasio & Basilio. omnes etiam pii episcopi, qui per verbum Dei salutare Christo filios gignunt, merito appellantur patres, eratq; hoc episcoporum commune nomen. Malè interim cum synagoga Rom. agitur, quæ nullum habet pontificem Rom. nunc doctorem, nisi qui omnem docendi curam abiecit, nec vllum agnoscit patrem, nisi hircos illos, qui non oues, sed hædos curant, & sobolem ecclesiæ, quantum in se est, exstinguunt.

[4] *Sess. vlt.*
[5] C. 5.
[1] *Niceph lib. 13. c. 34.*

Decimum tertium nomen est, *Sponsus ecclesiæ*. Sed pessimè illi hoc nomen merentur, qui Christo suos amores præripientes ad antichristum traducunt; qui cum idolis scortantur, & veram Christi ecclesiam ferro & flammis persequuntur. In concilio Lugdunensi quidem pontifex Rom. [2] vocatur *Sponsus ecclesiæ*. sed nulla

[2] *Vbi periculum. de electione in sexto.*

nulla est eius conciliabuli authoritas. [3] Bernardus ecclesiam vocat *sponsam Domini*, Eugenium verò non sponsum, *sed amicum sponsi*. & sanè valde absurdum esset, si castissimæ & integerrimæ virginis, qualis est ecclesia, tot essent sponsi, quot pontifices. Respondet [4] Bellarm. *pontificem esse loco Christi sponsum.* sed valde repugnat sponsi rationi & naturæ, vt alius eius sponsam sibi desponset, & tollit relationem quæ est inter sponsum & sponsam. Videant ergo Iebusitæ, ne dum pontificem Rom. sponsum ecclesiæ cõstituunt, ex synagoga satanæ loco ecclesiæ producãt filios Belial, sicut ex Iride, quam loco Iunonis amplexatus est Tantalus, geniti sunt Centauri.

Decimum quartum nomen est, *Apostolicæ sedis præsul*. Sed valde errat Bellarm. si vel solam sedem Rom. apostolicam dictam fuisse putet, vel ex impropriis loquutionibus, & assentatorum blanditiis religionis dogmata statuere conetur. *Percurre*, inquit [5] Tertullianus, *ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ apostolorum præsidentur.* Et Antiochena ecclesia nõ modò apostolica est, sed etiam antiquior, quàm Romana. Iam verò diligenter cauendum, ne signa pro rebus capiamus: quam *miserrimam esse seruitutem* dixit Augustinus. Assentatores temere vocant pontifices Rom. *apostolicos*: sed nimis erant fatui, qui illis crediderunt. At, inquit Bellarm. *sedes Rom. per antonomasiam dicitur Apostolica, vt patet ex Augustini epistola 106.* Sed quorsum hæc? nam vt per philosophum intelligamus Aristotelem; absurdè tamen inde concluderet Bellarm. ipsum reliquis philosophis præesse debere. Præterea, vt per apostolicam sedem intelligat hoc loco Augustinus Romanam; non tamen propterea vbiq; & ipse & reliqui omnes apostolicam sedem appellant. Dicit *secundò* [6] *principatum apostolicæ sedis, Romanæ tantum tribui.* Quasi verò non aliæ apostolicæ ecclesiæ principatum habeant & primatum. Tertullianus omnes apostolicas ecclesias *suis locis præsidere* dicit. In synodo [7] *Chalcedonensi*, ciuitatũ illustriorum ecclesiis, vt Cõstantinopolitanæ & Antiochenæ, primatus seu principatus datur. Dicit *postremò*, munus pontificis Rom.

[3] *Epist.* 137.

[4] *Col.* 819.

[5] *De præscri. aduer. hæret.*

[6] *Augustin. epist.* 162.

[7] *Act.* 16.

dici apostolatum. sed hoc impropriè dici, nec ipse negare potest Bellarm. neque aliqui ita loquuntur præter pontificis mancipia, & nuntios, & eos, quibus splêdor inanis gloriæ antiquæ eius vrbis oculos præstrinxit.

Postremum nomen est, *Vniuersalis episcopi*. Sed nihil est cur hoc nomine lætentur aduersarii. illud. n. Gregorius velut [8] temerariũ, & [9] superbię & pręsumptionis plenum, & antichristi prænuntium damnauit, & recusauit. At inquit Bellar. *leguntur tres epistolæ in concilio* [1] *Chalcedonensi, quæ hunc titulum Leoni deferunt*. Quasi verò non potiùs sequenda sit *Leonis* authoritas, & omnium episcoporum, qui hoc nomen à leuitate Græcorum fortasse sibi oblatum repudiarũt, quàm trium aut quatuor Græculorum. Respondet ergo *secundò, Ioannem Constantinopolitanum ita voluisse dici se vniuersalem episcopum, vt nullus præterea esset Patriarcha, aut episcopus*. & hoc ex distortis quibusdam Gregorii verbis probare conatur. Sed frustra ille legentium oculis lucem eripere conatur. nihil enim ille, nisi se *Oecumenicum* siue vniuersalem scripsit episcopum, quod postea pontifices Rom. proprium sibi fecerũt. nec vnquam auditum est, [2] Ioannem Cõstantinopolitanum negasse aliis patriarchis, & episcopis, patriarcharum, & episcoporum officia. Quid ergo sibi volunt verba [3] Gregorii, qui collegam suum dixit *solum conari appellari episcopum, & patriarchis nomen denegare?* nihil sanè aliud, quàm quod ex vniuersalitate pontificum Rom. consequutum videmus. nam licèt non tollant nomina reliquis patriarchis & episcopis; tamen nihil ipsi facere possunt, nisi quod pontificibus Rom. libet. Dicit postremò *vocabulum hoc Vniuersalis, bonum sensum habere*. Sed aliter censuit Gregorius primus; cui potiùs fides adhibenda est. Nec ad rem facit, quod in concilio Chalcedonensi illud *Leoni* oblatum dicitur. multa enim in concilio fiunt, quę tamen nec rectè fieri, nec concilii auctoritate probari videntur. Non obstat secundò, quòd Petro totius ecclesiæ cura commissa esset à Domino. nam multum interest inter apostolos, & eorum successores: & nõ ita erat *Petro* commissa totius ecclesiæ cura, quin pariter ea alii fuerit apostolo-

[8] *Lib.* 4. *epist.* 38.
[9] *Lib.* 4. *epist.* 34.
[1] *Act.* 3.
[2] *Lib.* 4. *epist.* 34.
[3] *Epist.* 36.

apostolis commissa, & quod ipsi non licuit ab aliis apostolis acta retractare. Non obstat *tertiò*, quod *aliqui episcopi Rom. dicti sint ecclesiæ vniuersalis episcopi*. nam omnes orthodoxi episcopi sunt ecclesiæ catholicæ, hoc est vniuersalis episcopi, nō tamē vniuersales episcopi: & in eo sensu fortasse hoc vocabulo vsi sunt veteres.

Dicit postremò *Græcos propter superbiam & pertinaciam aduersùs pontifices Rom. iusto Dei iudicio datos esse in manus Turcarum*. Sed quis iste est, qui iudicat alienos seruos? quis, inquam, est curiosus iste monachus, qui in alieno oculo festucam sentit, & nec trabem in suo oculo? Florentissimum illud Græcorum imperium Deus propter hæreses, & scelera, & fœdissimam idololatriam passus est exscindi: atque hoc suæ iræ exemplum ante oculos principum occidētalis imperii versari voluit. tollant ergo fœdissimā suam idololatriam pontifices Rom. moresq; suos corrigant, & hæreses illas, quas nulla vi defendere possunt, in legitima synodo tolli sinant; aut tandem similem scelerum suorum, & impietatum exitum expectent.

Atq; ita nos ad exitum huius controuersiæ de pontificis Rom. in Apostolico munere successione commenticia, & somniata vniuersalis ecclesiæ monarchia peruenimus. Speramus etiam nos eius generis argumenta attulisse, quæ omnia tyrannidis pontificiæ fulcimenta radicitus tollant.

Nunc autem, ne aliquis in hac causa scrupulus hæreat; post euersam generalē pontificis monarchiam, singulas eiusdem partes, quasi bello per singulas regni pontificii prouincias circumlato, seorsim oppugnabimus. Deus det, vt tam facilè è medio ecclesiæ tollatur pontificum Rom. tyrannis, vt nobis facile erat eandem argumentis, & Scholastica disputatione euertere.



LIBER QVARTVS, DE PONTIFICIS ROM. CIRca iudicia, leges, episcopos, & res temporales potestate.

Quod Papa non sit, nec esse debeat summus iudex in controuersiis fidei & morum diiudicandis.

CAP. I.

DIXIMVS in genere pontificem Rom. non esse summũ ecclesiæ monarcham. neque iam cuiquam dubium esse putamus, quin aduersùs scripturas, ecclesiæ leges, rerum gestarum monumenta, patrumque testimonia, rationem denique & rerum penè naturam pugnent, qui huiusmodi regiminis ecclesiastici genus vel à Deo institutum, vel à patribus ecclesiæ receptum esse contendũt. Multò autem hoc clariùs elucescet, postquam omnes potestatis pontificiæ partes conuulsas videritis: quod & nunc aggredimur, & Deo volente nos effecturos esse speramus. Exordium autem à iudiciis faciemus. Aduersarii en m non modò pontificem supremum esse in causis fidei & morum diiudicandis Iudicem prædicant, sed etiam eius iudicium certum esse & indubitatum contendunt. Sequetur *deinde* tractatus de legibus. hunc enim & leges posse condere, & eas omnium conscientias obligare asserunt. De episcopis verò ita sentiunt, quasi omnis eorum iurisdictio à solo pontifice Romano deriuetur. *Postremò* & regem esse, & supra omnes reges potestatem habere, licèt indirectè, docent. Hæc nos & falsa esse, & absurda docebimus. sed & vos testes eritis, nos vera dicere.

Ac de

Ac de iudice cōtrouersiarum, nisi cum importuno aduersario nobis negotiū esset, dictum [1] fuisset satis. Ostendimus enim nos pontificem cum suo concilio non esse summum controuersiarum iudicem. Ipse autem Bellar. multis disputauit, non solum pontificem, sed ipsum cum concilio supremum & summum esse iudicem. Nunc, siue hoc, siue illud verum sit; pontifex Rom. nō erit summus iudex. nos enim ipsi omnem abrogauimus iudicandi potestatem. Bellar. autem ei, nisi cum concilio, non tribuit summam potestatem: quod omnem ipsius hoc in loco euertit disputationem. neque enim idem est pontifex solus, & pontifex cum concilio; nec vnum vtriusque tribunal. & sanè absurdum est, pontificem Rom. tantum videre solum, quantum cum pluribus. quid enim opus est cōciliis, si omnia solus possit pontifex? quid vndiq; conueniant episcopi? cur tot labores sumant? cur tot sumptus faciant, si vnus pontifex Rom. omnia expedire possit?

[1] *In controuersia de iudice scripturarum, in libris de verbo Dei non adhuc editis.*

Bellarmin. nihilominus hoc loco actum agit, controuersiamque iam finitam in medium affert, & pontificem Rom. solum, oblitus superioris suæ disputationis, *summum esse iudicem controuersiarum ecclesiæ* contendit. Cuius disputationem vt accuratiùs refellamus, aduersariorum sententia, quam hoc loco ipse fortasse pudore deterritus occultat, primò proponenda est.

[2] Cum ergo pontificem Rom. dicunt esse summum iudicem in controuersiis fidei & morum; duo intelligunt. *Primum* est, pontificis esse Rom. summo iure definire, quid in fide credendum, & quid in moribus sequendum sit. *Secundum* est, eius etiam esse, si quæ controuersia de istis rebus oriatur, finem liti imponere. *Ad primum* pertinet, definire has vel illas scripturas esse in canone, has non esse: has authenticas esse, has secus. *Præterea* scripturas esse hoc vel illo modo interpretandas, & has vel illas traditiones esse verbum Dei: *Ad secundum* pertinet, res dubias & inenodabiles explicare, & cum authoritate quid tenendum sit, proponere. Bellarm. hoc secundum tantùm persequitur: nos vt vniuersam hanc controuersiam absoluamus,

[2] *Status controuersiæ de summo controuersiarū iudice explicatur.*

vtrumq; pontificis iudicium tractabimus. & *primò* ostendemus non ita valere eius iudicium, vt quod aliàs non erat de fide, hoc iudicio suo efficere possit, vt ad fidem pertineat; vel vt sententia sua efficere possit aliquid esse de lege conscientias obligante, quod antè non erat.

3 2. *Paral.* 7. Et probatur *primò*, quia ecclesia est [3] *regnum Christi*,
& Psal. 144. & [4] *regnum cœlorum*, & [5] *domus Dei*. vnde sequitur ad
& Dan. 2. diuinam tantùm authoritatem pertinere, quid cre-
4 *Matth.* 13. dendum sit præscribere, & leges conscientiis impone-
& 18. re. neq; enim æquum est, aut cōsentaneum, hominem
5 *Ioan.* 2. *&* mortalem in regno Christi & cœlorum, regnum in-
Heb. 3. uadere: aut in domo Dei quemquam summum haberi moderatorem & iudicem, præter patremfamiliâs summum.

Probatur *secundò*, quia Deus non communicat honorem suum alteri; at hoc ad Deum pertinet solum,
5 *Rom.* 8. *vt* [5] *scrutetur & regat corda*, vt fidem & leges cordibus
Apoc. 1. & conscientiis præscribat, [6] *vnus enim dominus, & vna*
6 *Ephes.* 4. *fides*.

Probatur *tertiò* ex natura fidei & legis. fides enim semper vna erat, & lex Dei æterna est & immutabilis.
7 *Iacob.* 1. [7] *nulla est* enim *apud Deum transmutatio, nec vicissitudi-*
8 *Thom. A-* *nis obumbratio*. & fidem quoad substantiam ipsi aduer-
quin. 2. 2. *q.* sarii non debere mutari [8] concedunt. At si pontifex
1. *art.* 7. Roman. summo iure diffinire & iudicare posset, quid pertineat ad fidem & mores; tum & fides & lex mutationem reciperet.

Probatur *quartò* ex perfectione verbi Dei. est enim regula perfecta; & scripturæ propterea Canonicæ dicuntur, quia regulam cōtinent. at valde essent imperfectæ, si aliquid eis addere, aut detrahere ex sententiâ pontificis liceret.

Probatur *quintò*, quia obiectum fidei est veritas prima; & conscientiam obligat lex Dei tantùm. at iudicium pontificis sæpe à veritate primâ, & lege Dei discrepat. non ergo ei tantùm tribuendum est, vt solus & authoritate propria quid sit credendum vel faciendum diffiniat.

Probatur *sextò*, quia decreta pontificum Rom. de fide sæpe

de sæpe sunt contra fidem, & contra se inuicem; & eorum de moribus decreta sæpe mutantur. Illud probatur infinitis exemplis; hoc nec ipsi pontifices negare possunt. at fides & lex Dei semper vna est, neque vllam contrarietatem, vel falsitatem, vel mutationem recipere potest.

Probatur *septimò*, quia fides est ex auditu, *qui* [1] *est per verbum Christi*: & lex cui omnes parêre tenentur, qui maledictionem effugere cupiunt, Dei est, & non hominum: non ergo vel ad fidem, vel ad mores necessariò pertinent pontificum decreta. [1] *Rom.* 10.

Probatur *postremò* disertè ex scripturis. *Vnus*, inquit [2] Iacobus, *est legislator & iudex, qui potest perdere & liberare.* Similiter dicit [3] Isaias, *Dominum esse iudicem nostrum, & Dominum esse legislatorem nostrum, & Dominum esse regem nostrum.* At si vnus Dominus hoc supremi iudicis & legislatoris nomen meretur; tum non possunt pontifices esse iudices, nec debent eorum iudicia pro fidei dogmatibus, & legibus haberi. sed hæc nos suo loco vberiùs. [2] *Iacob.* 4. [3] *Isai.* 33.

Neque sanè potestatem habet pontifex Roman. vel de canone scripturæ, vel de authoritate scripturæ sacræ pronuntiare. *Non illud*, quia Dei est solius, canonem & regulam fidei tradere. ipse enim est [4] *author & consummator fidei nostræ*: *Non istud*, quia legis authoritas summa est, etiam sine hominum decretis. *Deinde* regula hæc in propheticis & apostolicis scriptis continetur. ecclesia [5] enim *superstructa est super fundamentum apostolorum & prophetarum.* At pontifex Romanus nec apostolus est, nec propheta, vt vel aliquid canoni addere, vel demere possit. *Tertiò*, si possit de canone iudicare; tum potest pontifex Roman. vel addere vel demere. at multa ex hac sententia sequuntur absurda. nam tunc posset testamento diuino addere vel demere: posset etiam legi & euangelio aliquid addere, vel adimere: quod sub grauissima interminatione vetat Spiritus sanctus. *Licet nos*, [6] inquit, apostolus, *aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Idem dicit, *hominis testamentum* [7] *neminem reiicere, aut addere ali-* [4] *Heb.* 12. [5] *Ephes.* 2. [6] *Gal.* 1. [7] *Gal.* 3.

quid ei. eiusdẽ præterea authoritatis essent hominum decreta cum verbo diuino. non esset denique canon certus. *Quartò*, valde absurdum est, posse iudicem de lege iudicare. Iudicis est enim iudicare secundùm legem, & non de lege, dicit Augustinus, *fas esse legem Dei mundis animis cognoscere, iudicare autem fas esse negat.* de vera relig. cap. 31. *Quintò*, omnes fideles ex eo nomen habent, quod regulam fidei certam tenent, & ei parent. Si ergo pontifex Romanus de canone iudicare præsumet, se non esse fidelem demonstrabit. *Sextò*, inferior de superiore iudicare non potest. non ergo fas est pontifici de prophetarum & apostolorum scriptis iudicare. *Postremò*, omnes pii episcopi secundùm sacræ scripturæ regulam de rebus fidei & morum iudicarũt. quid ergo superest, nisi vt antichristus sit, qui supra canonem assumit sibi iudicandi potestatem?

Absurdũ est etiam putare, scripturas à põtifice Rom. authoritatem accipere; quod tamen aduersarii faciunt. Dicit enim [1] Christus *se ab homine testimonium non accipere.* at si Christus non accipit testimonium ab homine; nec eius verbum ab homine habet authoritatem.

[1] Ioan. 5.

Præterea, multò locupletius est testimonium Dei, quàm testimonium hominum. *Si accipimus*, [2] inquit Ioannes, *testimonium hominum, testimonium Dei maius est.* non enim quod à Deo est, hominis eget testimonio, aut confirmatione.

[2] 1. Ioan. 5.

Tertiò, si à põtifice Rom. pendet authoritas scripturæ, tum ab eo pendet promissionum omnium, quæ in scripturis habentur, veritas & fides; & obiectum fidei non erit veritas prima, sed placita hominum: atq; ita ludibriis exponetur fides Christiana.

Quartò, [3] ecclesia fundatur super fundamentũ Prophetarum & Apostolorũ: ergo firmissima est illa fundatio, & multò firmior, quàm quæ super pontificis Rom. decretum posita est.

[3] Eph. 2.

Quintò, scripturæ sacræ sunt instar principiorum illorum quæ natura & vi sua nota sunt, & nõ opus habent hominum testimonio ad suam probationẽ. cur

non

non ergo auferant hanc suam superbiam pontifices Rom. vt dicant se scripturis robur addere?

Sextò, scripturæ subiicitur pontifex Romanus, & inde omnem suam authoritatem deriuat. arroganter ergo facit, si scripturæ authoritatem à se profectam putet.

Septimò, antiquitati prorsus ignota erat pontificis Rom. hæc tanta potestas. imò ex Dei loquentis authoritate, & rerum sublimitate patres asserunt scripturas fidē mereri. *Noli Arriane*, inquit [4] Ambrosius, *ex nostris æstimare diuina, sed diuina crede, vbi humana non inuenis.* [5] Augustinus asserit, *scripturam in sede quadam sublimiter constitutam esse, eique omnem fidelem ac pium intellectum seruire debere.* *Humana omnia dicta*, inquit [6] Saluianus, *argumentis & testibus egent; Dei autem sermo ipse sibi testis est: quia necesse est, quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.*

[4] *Lib.* 1. *de fide ad Gratian.* c. 5.

[5] *Lib.* 11. *cōtr. Faust. Manich.* c. 5.

[6] *Lib.* 3. *de prouident.*

Postremò, multa incommoda sequuntur ex aduersariorum sententia. Nam si scripturæ à pontifice Rom. authoritatem acciperent; tum minùs esset credendū Deo, quàm hominibus: & scripturarum authoritas incerta esset. incertū est enim quid illi statuere velint. præterea, plus esset credēdum decretalibus Romanorum pontificum, quàm scripturis. his enim sine confirmatione pontificū à nobis credi nolunt; illis fidem nō adhibere, hæreticum esse clamant. Scripturis quoad nos omnem abrogant fidem. nisi pontificum Rom. accesserit authoritas: decretales omnes pontificum Rom. de fide simpliciter probant.

Præterea, malè cum ecclesia Christi actum esset, si omnis scripturæ interpretatio à pontifice Rom. petenda esset. ipse enim scripturas odit, & de eis malè loquitur, & codices originales postponit versioni corruptæ, & testamentum Dei ab oculis Christianorum occultat, & neglecta veterum authoritate, peruersissimè interpretatur; quod sexcentis exemplis doceri potest. sed bene se res habet, quod hanc infinitam interpretandi licentiam nullo iure vel diuino vel humano sibi arrogauit.

Imò multa ostendunt eum contra iura diuina illam vsurpasse. Christus enim æqualem dedit omnibus Apostolis, & post Apostolos eorũ successoribus in scripturis interpretandis potestatem. Iste autem, licèt nõ sit Apostolorum successor, summam tamẽ potestatem sibi soli arrogauit.

[7] 2. Petr. 1. [7] Petrus asserit, *nullam prophetiam propriæ esse explicationis.* ἰδίας ἐπιλύσεως, inquit ille, γίνεται. iste autem absq; Spiritus sancti ductu, proprias multas excogitauit interpretationes.

Antiqua Christi ecclesia non ad episcopos Rom. licèt pii essent, sed ad synodos episcoporum generales pro vera scripturæ interpretatione confugit.

[8] L. & ideo 1 ff. de legibus, & ibi doctores. [8] Iurisconsulti dicunt principis esse summi, qui leges condidit, eas interpretari. at scripturas nullas authenticas edidit pontifex Rom. nec edere potest.

Postremò, experientia edocti sumus, complures ipsius interpretationes cum scripturis pugnare; complures falsas esse, & insulsas; complures hæreticas, & ab ecclesia damnatas.

De traditionibus verò nusquam pontifex Rom. accepit iudicandi potestatem. nam si sint verbum Dei non scriptum, vt secta pontificia docet: tum sunt supra pontificem, & non de eis, sed secundùm eas iudicare tenetur. neq; enim in potestate est artificis de regula recta iudicare. Si non sint verbum Dei; at non maior ei, quàm reliquis episcopis de eis iudicandi datur potestas.

Imò, Apostolus non tantùm episcopos, sed etiam populum monet, vt *teneret traditiones.* [9] Irenæus traditionem Apostolorum in omnibus ecclesiis quærendam censet, licèt Romanæ ecclesiæ successionem propter vrbis amplitudinem primò commemoret. *quæ Ephesi est ecclesia à Paulo quidem fundata, Ioanne autem permanente apud eos vsque ad Traiani tempora, testis est verus Apostolorum traditionis*, inquit ille.

[9] Lib. 3. aduer. hæres. c. 3.

De traditionibus autem pessimè iudicauit pontifex Rom. eas enim verbo scripto æquauit, cõtra illud, [1] *Ne addas*, & sub nomine traditionis, cultum crucis & imagi-

[1] Deut. 4.

imaginum idololatricum, inuocationem defunctorum, purgatorium, cultum angelorum, multasq; alias hæreses, item missæ infinitas abominationes, & inutiles multas cæremonias, imò plurimas nugas in synagogam Rom. intulit.

Quæ omnia licèt hoc loco taceat Bellarm. sub illa tamen summa pontificis Rom. in iudicando potestate continentur, ille verò istos scopulos fugiens, ostendere [a] conatur in genere, *pontificem Rom. summum esse in controuersiis fidei & morum iudicem.* Sed neq; hoc verum est. *Primò* enim certum est alios à Deo constitutos esse iudices; *deinde*, pontificem Rom. non esse cõstitutum summum iudicem multis argumẽtis ostendi potest.

[a] Lib. 4. de pont. Rom. c. 1.

Primum autem probatur *primò* ex Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris*, inquit Moses, *inter sanguinem & sanguinem, &c. ascendes ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quaresq; ab eis, qui indicabũt tibi iudicii veritatem, & facies quodcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius.* Quo in loco, nõ est dubium, quin constitutum sit illud synedrium seu concilium, quod causas summas summo iure in illo populo iudicabat. nam postquam cap. 16. iudices in singulis ciuitatibus constituendos dixisset; hoc loco summum tribunal constituit, quod causas quas inferiores illi diiudicare nõ potuerunt, cognosceret. quod non tantùm [1] *Philonis*, & [2] *Iosephi*, sed etiam aliorum [3] recentiorum authoritate confirmatur. ex istis ergo constat, summum iudicium fuisse non penes vnum sacerdotem, sed penes summum concilium. *Si iudices*, inquit Iosephus, *non intelligunt de rebus sibi creditis iudicare, quando multa talia solent hominibus prouenire, integram causam in vrbem sacram remittant, & conueniens pontifex & propheta, & seniores, quæ eis videntur iusta, pronuntient.* adeoq; magna erat huius concilii potestas, *vt tribum, sceptrum, pseudoprophetam, & magnum sacerdotem iudicare potuerit*, vt testãtur Petrus [4] Galatinus, & [5] Carolus Sigonius.

[1] De creat. princip.
[2] Lib. antiq. 4. c. 6.
[3] Sigon de rep. Hebræor. & Petr. Gal.
[4] De arcan. cath. verit.
[5] Lib. 6. de rep. Hebræor. cap. 7.

Probatur *secundò* ex Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus*, inquit Christus ad Petrum, *vade & corripe eum inter te & ipsum solum. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. quod si non audierit eos, dic ecclesiæ; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* hinc constat vltimum iudicandi locum, & summum tribunal datum fuisse ecclesiæ, & ipsum Petrum ad ecclesiam remissum fuisse. Per ecclesiam autem, siue præsidentes ecclesiæ, siue vniuersam ecclesiam intelligamus; necesse est summam potestatem ad plures pertinuisse. illi enim qui vltimo loco iudicant, & quorum sententia rata manet, summam habent potestatem.

6 *Ioan. 20.* Probatur *tertiò*, quia pariter apostoli claues [6] acceperunt, & pariter in mūdum missi sunt. quomodo autem non sit par eorum omniū potestas, qui vnam missionem, & eadem mandata habuerunt?

Probatur *quartò* ex praxi ecclesiæ apostolicæ. nam cum difficilis controuersia exorta esset de legalibus, & Petrus ipse in sententia & fide de cæremoniis legalibus nutaret, & eo nomine à Paulo [7] reprehensus esset; [8] *conuenerunt apostoli & seniores videre de verbo hoc*, vt inquit Lucas. Dicit etiam Paulum & Barnabam eo nomine ascendisse, non ad vnum aliquem, [9] *sed ad apostolos & presbyteros in Hierusalem*. atque ita tandem ex communi concilii sententia negotium illud finem accepit.

7 *Gal. 2.*
8 *Act. 15.*
9 *Ibidem.*

Probatur *quintò* ex praxi primæ ecclesiæ post apostolos. omnes enim de fide & moribus ecclesiæ controuersias in conciliis generalibus sopitas fuisse accepimus. Litigarunt quidem pontifices Rom. cum episcopis Asiaticis circa celebrationē paschatis: sed ante synodum Nicenam lis finiri non potuit. Eodem in loco & hæresis Arrii, quæ magnos in ecclesia motus excitauerat, damnata est. In aliis etiam synodis, Macedonianorum, Nestorianorum, Eutychianorum & aliorum hæreticorum dogmata anathemate perculsa sunt. neque ferè aliqua hæresis tam exiguas

egit

egit radices, vt paucorũ sententiis non conuocata synodo exstirpari posset. Quatuor primis conciliis Gregorius non minorem fidem adhibet, quàm quatuor euangeliis. at tanta nullius erat episcopi solius authoritas.

Probatur sextò omnibus illis argumentis, quę summam ecclesiæ regendæ potestatem ad plures pertinere docent.

Probatur vltimò, quia summa iudicandi potestas in iis est, quos verisimile est maximis Spiritus sancti donis præditos esse. Optimè enim de scripturis iudicat scripturarum author: & proximè, quibus ille dona affluenter dat. *Spiritualis homo*, inquit apostolus, *omnia diiudicat.* & Ioannes significat, *eos qui vnctionem habent, nosse omnia.* At Spiritus sanctus in ecclesia potissimùm, & in congregatione episcoporum præsens est, vt etiam aduersarii concedunt. nam quód Christus se affuturum promittit, vbi duo aut tres in eius nomine congregantur, in cõciliis potissimùm locum habet; & patres [1] Africani absurdum esse putant, *credere Deum vni alicui inspirare examinis iustitiam, & innumerabilibus in concilium congregatis sacerdotibus eam denegare.*

[1] *In epist. ad Celestinum post concil. Afric. 6.*

Pontificem Rom. denique non esse summum in cõtrouersiis fidei & morum constitutum iudicem, constat *primò*, quia nullum potest exhibere suæ potestatis mandatum. Nam vt noui testamenti omnes partes perlegas, nihil tamen de pontifice Rom. reperies. Si verba hæc, *Pasce oues meas*, proferat Bellarm. sunt illa omnium ecclesiæ pastorum communia. atque si ad successores Petri detorqueantur; non minùs tamẽ ad episcopum Antiochenum, Ioppensem, Cæsariensem, & Lyddensem, & omnes ecclesiæ pastores, quàm ad episcopum Rom. pertinebunt. Præterea, in verbo *pasce*, hæc summa iudicandi potestas latêre non potest. iam verò nõ est dubium quin vniuersam domũ suam, & omnes eius ministros Christus perfectè constituerit & descripserit. Quare, nisi ostendat mandatum suæ iurisdictionis, scire debet pontifex Rom. sentẽtias suas qualescunque nullas fore. neque enim vlla maior est

nullitas, vt loquuntur iurisconsulti, *quàm quæ à defectu iurisdictionis* [1] *prouenit. neque iudicatum dici potest ab eo,* vt [2] aiunt, *qui iudicandi non habuit potestatem.* Quare nisi mandatum ostendere possit, frustra iactat sibi hãc competere iurisdictionem.

Probatur *secundò*, quia summa potestas iudicandi sub lege non erat in summo sacerdote, sed, vt diximus, in concilio Hierosolym. Neq; obstat, quod *nolens obedire imperio sacerdotis morti* [3] *adiudicabatur.* imperabat enim, seu potiùs sententiam pronunciabat ex authoritate totius concilii. Similiter etiam qui non obtemperabat imperio iudicis, morti adiudicabatur. in Hebræo enim est אוֹ אֶל־הַשֹּׁפֵט. & in Græco est τ̃ ἱερέως, ἢ τ̃ κριτ̃. nõ tamẽ erat iudex ille summus. Quod autẽ non esset sacerdos summus iudex, inde constat, quia [4] *synedrium illud Hierosolymitanum de summo sacerdote iudicabat*, & quia Moses superior erat Aarone, & quia Salomonis iudicio depositus est [5] Abiathar, & Sadoc in eius locum substitutus: & quia concilii istius summi principes à rege, & non à sacerdote eligebantur, vt ex Iosaphati regis reb. gestis constat, 2. Paralip. 19. *Constituit*, inquit Spiritus sanctus, *Iosaphat in Hierusalem Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israel, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius.* Quod si ergo translatum sit sacerdotium à veteri testamento in nouum, vt aduersarii contendunt; tum non summa erit in sacerdote noui Testamenti potestas, etiamsi alium noui Testamenti intelligamus sacerdotem præter Christum.

Probatur *tertiò*, quia pontifex Rom. nec postulat, nec optat sibi concedi plus, quàm Petro delatum fuit. ex eius enim successionis iure pendet vniuersa, quam postulat, potestas. At in Petro non fuit summa iudicandi potestas. nos enim cõmunem fuisse totius ecclesiæ, seu cõcilii ostendimus. & probatur etiam, quia Petrus remissus est ad ecclesiam, Matth. 18. & non Petri, sed ecclesiæ de cæremoniali lege sententia rata [6] habita est. Probatur etiam, quia Paulus & Barnabas ad apostolos & presbyteros, & non ad Petrum ascenderunt,

[1] Bald. in Rubr. Cod. si à nõ competente iudice.
[2] L. 1. ff. ad Tertull. & l. 1. ff. quod quisq; iuris.
[3] Deut. 17.
[4] Rabbini, & Petr[9] Galatinus de concilio Hierosolym. in Gazith. & Carolus Sigon. de repub. Hebr. lib. 6. c. 7.
[5] 3. Reg. c. 2.
[6] Act. 15.

runt, vt dubiorum solutionem acciperent; & quia Petrus à Paulo reprehensus est; quod sanè, si summa in Petro fuisset potestas, factum non fuisset.

Quartò, non alia nunc est pontificis Rom. causa, quàm primorum episcoporum Rom. olim fuit. at illi summam potestatem non habuerunt. *Cyprianus* enim martyr sententiæ *Stephani* non acquieuit. Asiatici Victoris excommunicationem non curarunt. Episcopi Africani appellationes ad pontifices Rom. fieri non permiserunt. Præterea, ab aliis pontifices Rom. condemnati & depositi leguntur, Marcellinum *in terra prostratum, & ibi moram facientem*, [1] *damnauit synodus Sinuessana*. Damasus & Sixtus tertius iudicio synodi se purgarunt. Iulium primum excommunicarunt, & de episcopatus gradu deiecerunt episcopi [2] orientales. Symmachi etiam & *Leonis* tertii corã synodo causa cognita est. Honorio primo sexta & octaua synodus anathema dixit. Gregorius duodecimus, Petrus de Luna, & Ioannes vicesimus tertius, in synodo Constantiensi grauissimorum criminum conuicti & damnati sunt. Quid verò Ioãnes decimus tertius? nõne ipse ab Othone depositus est? similiter Iustinianus imperator causam *Syluerii & Vigilii* cognouit: & Henricus secundus tribus simul pontificibus Papatum abrogauit.

Quintò nihil causæ est, cur in rebus fidei pontifici potiùs indocto & insulso credamus, quàm totius orbis lumini Athanasio, & Gregorio Nazianzeno viro doctissimo, aliisque patribus sanctissimis simul & eruditissimis. at isti non erant summi iudices controuersiarũ. neq; enim quorumuis patrum scripta ita recipienda dicit [3] Augustinus, *vt nõ liceat in eis aliquid improbare, atque respuere*. In libro verò de nuptiis & concupiscentia secundo, c. 23. *ista*, inquit, *controuersia iudicem quærit. iudicet ergo Christus*. non dicit, iudicet episcopus Roman. sed *iudicet Christus*. Neque sanè patribus pontifices Rom. summam deferunt iudicandi potestatem. quid est ergo quod eam sibi sumant? Si *Petro* se successisse dicant, successere ei & sancti patres & episcopi, multoque magis quàm ipsi. patres enim

[1] *In synod. Sinuess. concil. tom.* 1.
[2] *Sozom. lib.* 3. c. 10.
[3] *In epist. ad Fortunatum* 165.

prædicarunt euangelium, & pauerunt Christi agnos; isti autem aut eos neglexerunt, aut iugularunt.

Sextò, à summo iudice nulla datur appellatio. At à pontifice Rom. & antiquitus sæpe, & nuper etiam, & sæpius appellatum est. Appellarunt enim à sententia *Melchiadis Donatistæ*, & ipse ei appellationi detulit. & superioribus temporibus à sententia Gregorii 9. & Innocentii 4. Fridericus 2. à sententia Ioannis 22. Ludouicus Bauarus, & à *Leone* 10. vniuersitas Parisiensis appellauit. sed totum hoc appellationum caput nos antea vberiùs tractauimus.

Septimò, non debet supremi iudicis sententia à quoquam rescindi. at acta pontificum Rom. sępiùs rescissa sunt. Sententiam *Victoris* contra *Asiaticos Irenæus* pronuntiauit iniquam esse: ecclesia orientalis eam rescidit. *Formosi* omnia acta rescidit eius successor. Sabinianus in Gregorii actis idem faciendum esse statuerat, nisi mors superueniens impetum hominis furiosi repressisset. Sententiam Gregorii 7. cōtra Henricum 4. Paschalis 2. contra Henricum 5. Gregorii 9. contra Fridericum 2. Ioannis 22. contra Ludouicum Bauarum, ipsi imperatores nullam esse declararunt; omnesque bene sentientes christiani eis assensi sunt.

Octauò, summi in controuersiis & negotiis ecclesiæ iudices potuêre ab aliis depositos & excommunicatos restituere. at illud non potuêre pontifices Rom. nam & [1] apostolorum, & [2] conciliorum canones vetuerunt, ne *episcopi aliqui ab alius excommunicatos ad communionem reciperent*. & Pius episcopus Rom. cum Marcion hoc flagitaret, disertè [3] dixit, *se sine patris ipsius consensu non posse illud facere*. [4] Cyprianus Cornelio & Stephano quorundam episcoporum in Africa depositorum restitutionem molienti apertè restitit. Synodus Africana episcopos Rom. rogauit *ne executores suos in Africam mitterent*, aut de depositis se intromitterent. Iulius 1. conatus est restituere Athanasium & Paulum: sed acerrimè ei repugnarunt episcopi orientales. Concilium denique octauum nullam appellationem [5] admisit à metropolitano, nisi ad patriarcham

1 *Can.* 33. *concil. Nicen.*
2 *Can.* 5. *& Antioch. c.* 6
3 *Epiph. in hæres. Marcion.*
4 *Lib.* 1. *ep.* 3. *&* 4.
5 *Act.* 10. *cap.* 26.

triarcham. Vnde constat, pontifices Rom. non potuisse ab aliis patriarchis depositos solos, & propria authoritate restituere.

Nonò, hæretici nec summam in iudicando potestatem habent, nec omnino iudices esse merentur. Non illud, quia ecclesiæ iudicium certum esse debet: Non hoc, quia omni iuris priuilegio excidunt hæretici. nec hoc vel Bellar. vel ipsi pontifices Rom. negare solent. At certum est multos pontifices Rom. in hæreses grauissimas incidisse. multi scriptores fidedigni *Liberium, Felicem*, *Anastasium* 2. *Honorium* 1. *Gregorium* 7. *Ioannem* 22. & 23. & aliquot alios, hæreticos fuisse memorant. Publicè etiam nunc omnes grauissimas hæreses defendunt. Cum *Simone Mago*, *Marcellina* & *Iacobitis* colunt imagines, cum *staurolatris* crucem adorāt: cum *Angelicis* angelos, cum *Collyridianis* virginem Mariam adorant. Vulgò spiritualia & eis annexa, imò cælos & Deum vendunt, & emunt; & ex sanctissimis ecclesiæ sacramentis quæstum nunc vulgò faciunt. Cum *Pelagianis* partiuntur salutis media inter gratiam & liberum arbitrium; & limbum infantium apud inferos esse credunt. Dum transubstantiationem tuentur, Christo corpus tribuunt, quale nullus vnquam homo habuit, nec habere potest: totamq; humanitatis Christi rationem, nō minùs quàm Marcion, aut Eutyches, destruunt. Ex [1] Manichæorum fæce dogma de communione sub vna specie, & cœlibatu in sacerdotibus suis hauserunt. Multas deniq; hæreses & veteres & nouas publicè proponunt, defendunt, & sequuntur. atque eo nomine multos iam annos viri pii eos accusarunt. at iudex sedere non debet, quem vel hæreticum esse constat, vel qui eo [2] nomine accusatur, aut infamis est.

Decimò, non debet iudicis partes suscipere, nec vt eas sibi sumat, alii debent eum admittere ad iudicandum, qui [3] criminis alicuius vel conuictus est, vel reus. omnis enim a iudice legitimo abesse debet infamia. At pontificem Romanum non modò accusarunt multi grauissimorum criminum & flagitiorum, sed etiam eorundem conuicerunt & damnarunt. nihil enim

[1] *Leo serm. 4. de quadragesima.*

[2] *L. negādā. Cod. de his qui accusare non possunt. l. si qui reus, ff. de public. Iudic.*

[3] *Ibid. & dd. in 4. q. 1. c. 1. & 25. q. 1. c. omnes: & 24. q. 1. c. ait. & duob. seqq.*

certius, quàm ipsum blasphemiæ, tyrãnidis, sacrilegii, maiestatis, falsi, cædis, flagitiosę turpitudinis, periurii, & aliorum criminum abominandorum teneri. Et *blasphemia* quidem, quòd & nomen Dei, & honores sibi arrogat; *Tyrannidis*, quòd non modò cæterorum episcoporum iura inuasit, sed etiam principum maiestatem pedib. conculcauit; *Sacrilegii*, quòd bona omnia sacra ad se rapuit; *Maiestatis*, quod aduersus imperatores rebellauit; *Falsi*, quòd & diuinos codices, & patrum scripta corrupit; *Cædis*, quòd omnia illa bella, quibus iam diu arsit resp. Christiana, excitauit; *Flagitiosæ vitæ*, quòd non modò turpissimè viuit, sed ex scortis magnũ vectigal percipit; *Periurii*, quòd non modò subditos à fide data principibus absoluit, sed etiam fœdera frangit, & iuramenta sua contemnit: quæ nos tot exemplis illustrare possumus, vt nec magnum volumen eis recensendis sufficiat.

Vndecimò, multa incommoda ex hoc supremo pontificum Rom. iudicio consequuntur. *Primò*, multæ absurdissimę interpretationes vbiq; in Decretalib. eorũ reperiuntur. neque necesse est aliquas dicere, cum harum interpretationum illæ plenæ sint. Ridiculas etiam procuratorum suorum allegationes probat: quas tamen omnes probent necesse est, qui has à summo iudice profectas concedunt.

Probandæ etiam essent omnes pontificum Rom. epistolæ decretales, tanquam à summo controuersiarum iudice profectæ. imò omnes Christiani ridiculas quaslibet eorum sententias sequi tenerentur. Põtifex quidam *Virgilium* quẽdam Germaniæ episcopum hæreseos [1] damnauit, quia antipodes esse docuit. hoc tamen credere omnes Papistæ tenẽtur, si eum summum esse fidei iudicem contendant. Quantumlibet deniq; vel scripturæ, vel sensui repugnet pontificis Rom. sententia, ea, hoc dato, *pontificem Rom. summum esse iudicem in controuersiis fidei & morum*, tenenda & sequenda est. [2] Vetat Deus *fieri sculptilia & similitudines rerum vel in cælo desuper, vel in terra infrà. vt adorentur aut colantur.* Papistæ tamen, quia pontifices aliter pronunciant, faciunt sculptilia, & multa simulachra, eaque colunt

[1] *Auentinus histor. Boiorum.*

[2] *Exod. 20.*

colunt & adorant. Dicit apostolus Christum assumpsisse carnem nostram, & sensus nostri nos docent panem manere in sacramento: illi tamen pronuntiarũt & definiuerunt eum carnem assumpsisse, quæ in infinitis locis tota simul esse potest: & [1] docent nos non panem, sed Christi corpus in sacramento ore comedere. Christus dixit, *bibite ex hoc omnes*: & intellexit omnes cõmunicantes & recipiẽtes alteram sacramenti speciẽ. isti nihilominus pronuntiant non omnes debere de calice illo bibere. Sexcentæ sunt huiusmodi pontificũ Rom. ridiculæ, insulsæ, falsæque sententiæ, quas nemo potest non sequi, qui ipsos summos esse iudices in causis religionis concedit.

[1] *C firmiter de summ. Trin. & fid. Cath.*

Præterea, si ipsius sententiam omnes sequi teneantur; tum si pontifex Rom. in hæresim inciderit, omnes Christiani hæretici euadent, & ruet ecclesia, & portæ inferi præualebunt aduersus eam. Sin autem incertum est quis sit pontifex, vt sæpe in schismate factum est: tũ fides incerta erit. idem etiam fiet, si incertam & dubiam tulerit sententiam. Deinde si certò aliquid pronuntiarit esse de fide, & hoc propterea necessariò credendum sit; tum obiectum fidei nõ erit veritas prima, sed pontificum & hominum sententia: & fides nostra in illorum iudicium postremò resoluetur, & in illud recumbet: quod fidei Christianæ summè repugnat, & absurdum est. Pontifex denique maior erit, & maior ipsius erit authoritas, quàm ecclesiæ. de scriptura enim disputare licere concedunt; at de pontificis sententia nulli fas esse dicunt dubitare, aut disputare. Scripturas denique negant canonicas esse quoad nos, nisi propter pontificis sententiam. at pontificis definitioni propter se credendum sentiunt. Postremò, nec scripturis erit credendum, nec fides recipienda, nisi ita pontifex statuerit.

Duodecimò, multis testimoniis patrum & virorũ doctissimorum probatur, & concilium generale legitimè congregatum summam habere in terris iudicandi potestatem, & pontificem Rom. eam non habere. Sententiam synodi Nicenę [2] Constantinus non aliter accipiendam censuit, *quàm Dei sententiam*. Patres ve-

[2] *In ep. ad Alexand. Socr. lib. 1. c. 6.*

rò Niceni quæ in controuersiam adducta sunt, à *se constabilita* [2] dixerunt. Constantinus verò licèt summo studio fidei sinceritatem & vnitatem, & cultus diuini consensum quæreret, hoc tamen nisi concilii Niceni decretis obtinere non potuit. *Illud*, inquit [3] ille, *haud poterat in loco tuto, firmoque collocari, nisi vel omnes episcopi, vel maxima eorum pars in vnum conuenisset, singuliq; iudicium de rebus ad sacratissimam religionem pertinentibus interposuissent.*

[2] *In epistol. concilii Niceni ibidem.*
[3] *Euseb. lib. 2. de vit. Cōstant. c. 16.*

Canones [4] apostolorum & [5] conciliorum vt summam iudicandi potestatem in concilio generali esse dixerunt; ita summam hanc pontificis Rom. in iudicando potestatem non modò nesciuerunt, sed etiam excluserunt. quomodo enim summa potestas sit in pōtifice Rom. cum antiqui canones omnes difficiliores controuersias ad synodum retulerunt?

[4] *Can. 38.*
[5] *Concil. Nicen. c. 3. & Antioch. c. 14. & concil. 8. c. 26.*

De baptismo hæreticorum magna controuersia exorta, non aliter quàm synodi generalis diffinitionē determinari potuit. multa dixit Stephanus contra Cyprianum, sed frustra. At in synodo generali tandem omnis contentio sublata est. *Plenario orbis concilio*, inquit [6] Augustinus, *quod saluberrimè sentiebatur, remotis dubitationibus firmatum est.* Similiter controuersia de Paschate, non authoritate *Victoris* episcopi Roma. sed decreto synodi Nicenæ sublata est.

[6] *Lib. 1. de baptism. cōtra Donatistas, c. 7.*

Statuit imperator [7] Martianus, *vt in conciliis generalibus diffinita non retractarentur.* at post pontificis Rō. sententiam controuersia de paschate, & baptismo hæreticorum, sæpe tractata est.

[7] *L. nemo, Cod. de sum. Trin. & fid. Cath.*

Gregorius Nazianzenus, cum aduersarii authoritate concilii pugnarent, & suam sententiam eius testimonio ibidem confirmari dixissent; *ostendant hoc*, inquit, *& acquiescemus.*

Veritas est catholicæ fidei, inquiunt patres [1] Basileenses, *sacrum generale concilium supra papam & alium quēuis potestatem habere.* Iidem Eugenium contrà sentientem hæreticum pronuntiarunt, [2] Orthuinus Gratius synodum Basileensem, & Constantiensem hoc, decreto suo firmasse dicit. & sanè arrogantis est, suam opinionem totius synodi decretis anteponere. *Quæ maior*

[1] *Æneas Sylu. de gest. concil. Basil. lib. 1.*
[2] *Fascic. rerū expet. & fug.*

ior superbia, inquit [1] Bernardus, *quàm quod vnus homo toti congregationi iudicium suum anteponat?* hoc patres [2] Africani absurdum esse putarunt. hoc reprehendit [3] Augustinus: Cyprianus *rem ad omnium consilium spectantem iudicare* [4] *noluit solus.* Africani voluntati pōtificis strenuè restiterunt, & hoc idem multi alij fecerunt. Nostri reges gratias exspectatiuas & prouisiones pontificum Rom. lege lata abrogarunt: [5] Galli nec sextum Decretalium, nec Extrauagantes probant.

Postremò, si verè demonstratum est pontificē Rom. nec summum esse totius ecclesiæ rectorem; nec Petri successorem, nec episcopum; quod sanè copiosè factum confidimus: tum nec summus potest esse cōtrouersiarum fidei; & morum iudex. hoc enim ad summam pertinet potestatem, & illud pontifices Rom. tanquam episcopi Rom. & Petri successores sibi vendicant. Atque ista ad confirmationem sententiæ nostræ sufficiunt. nunc ad sophismata Bellarm. respondendum est:

[1] *Citatur à Pico Mirād. in quæstione, An Papa sit supra concil.*
[2] *In epist. ad Celest. inter act. synod. 6.*
[3] *De baptis. lib. 2. c. 1.*
[4] *Lib. 3. epist.* 10.
[5] *Lege de prouision. & pramun.*

Diluuntur Bellarm. sophismata, quibus ille pontificis Rom. summam in iudicando potestatem astruere conatur, CAP. II.

PRimùm Bellarmini argumentum est, *Pontificem Rom. esse caput & pastorem totius ecclesiæ, & propterea esse summum iudicem* [6]. Sed nec antecedens verum est, vt nos multis ostendimus; & languida ipsius disputatio ipsum docere potuit: nec consequens omnino necessarium. Nam Apostoli singuli pastores erant totius ecclesiæ, etsi summa non esset singulorum potestas: iidemq; quodammodo capita dici potuerunt. rectè ergo in authorem hoc telum retorqueri potest: plenè ostensum esse, ipsum nec caput esse, nec pastorē totius ecclesiæ, & propterea non magnam habere de rebus ecclesiæ iudicandi potestatem: saltem non summam.

[6] *Lib. 4. de pont. Rom. c. 1.*

Secundum Bellar. argumentum in certitudine iudicii pontificalis positum est. Sed arundini innititur, qui in hac certitudine pontificalis iudicii spem ponit. nos enim multis ostendimus, iudicium pontificis & incertum esse & nullū: imò hoc satis ex iis quæ iam

dicta sunt constat. Verùm vt certum esset ipsius iudicium; non tamen propterea summum erat. nam Prophetæ in veteri testamento, & Apostoli singuli in nouo certò de rebus fidei iudicabant: non tamen in singulis erat summa iudicādi potestas. Sed quia hæc infirma erant, pollicetur se *pauca prolaturum ex lege, ex euangelio, & patribus*: & hoc se dicit fecisse, *ne nequicquam ista dixisse videretur.* sed præstitit omnino tacuisse, quàm tam pauca, & infirma, & aliena dixisse.

Tertium argumentum ex Deuter. 17. sumptum est. Ibi se reperisse putat *clarissimum testimonium*, ad probandum pontificis Rom. summum iudicium. Sed nos ostendimus ex hoc loco non pontificis summi, sed potiùs concilii Hierosolymitani potestatem demonstrari: quod & Philo, & Iosephus, & omnes scriptores Hebræi agnoscunt, & ex ipsis verbis scripturæ colligitur. non enim dicit, *venies ad Aaronem, & ipse tibi indicabit*: sed *venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem: & hi tibi indicabunt iudicii veritatem.* vnde constat ipsum loquutum esse de pluribus. quod etiam Bellarminus vidit, & idcirco numerum mutauit, & pro *indicabunt*, deserens veterem interpretem, scripsit *indicabit*, quasi de vno loquutus esset Moses. Locus autem iste ad pontificis Rom. potentiam in iudiciis stabiliendam nihil confert.

Nam primò, non omnia quæ ad summum sacerdotem pertinebant tempore veteris testamenti, ea nunc ad Pontificem Rom. trahenda sunt. cessarunt enim leges cæremoniales, & iudiciorum formulæ: hæc autem lex Deuter. 17. quæ fundamentum & institutionem continet Sanedrin Hierosolymitani, ad iudiciorum Mosaicorum pertinet formulam.

Secundò, tempore huius legis sacerdos omnem suam potestatem sacerdotalem acceperat: at executio huius legis nō antea fieri potuit, quàm Deus sibi certum sui cultus locum elegisset. *Surge & ascende*, inquit Moses, *ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus.* pertinebat ergo huius legis executio ad tempus illud quando Hierosolymis concilium illud summum institutum est.

Tertiò,

Tertiò, iudices hac lege constituti sunt plures. Neque ad rem facit, quod vetus interpres habet, & *nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur:* vnde putat Bellarm. *pronuntiationem sententiæ ad sacerdotem, executionem ad magistratũ politicum spectasse.* nam longè aliter est in Hebræo & Græco. nam codices illi ita habent, *vir qui egerit superbè, ita vt nolit obedire sacerdoti stanti ad ministrandum coram Domino Deo tuo, aut iudici, vir talis morietur.* vnde sequitur parem, in pronuntiatione sententiæ tributam potestatem iudici & sacerdoti: & iudicem non executum esse sententiam, vt ineptè colligit Bellarm. sed decreuisse & definiuisse. nam in Hebræo est *o el hashophet*: & in Græco, *ἢ κριτῇ*, & vetus interpres habet, *ex decreto iudicis morietur vir ille:* & priùs dictum est, *& ipsi indicabunt tibi iudicii veritatem*: quæ non possunt nisi de pluribus intelligi. Atque hæc non nos soli primi animaduertimus. *Interpres*, inquit [1] Caietanus, *mutauit. nam Hebraicè habetur*, vel iudici. *disiunctiuè enim dicitur*, non obediendo sacerdoti, vel iudici. *vbi prudens lector aduerte, quod definitio ambiguæ causæ non ab vnô, sed à multis sacerdotibus, & iudice describitur. præcipere executionem attribuitur pontifici, vel iudici: par pœna decernitur opponenti se sacerdoti, vel iudici.* Cyprianus etiam ita hunc locũ vertit: *vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem. lib. 3. epist. 9. ad Rogat.*

[1] *In Deut. 17.*

Postremò, non tãtùm causæ ecclesiasticæ, sed etiam ciuiles ad hoc iudicium referebãtur. nam *inter sanguinem & sanguinem, & causam, & causam* potestatem iudicandi ex hac lege iudices ibi designati habuerunt. vnde sequitur, si summa iudicandi potestas ex hac lege sacerdotis propria esset; eum & de rebus ecclesiasticis & temporalibus directè summum esse iudicem: quod ipse negat Bellarm. & nonnisi stultissimè affirmari potest.

Profert quarto loco verba illa Christi ad Petrum, *pasce oues meas*: quæ sunt illi instar Delphici gladii; ita illis ad omnia probanda abutitur. Respondeo ergo, sicut antea sæpiùs, verba hæc neque ad pontificem Rom. pertinere, neq; ad summã iudicandi potestatem

probandam cōmodè posse detorqueri. *Non illud*, quia pontifex Rom. iamdiu desiit pascere Christi oues. *Non hoc*, quia licèt omnes oues Petro commissæ sint; tamen non aliter Petro traditæ sunt, quam reliquis a-
[1] *Matth.* 28. postolis, cum potestatem [1] acceperunt *docendi omnes gentes*, & *prædicandi euangelium*, vt loquitur Christus a-
[2] *Marc.* 16. pud [2] Marcum, *omni creaturæ*. At reliquis apostolis nō est data summa iudicandi potestas: imò, nec Petro so-
[3] *Galat.* 2. li. ipse enim cum à [3] Paulo reprehensus esset, non ia-
[4] *Act.* 25. ctauit se summum esse iudicem. nec [4] Paulus à Iudęis accusatus, & à Festo metuens iniuriam Petrum appellauit, sed Cæsarem. Dico deniq; verba hæc, *pasce oues meas*, ad omnes bonos pastores pertinere, & propterea summam iudiciorum potestatem significare non posse. neq; enim sunt omnes pastores summi iudices, licèt habeant quandam iudicandi facultatem.

Quintum ipsius argumentum ab authoritate patrum sumptum est: eique ex pōtificibus Rom. scribitur supplementum. Sed patres ipsum in hac causa planè
[5] *In Epist. ad Damasum de tribus hypostasib.* deserunt. [5] Hieronymus tanquam *ouis*, *à pastore Damaso præsidium flagitat*, & quæstionis solutionem petit. sed non omnes pastores sunt summi totius ecclesię iudices: nec qui consuluntur in dubiis, summam habent potestatem iudicandi. Hieronymus enim Alexādriam profectus est, vt Didymum de multis consuleret. solentque viri docti sæpe hæsitare, & dubiorum solutionem ab aliis quærere. Ipsi etiam pontifices Rom. alios olim consulere soliti sunt. nam & *Liberius Athanasii*, & *Damasus Hieronymi* consilium quæsiuit, & *Sergius* ex vltima Britannia literas ad Bedam misit. Eugenius etiam nonnunquam ad Bernardum scripsit, eius consilium requirens. nec quicquam vsitatius, quàm vt viros doctos multi consulant; vt ex Hieronymi, Ambrosii, Augustini, & aliorum epistolis videre licet.

[6] *In epist. ad Leonem.* [6] Theodoretus etiam fortasse (neq; enim certa est eius epistolæ fides, quę ad Leonem scripta est) *auxilium ad ecclesiæ vulnera sananda à Leone postulat, sicut olim Paulus solutionem quæstionum de institutis legalibus à Pe-*
[7] *Act.* 15. *tro petiit.* sed nec [7] Paulus ad Petrum solum ascendit, *sed ad apostolos & presbyteros*, nec Theodoretus in solo Leone

Leone auxilium positum existimauit. Atque vt hæc ad illos solos referrent; non tamen propterea vel Petrus à Paulo, vel Leo à Theodoreto summus iudex controuersiarum habebatur. nam præter sententiam Petri, Paulus concilii Hierosolymitani iudiciũ necessarium putauit; & Theodoretus non antè acquieuit, quàm causam suam in concilio Chalcedonensi discussam vidisset. Præterea, multa erant in Petro & Leone, quæ in superiorum temporum põtificibus Rom. valde desiderantur. Petrus apostolorum princeps erat: Leo habitus est vir doctus & probus. at isti capita sunt impietatis & sceleris, &, vt plurimùm, homines indocti & inelegantes, ne quid grauius dicam.

Zozimus *decreta synodalia concilii Carthaginensis ad se perlata probauit*, vt inquit [1] Prosper, *& sic per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Sed neq; propter ipsius sententiam in toto mundo damnata est heresis Pelagiana; neq; ad ipsum perlata sunt synodi decreta, vt ad summum iudicem, sed potiùs vt subscriberet, & ea per suam diœcesin seruari curaret. *Non primum*, quia non minùs valebant in Palæstina, & Africa synodorum contra Pelagium sententiæ, quàm Romæ cleri Romani decretum. *Non secundum*, quia mos erat, vt acta synodalia mitterentur absentibus subscribẽda & probanda. *Hæc ita scriptis mandata*, inquit [2] Athanasius, *sacrum Sardicense concilium ad eos, qui interesse non poterant misit, qui & ipsi quoque suis suffragiis decreta synodi approbarunt.* istos tamẽ nemo summos iudices propterea existimauit. nam & acta synodi Nicenæ [3] Cõstantinus; & Chalcedonensis decreta [4] Theodosius & [5] Martianus confirmarunt. Victorinus [6] scribit, *innumerabiles episcopos concilium Constantinopolitanum approbasse.* quæro ergo à Bellarm. num ille hos omnes summos iudices fuisse existimet.

Gregorius primus se iudicem [7] offert in causis difficilioribus Gallorum. longè tamen abfuit ab hac arrogantia, vt se summum totius orbis iudicem diceret. neque enim voluit se dici vniuersalem, nec ignorauit conciliorum authoritatem maiorem esse, quam suam. eorum enim decreta tanquam euangelium amplexus

[1] *In Chron. anno 420.*
[2] *Apol. 2.*
[3] *Euseb. de vit. Cõstant. c. 19. & 20. & 22.*
[4] *Act. 1. cõc. Chalced.*
[5] *Act. 3.*
[6] *Lib. 2.*
[7] *Lib. 4, epist. 52.*

est. at nusquam de suis decretis tam honorificè sensit. imò se Mauritii *iussionibus obediẽtem* fore [1] profitetur: quod ipsum non decuisset, si summus fuisset omnium controuersiarum iudex.

[1] *Lib. 4. epist. 32. ad Mauritiu.*

Ad supplementum argumenti, quod ex pontificum Rom. decretis constat, respondeo, impudenter Bellar. facere, qui ipsos in causa propria toties producit testes. Dico secundò, multo fuisse Bellarmino pontifices istos pudentiores. Nam vt valde essent ambitiosi; nusquam tamẽ se summos esse totius orbis iudices iactare soliti sunt. Consului ego *Innocentium*, & *Leonem*, & alios, vt iubet Bellar. nihil tamen illi habent, vnde hæc potestas summa in iudiciis fidei probetur. imò nec *Gelasius* ille catagelasimus, nec *Nicolaus* ille, aut *Innocentius* tertius affirmare ausus est se summum esse controuersiarum iudicem.

Atque ita è summo ecclesiæ tribunali detractus est iudex iste voluntarius, qui nullo mandato iudicandi potestatem inuasit. cur autem eum in causa & sua & nostra nolimus iudicem esse, alias habemus grauissimas rationes. nemo enim in sua causa iudex est idoneus: nemo non, contra inimicos infestus. hũc autem & iniquissimum, & infestissimum esse eiurare licet: idque non nobis solùm, sed bonis omnibus. Præterea, est hostis fidei, & Christi aduersarius. homo denique impurus est & illepidus. Sed his omissis, videamus quale sit pontificis Rom. tãtoperè iactatum iudicium: & an adeo certum sit, vt Bellarm. prædicat:

Papa Rom. iudicium non esse certum, aut indubitatum: aduersus Bellar. lib. 4. de pontif. Rom. c. 2. CAP. III.

DE Papæ infallibili, vt loquuntur, & certo in rebus fidei iudicio acturus Bellar. pontificem dicit *quatuor modis posse considerari: Primò, vt est doctor particularis: secundò, vt pontifex, sed solus: tertiò, vt pontifex cum cardinalium & consiliariorum cœtu: quartò, vt pontifex. sed vnà cum concilio generali.* addidisse etiam potuit, *vt pontifex cum conuiuis in symposio*: solent enim hoc sæpiùs facere. & *vt pontifex cum gregalibus ludens in alea*: vt de Ioanne decimo tertio narrant. & *vt pontifex*

cum

cum militibus pugnans in acie. nam hoc Iulium secundum strenuè fecisse dicunt. & *vt pontifex cum amicis ambulans in hortis, & vt pontifex cum scortis dormiens in lecto.* Et sanè cum cogito, dormiens minimum facit mali, & minùs peccat, quàm vigilans. omnia sanè ista æquè ad hanc controuersiam spectant. Nam si vt doctor particularis hæreticus esse, & hæresim docere possit; quid ni ista possit, vt pontifex aliquid diffiniẽs & statuens; cum idem homo sit doctor & pontifex? Præterea, si solus pontifex hæresim docere possit: aut non est summus iudex, aut etiam vel repugnantibus & contradicentibus cardinalibus & episcopis, vel consentientibus, hæresim docere potest. quomodo enim summus est, qui non potest solus statuere, & cuius sententia ex aliorum suffragiis pendet? & quomodo qui solus potest omnia statuere, & ab errore non sustinetur quando solus, vel in concilio non potest falsum definire? Nos, vt intelligatis nihil interesse inter hæc, quæ tam curiosè distinguit Bellarm. atque vt has ineptias contemnere discatis; pontificem Romanũ quocunque modo consideretur, errare potuisse; & etiam omnibus suis mediis adhibitis, quę ipsum cadentem sustinerent, nihilominus reuera errasse docebimus.

Primò, scripturæ, & põtifices summos, & omnes homines vanitati subiiciunt, & mendacii arguunt. [1] *Omnis pontifex*, inquit apostolus, *circundatus est infirmitate.* & licèt Christus à peccato immunis esset; hoc tamen non conuenit reliquis pontificibus, qui merè homines sunt. *Vani*, inquit [2] propheta, *sunt filii hominum: mendaces sunt filii hominum in stateris.* si ergo communi sorte hominum natus est Rom. pontifex, cur non ipse mendax sit? Præterea, veritatem ita Deo tribuunt, vt ipse sit solus verus. Hæc, inquit [3] Ioannes, *dicit sanctus, & verus.* Christusq; seipsum Veritatem dici voluit. ideo deniq; prophetæ & apostoli vera loquuti sunt, quia Deus per eos loquutus est. apostolos enim Christus se in omnem veritatem ducturum [4] promittit. At de põtifice Rom. nulla extat talis promissio, nec vsquam scriptum est Deum per eum loqui.

[1] *Hebr. 5.*
[2] *Psal. 61.*
[3] *Apoc. 3.*
[4] *Ioan. 14.*

1 *Thō. Aqu. 2. 2. q. 1. act. 1. & 3.*
2 *Lib. 2. aduers. hæres. c. 46.*
3 *Hom. 1. in ep. ad Titū.*

Secundò, ipsi docent [1] aduersarii, *nihil esse de fide, nisi quod Deus reuelauit*; & obiectum fidei dicunt esse *veritatem primam*. pii omnes intelligunt nihil esse de fide, nisi quod in scripturis Deus reuelauit. *Euangelium*, inquit [2] Irenæus, *tunc præconiauerunt* (apostoli) *postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum, & columnam fidei nostræ futurum.* *Omnia*, inquit [3] Chrysostomus, *euangelium continet & præsentia & futura, honorem, pietatem, & fidem, simul omnia prædicationis verbo conclusit.* Ostendant ergo, vbi scriptum sit, aut saltem vbi Deus reuelauit pontificem in suis decretalibus & actis publicis de fide, aut solum, aut cum concilio suo non erraturum. quid cessant? quid tergiuersantur? Si non putent hoc necessarium esse, tum non sunt illa credenda, quæ illi docent esse de fide. quomodo enim credendum est ea omnia fidei dogmata quæ pontifices docent, ad fidem pertinere, nisi hoc de fide sit, eum errare non posse, cum docet? proferant ergo aliquod verbum reuelatum: aut si hoc non possint; saltem aliis firmis argumentis hoc ostendant. aut denique fateantur pontificis decretales falsas & hæreticas esse posse, & ipsius iudicium incertum esse.

4 *Epist. 151.*
5 *Sigo. de rep. Hebr. lib. 5.*
6 *Exod. 32.*

Tertiò, non maius concessum est pontifici priuilegiū nunc in statu gratiæ, quàm olim summo sacerdoti Iudæorum tempore legis. ipsi enim aduersarii summum sacerdotem Hebræorum figuram esse pontificis Rom. dicunt, & de translatione sacerdotii à Iudæis ad Romanos multa somniant. at de Hebræorum pontifice summo non est dubium, quin errare potuerit, & etiam reuera in fidei negotiis errarit. Nam *primò*, cabala Iudæorum & δευτερώσεις, in quibus multi continebātur errores, inuenta erant summorū pontificū. erant sanè fabularum plenissimæ. *Quantæ*, inquit [4] Hieronymus, *traditiones Pharisæorum sint, quas hodie vocāt δευτερώσεις, & quàm aniles fabulæ, euoluere nequeo.* cabala enim nihil aliud erat, quàm sine scripto traditio fabulosa, per successionē sacerdotum & seniorū ad posteros [5] deducta. Deinde, certum est, Aaronem grauiter errasse, quando vitulum aureum cōflauit, & ita [6] proclamari

fecit,

fecit, *Hi sunt dii tui:* & altare etiam coram eo ædificarit.

Neque dubitare debemus quin deficiente populo à Deo ad cultum idolorum, summi etiam sacerdotes simul errauerint. De *Vria* testimonium perhibet sacra [4] Scriptura, *quod extruxerit altare ex mandato Achaz, ad exemplar & similitudinem altaris Damasceni.* qua in re grauiter eum peccasse nemini dubium esse debet.

[4] 4. *Reg.* 16.

Temporibus verò Machabæorum, quando sacerdotium summum venale esse cœpit, in grauissimos errores incidisse videntur sacerdotes. Iason sacerdos ad ritus gentilium populares suos transtulit, &, vt ait Machabæorum historiæ [5] scriptor, *praua instituta sanxit.*

[5] 2. *Mach.* 4.

Summi denique sacerdotes Christo iam nato, & de Ioanne Baptista, & de Christo Iesu falsam habuerunt sententiam. Caiphas verò mundi seruatorem condemnauit, & reum mortis pronuntiauit. cur ergo non errent pontifices Rom. cũ summi sacerdotes Hebræorum à Deo instituti errarint?

Quartò, nec sanctis apostolis datum est, vt semper de fide rectè sentirent, & nullo modo errarent. [6] Petrus Christum Hierosolymam profecturum reprehendit, & à passione & opere redemptionis perficiendo deterruit. vnde audiit: *Vade post me Satana.* Idem Dominum & mundi redemptorem ter abnegauit: quod fœdius erat & grauius peccatum, quàm falsum dogma proponere. Idem, postquã ei dictum esset, *Pasce oues meas,* & de Christi [7] regno terreno, & de legis cæremonialis [8] abrogatione grauiter errauit. Illud [9] Chrysostomus docet. *Arbitror,* inquit ille, *ne illud quidem aliquo pacto esse illis cognitum, quod tandem esset illud regnum.* Loquitur de apostolis à Christo sciscitantibus, *an tum regnum Israeli restituturus esset.* Hoc inde probatur, quia [1] Paulus *Petro in faciem restitit, & quia reprehensibilis erat.* neque sanè verisimile videtur Paulum eum rectè sentientem reprehensurum fuisse. Neque obstat, quod Apostoli ducti sunt in omnem veritatem. nam hoc de edentibus scripturas & in Christi mandatis persistentibus intelligendum est. Quæ ergo

[6] *Matth.* 16.
[7] *Act.* 1.
[8] *Gal.* 2.
[9] *In Act.* 1.
[1] *Gal.* 2.

arrogantia est, plus sibi sumere, quàm Petro concessum erat, & asserere iudicium suum certum & infallibile esse?

Quintò, vt Apostoli quoad doctrinæ traditæ certitudinem æquales erant; sic nihil afferri potest causæ, cur non ipsorum legitimi successores, quoad doctrinam & prædicationem æquales essent. ad omnes enim æqualiter pertinet hoc Christi ad Petrum, *Pasce oues meas*, & de eis [2] dixit omnibus, *qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Christus etiam pro omnibus [3] rogauit: & omnibus ex æquo [4] dixit, *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Antiqui patres & canones, omnes patriarchas æquali iure & potestate præditos censuerunt. Synodus [5] Chalcedonensis paria detulit ecclesiæ Constantinopolitanæ priuilegia cum Romana. Omnes etiam metropolitanos pares constituerunt. Decreuit synodus [6] octaua, vt nullatenus Metropolitanus in Metropolitanum, aut episcopus in episcopum ius habeat. In synodis paria erant omnia episcoporum suffragia: & non minùs successere episcopi Thessalonicenses, & Philippenses Paulo aut Ephesini Ioanni, quàm episcopi Rom. Petro. Imò æquè episcopi Antiocheni, & episcopi Cæsariæ vbi Petrus Zacchæum episcopum ordinasse dicitur, *Petro* successere, ac episcopi Roman. Cum ergo aliarum Apostolicarum ecclesiarum episcopi non habuerint certum de fide iudicium, & pleríque eorum à Christo prorsus defecerint; quî magis certum sit pontificum Roman. iudicium, quàm reliquorum omnium?

[2] Luc. 10.
[3] Ioan. 17.
[4] Matt. 28.
[5] Act. 16.
[6] Can. 26.

Sextò, patres non aliter de episcopis Rom. quàm de aliis, quoad iudicium de fide, existimarunt. [7] Cyprianus *desperatos & perditos vocat, quibus minor videtur esse authoritas episcoporum in Africa constitutorum, quàm episcoporum Rom. ad quos confugerunt.* Patres [8] Africani absurdum esse censuerũt putare; *vnum episcopum Rom. certius iudicare, quàm multos.*

[7] Lib. 1. epist. ad Cornelium.
[8] In epist. ad Celestinum post synod. 6. Afric.

Marcellinum Christum abnegasse plures scribunt. at minus est in hæresim labi, quam Christum abnegare,

Liberium

Liberium hæreticũ fuiſſe credidit [9] Hieronymus. *Liberium*, inquit ille, *Romanæ vrbis epiſcopum pro fide in exilium pergentem primus (Fortunatianus) ſolicitauit ac fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeôs compulit.* De Liberio idem ſcripſêre Athanaſius, [2] Euſebius, [3] Damaſus, & multi alii: quod nunquam feciſſent, ſi adeo certum exiſtimaſſent eſſe epiſcopi Rom. iudicium, vt in hæreſim incidere non potuiſſet.

[4] Socrates Felicem Arrianum fuiſſe ſcripſit; eique [5] Hieronymus ſuffragatur. Auguſtinus & traditores, & hæreticos in ſedem Rom. ingredi potuiſſe ſignificat. neq; vllus vnquam fide dignus author de iſta re dubitaſſe videtur.

Septimò, fatentur aduerſarii papam propter hæreſim deponi poſſe: atq; hæc communis eſt [1] canoniſtarum ſententia: eamq; acta, [2] ſynodi octauæ, & decreta [3] Adriani ſecundi confirmant. eam etiam ſequuti ſunt Ioannes [4] Gerſon, & Almain. [5] Caietanus docet papam & in hæreſim poſſe incidere, & verè & ex authoritate poſſe deponi. nec illud affirmare veritus eſt Alphonſus à caſtro. *Aliquos pontifices ſummos*, inquit ille, *in fide erraſſe compertum eſt.* [6] Adrianus ſextus nuper pontifex contra vulgatam iſtorum diſtinctionem non dubitauit aſſerere, *pontificem Roman. etiam per decretalem, falſum in his quæ tangunt fidem aſſerere poſſe. Si per eccleſiam Roman.* inquit Adrianus, *intelligatur caput eius, puta pontifex: certum eſt, quod poſſit errare, etiam in his quæ tangunt fidem, hæreſim per ſuam determinationem, aut decretalem aſſerendo.* Hoc etiam [7] Innocentius tertius, & aliquot apud aduerſarios authores non ignobiles aſſeruerunt. Fatetur denique [8] Bellarm. hanc opinionem, *quod Papa poſſit eſſe hæreticus*, eſſe *certam & communem.* Quod ſi ergo hæc ita ſe habeant, tum non eſt certum & infallibile pontificis iudiciũ: etſi aliâs hæreticus eſſe poſſit, nulla ratio afferri poteſt, cur non poſſit ſuam hæreſim docere, & per decretalem ſuam confirmare. nam quod dicit ille, *pontificem, quamprimùm incidit in hæreſim, deſinere eſſe Papam*; ridiculum eſt. neque enim qui incidunt in hæreſes deſinunt eſſe epiſcopi & paſtores, quæ voca-

[9] *In catal. verbo Fortunatianus.*
[1] *In epiſt. ad ſolitar. vit. agentes.*
[2] *In chronic.*
[3] *In pontific.*
[4] *Lib. hiſt. 2. c. 25.*
[5] *In catalog. verb. Acacius.*
[1] *In c. 2. ſi papa. diſt.* 40.
[2] *Act.* 7.
[3] 8. *Synod. act.* 7.
[4] *De poteſta. eccleſia.*
[5] *De authoritate Papæ & concilii.*
[6] *Lib. de ſacram. c. de confirmat.*
[7] *Serm. 2. de conſecrat. pontif.*
[8] *Lib. de pontific. Rom. c.* 30.

bula honores ecclesiasticos designant; neq; vnquam legimus quenquam excidisse è papatu nisi per mortem, resignationem, aut sententiam.

Octauò, multis exemplis constat & pontifices Rom. fuisse hæreticos, & hæreses docuisse. [1] Tertullianus episcopum quendam Roman. Montani hæresim secucutum esse, & decretis suis eam confirmasse author est. *Agnouit*, inquit ille de episcopo Rom. verba faciens, *Prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ, & pacem dedit ecclesiis Asiæ & Phrygiæ.* Asiaticæ autem illæ ecclesiæ Montani hæreses sequutæ erant. Nec verisimile est mentitum esse Tertullianum, vt respondet [2] Bellarm. quid enim ille proficeret apertè mentiendo? At cur Bellarm. mentiatur causæ sunt grauissimæ. est enim Iebusita, & pontificis mancipium; & propter mendacia factus est nuper cardinalis. Dicit ergo secundò *Zepherinum pacem dedisse ecclesiis Asiæ & Phrygiæ, quia falsò illas accusatas putabat.* quasi verò verisimile sit episcopũ pium cum illis cõmunicare voluisse, quorum opiniones nesciebat, aut non vulgò noti essent *Phrygum* eo tempore errores. Præterea, dicit *Tertullianus* eum agnouisse prophetias *Montani:* quod plus est, quàm si deceptus pacem tantùm eis dedisset.

[1] *In lib. contra Praxeã.*

[2] *Lib. 4. de pont. Rom. c. 8.*

Marcellinus sacrificauit idolis, & fidem abnegasse dicitur. eo enim nomine damnatus est à synodo Sinuessana: & hoc narrat [3] testis nõ leuis Damasus. eiq; subscribit vir apud Bellarm. primarius [4] Nicolaus primus. At *Christum* abnegare multò grauius est, quàm in hæresim incidere; & valde rationi repugnat, vt qui à Christo excidere possunt, non etiam possint hæresim amplecti & docere. Respondet [5] Bellarmin. *eum actu tantùm externo Deum abnegasse.* quasi verò hoc non sit apostatæ, & non sit verisimile eum velle & posse malè docere, qui pessimè facere non veretur.

Liberius hæresim Arrianam amplexus est. hoc enim grauissimi authores testantur, [6] Athanasius, [7] Hieronymus & [8] Damasus. Hieronymus dicit eum *in hæresim subscripsisse.* Wernerus non negat *ipsum fauisse Arrianis,*

[3] *In pontifical.*

[4] *Epist. ad Michael.*

[5] *Col. 976.*

[6] *In epist. ad solit. vit. agent.*

[7] *In catal. verb. Fortunatianus.*

[8] *In pontifical.*

rianus, & ideo tanquam hæreticum à catholicis eiectum fuisse [9] scribit. hoc etiam alii scriptores grauissimi narrant. At, inquit [10] Bellarmin. ante exilium *certum est eum acerrimum fuisse catholicæ religionis defensorem.* Sed nihil hoc ad rem. nam in exilio constat eum à Fortunatiano persuasum hæresim amplexum esse. Dicit ergo vlteriùs, *eum etiam post exilium orthodoxum fuisse: eum enim Macedonianos ad ecclesiam recipere noluisse:* quasi verò verisimile sit illud Constantium imperatorem Arrianum laturum fuisse, aut non soleant hæretici alios hæreticos excludere. Dicit præterea *post mortem habitum pro sancto, & laudatum fuisse.* Sed vt aliqua de re laudatus sit, non tamen sequitur eum non fuisse hæreticum: viros enim optimos deceptos fuisse legimus. Postea [1] dicit *eum nec hæreticum fuisse, nec hæresim docuisse, sed tantùm peccasse actu externo.* Quasi verò magis potuerit hæresim docere, quàm cõsentiendo *Constantio*, & in synodo Syrmiensi conueniendo cum *Vrsacio & Valente* Arrianis, & subscribendo damnationi Athanasii. *Primum* [2] Hilarius & [3] Hieronymus, *secundum* [4] Sozomenus & [5] Nicephorus, *tertium* ipse [6] Athanasius scribit. Bellarm. denique dum hæreseôs maculam à *Liberio* abstergere nititur, pugnantia loquitur. Nam *primò* dicit *eum hæreticis fauisse, & cum eis conuenisse:* Postea *negat eum hæreticis fauisse. Secundò* dicit ipsum subscripsisse hæresi, & consensisse damnationi Athanasii, & Syrmiensis synodi Arrianæ actis; & tamen negat fuisse hæreticum. quasi verò non plus credendum sit eius subscriptioni, quàm Bellarm. negationi. *Tertiò*, conciliare conatur Arrianorum decreta cum catholica fide. quod multo grauius est peccatum, quàm *Liberium* hæreticum fuisse fateri. *Postremò*, minuit peccatum *Liberii*, dicens, *eum tantùm actu externo peccasse.* quasi verò non sit illud grauissimũ peccatum; & non existimentur hæretici ex subscriptione; & deniq; non consensus internus actibus externis prodatur.

Felix etiam secundus hæreticus erat. [1] Hieronymus enim apertè affirmat Arrianum fuisse: & illud etiam ex Socratis verbis colligitur. *Felix*, inquit

[9] *In fasciculo temporũ.*
[10] *Lib. 4. de pontif. Rom. c. 9.*
[1] *Col. 977.*
[2] *Lib. aduer. Constantiũ.*
[3] *In catalog.*
[4] *Lib. 4. hist. c. 14.*
[5] *Lib. hist. 9. c. 37.*
[6] *In epist. ad solit. vit. agent.*
[1] *In Acacio catalog. vir. illust.*

[2] *Lib. 2. hist. c. 29.* [2] Socrates, *Romanæ ecclesiæ diaconus, Arrianæque sectæ addictus, per vim & violentiam ab eodem Vrsacio ad eundem dignitatis gradum delectus.* intelligit autem episcopatum Roman. Hunc & ab Arrianis ordinatum, & cum eis cõmunicasse scribunt [3] Ruffinus, & [4] Theodoretus. Videte ergo, vtrum potiùs Hieronymo, Ruffino, Socrati, & testibus grauissimis eum hæreseôs accusantibus, an pontificis Rom. parasito & mancipio eis contradicenti credendum sit. At, inquit Bellarm. *Martyrologia Rom eum pro martyre celebrant.* Maius ergo peccatum habent, qui hæreticum pro martyre colunt, & intrusum viuente *Liberio*, quem catholicum esse volunt, episcopum fuisse concedunt. Sed non est hoc nouum in synagoga Rom. vt hæreticos & homines nefarios pro martyribus colat. Georgius enim Cappadox hæreticus erat Arrianus; & Thomas Beckettus regi refractarius & rebellis, & Iacobus Clemẽs homicida, & aliquot Iebusitæ patriæ hostes & proditores, qui tamen apud Papistas nunc pro martyribus habentur, & coluntur.

[3] *Lib. hist. 10. c. 22.*
[4] *Lib. hist. 2. c. 17.*

Successor etiam Felicis *Leo* Arrianus fuit, vt testes sunt authores fidedigni, Vincẽtius [5] Beluacensis, [6] Cõradus Halberstatensis, Chronici Chronicorũ author, & [7] Theodoricus Niemensis. Respondet Bellar. *nulliũ vnquam in mundo talem fuisse pontificem*; & ad historicos appellat. Sed duobus aut tribus affirmantibus potiùs credendum est, quàm multis negantibus. neque enim solent omnes historici, in catalogo pontificum recensendo cõsentire. Verùm, vt authores de hac re dissentiant; ex ista tamen successione, in qua nihil est certi, pendet synagogæ Rom. fides: ex successione nempe incertissima, incertior fides.

[5] *Specul. hist. lib. 15. c. 23.*
[6] *In Chron.*
[7] *In labyrintho nemoris vnionis.*

Anastasius secundus *Photinum* hæreticum communioni restituit, & Acaciũ occultè reuocare voluit. nam ita narrat author pontificalis in vita ipsius. *Anastasius*, inquit [8] Wernerus, *seductus ab Acacio communicauit ei, & quia voluit occultè restituere Acacium, Diuino nutu percussus est intestina eiiciendo: & hic videtur secundus infamis Papa.* hoc etiam scripsit [9] Gratianus, & inter decreta retulit: eisque alii complures suffragantur,

[8] *In fascic. temporum.*
[9] *C. Anastasius. dist. 19.*

gantur. At, inquit[1] Bellarm. Acacius *ante Anastasii tempora mortuus erat.* quasi verò cum mortuis hæreticis successores eius prauitatis non cõmunicent. Glossæ author[2] dicit *Anastasium voluisse Acacium in hæresi defunctum occultè reuocare, vt orationes pro eo in ecclesia fierent.* & hæreticis mortuis non rarò anathema dici solet. Præterea, non adeo certũ est Acacium ante tempora Anastasii secundi mortuum; neque hoc ita disertè affirmant[3] Euagrius, [4] Nicephorus, [5] Liberatus, vt Bellarm. affirmat. Verùm vt de Acacio & Anastasio malè distincta sint tempora; de *Photino* quid respondebit Bellarminus? dicit *hoc fortè mendacium esse.* quasi verò non plus asseueranti pontificalis authori credendum sit, quàm Bellarmino dubitanti. Respondet ergo *præterea licere pontifici excommunicatum absoluere, etiam sine concilio.* sed quid illi liceat, hoc loco non quæritur: hoc sanè certum est, hæreticum esse, qui cum hæreticis communicat: & hoc in *Anastasio* secundo Deus ipse declarauit; eum enim mortis extraordinariæ genere percussit. Negat hoc quidem Bellarmin. & hoc etiam ante ipsum negauit[6] Couarrhuuias. sed nullus non videt historicis potiùs credendum, quàm aduersariis, qui causæ seruientes aduersus clarissimam lucem oculos occludunt. Quod autem asserunt Gratianum deceptum similitudine nominis, illud Anastasio pontifici Rom. tribuisse, quod Anastasio Græcorum imperatori accidit; in eo ipsi decepti videntur. nam pontifex Anastasius eiectis intestinis; imperator Anastasius fulmine interiit, admodum diuerso ab illo mortis genere.

[1] *Lib. 4. de pont. Rom. c. 10.*
[2] *Ibidem.*
[3] *Lib. 3. c. 23.*
[4] *Lib. 15. c. 17.*
[5] *Breu. c. 18.*
[6] *Resolut. lib. 4. c. 13.*

Vigilium hæresim docuisse arguit ipsius confessio. *Nos*, inquit Vigilius, *non duas in Christo naturas confitemur, sed ex duabus naturis compositum vnum filium.* Idem etiam affirmant[1] *Liberatus* & *Paulus*[2] *diaconus.* Præterea, apertè emit papatum, & Sylverio adhuc viuente intrusus est, eique mortis causam attulit. Dicit Liberatus *promisisse Vigilium Belisario duo auri centenaria, si Syluerio remoto ordinaretur ab eo.* Respondet Bellarmin. *viuente Syluerio fuisse illum illegitimum pontificem & hæreticum, sed illo defuncto verum &*

[1] *Breu. c. 22.*
[2] *In vita Iustiniani.*

sanctum fuisse episcopum. Sed ridicularia sunt ista putare pontificatum Rom. subitò eluere hæreseôs maculas. *Præterea* Bellarmini assertioni repugnant *Vigilii* literæ post mortem *Syluerii* scriptæ, & verba *Liberati*: quæ ipsum promissa impleſſe de hæresi Eutychis confirmanda ostendunt. respondet ergo vlteriùs, *literas Vigilii ab hæreticis fuisse confictas.* sed multo veriùs affirmaret, decretales pontificum Rom. epistolas confictas fuisse; has enim in archiuis suis seruant: at quomodo hæretici Vigilii literas corrumperent, quas non habuerunt in potestate sua, ratio reddi non potest. nunquam sanè imperatrix *Theodora* creditura fuit, nisi ipsius chirographo.

Honorium primum fuisse monothelitam, & hæresim docuisse, ex ipsius ad Sergium [3] literis cõstat. [4] dicit enim disertè, *se fateri vnam esse voluntatem Domini nostri Iesu Christi.* hoc etiam synodi sextæ patres testantur, & aliquot pontifices Rom. fatentur; vt [5] *Agatho*, & *Leo*, & [6] *Adrianus* secundus. author denique libri pontificalis, & [7] Beda idem affirmant. propterea etiam à synodo sexta damnatus est, quia, vt loquuntur patres eius synodi, *in omnibus Sergii mentem sequutus est, & impia dogmata confirmauit.* Neq; sanè dubium est, quin falsum de fide docuerit, & decreuerit. hoc enim ex verbis istis, & epistolis Honorii & multorum testium dictis probatur.

3 *Inter act. synod. 6. actu.* 12.
4 *Synod. 6. act 6.*
5 *Ad finem 6. synodi.*
6 *8. synod. act.* 7.
7 *De sex ætat. mundi.*

Respondet [1] Bellarm. *fortasse epistolas illas confictas fuisse nomine Honorii.* Quasi verò Agatho, & Leo, & tot patres non meliùs intellexerint, quàm Bellarm. quid Honorius scripserit, & quid non. *Anathematizamus*, inquit [2] Leo, *noui erroris inuentores Theodorum, &c. nec non & Honorium, qui hanc apostolicam ecclesiam non apostolicæ traditionis doctrina lustrauit, sed profana proditione immaculatam fidẽ subuertere conatus est.* Neq; sanè credibile est has epistolas confictas fuisse, & nullum illud ante nostram ætatem animaduertisse: aut tot hoc dicturos fuisse contra tantum virum, & iam mortuum, nisi verum esset.

1 *Lib. 4. de pontif. Rom. c.* 11.
2 *Epist. Leon. ad Constant. in 6. synod. Act.* 18.

Respondet secundò, *in epistolis Honorii non contineri errorem.* Sed aliter vniuersa synodus sexta sensit, & aliter

ter pontifices Romani intellexerunt. & sanè si dixerit Bellarm.*vnam tantùm esse voluntatem Domini nostri Iesu Christi*, quod dixit Honorius; non ille Honorium purgabit, sed seipsum eodem crimine astringet. Atque vt tantùm *prohibuerit nomina vnius, aut duarum operationum*; vt dicit Bellarmin. cur non ille æquè censeatur hæreticus, vt illi, qui vocabulum ὁμοούσιος sustulerunt?

Respondet [1] tertio, *Agathonem dicere ecclesiam Rom. ab omni errore semper illibatam mansisse.* At nón pugnant hæc: *Honorium* fuisse hæreticum, & ecclesiam Rom. illibatam mansisse. eius enim hæresi ecclesia Rom. fortasse non est assensa. Præterea, plusculum ille fortasse tribuit ecclesiæ, cui ipse præfuit. [1] Col. 992.

Respondet Bellarm. quartò. [2] *Nicolaum primum ab omni hæreseôs suspicione liberare pontifices Rom. in epistola ad Michaelem Constantinopolitanum.* Sed nec epistola hæc indubitatæ est fidei, nec leuissimo eius authori in propria causa testanti credendum est. [2] Col. 994.

Respondet quintò, *concilium sextum, quando Honorium damnauit, in facto errasse.* Quasi verò verisimile sit, tot patres, re non intellecta, anathema Honorio dicturos; aut non possit Sergius, Pyrrhus, & reliqui hæretici eadem excusatione vti. Præterea, epistolæ Honorii ostendunt illos rectè decreuisse.

Respondet sextò, *in concilio Romano sub Martino primo non reperiri nomen Honorii inter damnatos Monothelitas.* Sed nihil hoc ad propositum facit. non enim necesse est in omnibus conciliis omnes hæreticos nominatim recenseri nec omnes quidem pontifices Romani in omnibus catalogis nominantur. nunc enim Ioannem, seu potiùs Ioannam Anglicam, ex libris suis deleuerunt. Præterea, si nomen Honorii disertè quæratur in synodo Rom. reperietur facilè in cōcilio sub Adriano secundo, cuius acta recensentur in synodo [3] octaua. [3] Act. 7.

Respondet septimò, quod antea fecit Turrianus, *damnatum fuisse Honorium ex falsa informatione.* Sed nihil dicit quod nō antea dictum est: & hoc eius dictū ex literis Honorii, & actis synodi sextæ facilè refellitur.

4 *Col. 991.* Respondet [4] octauò, *nomen Honorii inter eos, qui damnantur à sexta synodo, ab æmulis Romanæ ecclesiæ relatum fuisse.* Sed hoc non tantùm Græci & æmuli alii testantur, sed etiam pontifices Rom. Præterea, à pontificibus Rom. recepta est synodus sexta; quod nunquam factum esset, si acta eius corrupta fuissent.

Respondet nonò, *septimæ synodi patres sequutos fuisse synodum sextam, & illud repetiuisse, quod in ea legerant.* Sed nō est verisimile tot simul synodos deceptas fuisse.

5 *Col. 995.* Respondet [5] decimò, *Adrianum non apertè dicere Honorium fuisse hæreticum.* Sed satis est, si eis assensus sit, qui ei anathema dixerunt. damnatum fuisse [1] dicit, consentientibus legatis Agathonis.

1 *Synod. 8. Act. 7.*

Respondet vndecimò, & *Canum deceptum fuisse & Carranzam, vbi aiunt Agathonem anathema dixisse Honorio.* Sed ipse potiùs Bellarm. mentitur. ipsi enim sequuti sunt exemplaria Græcorum: nec causa erat, cur Honorio iniuriam facerent.

Respondet duodecimò, *literas Leonis, vbi nomen Honorii inter hæreticos ponitur, corruptas esse.* Corrupta scilicet sunt omnia rerum gestarum monumenta, quæ contra pontificem Rom. faciunt. sed neq; authorem, nec causam, nec probationes huius corruptionis proferre potest.

Respondet postremò, *se testibus testes opponere.* Sed ipsius testes aut negatiuam probant, aut tacent, aut sunt homines leuissimi. Præterea, non valet à testibus argumentum negatiuè: nec valent cuiusquam laudes de aliquo, vbi antea testes grauissimi crimina grauissima ipsi obiecta probarunt.

2 *In epist. ad Bonifac. in Concil. to. 2.* [2] Gregorius tertius, *propter vxoris infirmitatem superuenientem, matrimonium dissolui posse* docet. *Si mulier*, inquit Gregorius, *infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quid eius faciat iugalis? bonum esset, si sic maneret, vt abstinentiæ vacaret. sed quia hoc magnorum est, ille qui se continere non poterit, nubat magis, & non tamen subsidii opem subtrahat.* quod disertè aduersatur primò Christi [3] præcepto; deinde & iuri [4] pontificio, & planè hæresim sapit. Christus extra causam forni-

3 *Matth. 19.*
4 *C. quoniã. de coniugio leprosorum.*

fornicationis solui matrimonium vetat. Ius pontificum negat dissolui matrimonium propter lepram. & hæretici tantùm & Turcæ & huiusmodi probant polygamiam.

Ad hæc multa respondet Bellarminus. sed nihil ad rem. Dicit *primò, mirandum esse hoc haberi pro errore, cum hoc docuerit Lutherus, teste Ioanne Cochleo.* Sed Luthero iniuria fit. & Cochleus hic testis est nec cochlea, nec cassa nuce dignus. Dicit *secundò, Gregorium loqui non de quauis infirmitate, sed de impotentia perpetua & naturali.* Quasi verò ob huiusmodi infirmitatem supraeuenientem solui possit matrimonium, aut hoc vnquam patres probarint. Dicit *tertiò secũdum matrimonium concedi, nõ vt iustum, sed vt minus malum.* Sed hoc nostram causam statuit. ostendit enim pontificem per decretalem suam malum iubere posse. Dicit ergo *postremò, pontificem ignorantiâ lapsum esse.* quasi verò cum nos dicimus pontificẽ per decretalem suam hæresim docere posse, hoc ex scientia fieri velimus. siue scienter, siue ignoranter polygamiam induxerit; certum est ipsius iudicium in rebus fidei & morum certum non esse.

Probat[1] Nicolaus primus *baptismũ in nomine Christi tantùm factum*, sine expressa mentione trium personarũ: quod non tantùm formæ baptismi à Christo institutæ, sed etiam totius ecclesiæ traditioni & cõsuetudini aduersatur. Zacharias etiam Papa definit [2] *non esse legitimum baptismum, si vel vna persona Trinitatis* nõ nomine-tur, cui etiam [3] Pelagius Papa suffragatur. Respondet Bellar. sed ridiculè. dicit enim *Nicolaum primum hæc docuisse nõ vt Papam, sed vt particularem doctorem.* Quasi verò decretales pontificum, præsertim quæ inter leges referuntur pontificias, sint tantùm hominum particularium opiniones, & hac responsione non omnium legum pontificiarum euertatur authoritas.

Dicit *secundò, Pelagium non definire quicquam, sed vt particularem doctorem explicare opinionem suam.* Quasi verò maiorem habeant authoritatem, quæ in Gregorii noni libris habentur decretales, quàm istæ ex-

[1] *C. à quodã Iudæo. de consecrat. dist.* 4.

[2] *C. in synodo. ibidem.*

[3] *C. multi. ibidem.*

plicationes. Praeterea, nisi vel *Nicolaus*, vel *Pelagius* aliquid de hac re definierit, nihil certi continent decretales, neq; certò sciunt aduersarii quid sit credendum de Christi baptismo.

Dicit *tertiò, canonem Zachariæ suspectum esse*. Sed si ipsi suspecti sint canones, quos in archiuis suis custodiunt pontifices; nihil mirum est, si nobis sint suspecti, aduersus quos illi ex aduersariorum scriniis depromuntur.

4 *Col. 999.* 5 *Lib. 1. de Spirit. sancto cap. 3.* 6 *In act. 10.*

4 Dicit *quartò* [5] *Ambrosium &* [6] *Bedam ratum habere baptismum in Christi nomine administratum*. cur ergo Nicolaum reprehendit ita docentem, & *hanc sententiam suo iudicio falsam* esse dicit?

Respondet *postremò*, *Zachariam non definiuisse baptismum esse inualidum in nomine tantùm Christi administratum, sed tantùm laudasse, & citasse ad propositum suum concilium Anglicanum, quod ita definierat*. Vbi etiam destruit quod antè posuerat. antea enim dixit suo iudicio inualidum esse baptismum in nomine Christi tantùm administratum: hîc autem reprehendit concilium Anglicanum, & Zachariam, quia validum esse senserunt: mirificamque suam ostendit inconstantiam, & stultitiam. nam licèt omnia pontificum Rom. decreta defendenda susceperit; hîc tamen duo contraria eorum decreta de baptismo reprehendit, & tamen neutrum eorum vult in fide errasse.

Præterea, apertè mentitur, vbi dicit Zachariam nihil definiuisse. cur enim non definiat illud, quod scripsit, & probauit & promulgauit? an ita respondet, vt nihil asserat, nihil statuat, nihil diffiniat?

1 *Platina, & supplementum chronicorum.*

Formosi, & *Ioannis* noni acta irrita & nulla esse [1] pronuntiarũt Stephanus sextus, & Sergius tertius. iidemque Formosum non fuisse legitimum pontificem declararunt. Romanus autẽ primus, Theodorus secundus, & Ioannes nonus acta Formosi confirmarunt. Vnde sequitur, vel nihil omnino istos de fide decreuisse, vel contraria decreta edidisse. Respondet [2] Bellarm. *errasse Stephanum & Sergium, sed in facto tantùm*. quasi verò concilio à se indicto nihil de fide statuissent.

2 *Col. 1000.*

sent, aut non esset error, legitimè ordinatos pro laicis habere, & iterum ordinare: quod Stephanus & Sergius fecerunt.

Ioannes 12. siue vt alii numerant, 13. Diabolum inuocauit in aleæ ludo. & Siluester 2. se Diabolo ex pacto tradidit; quod apostasiæ crimen est hæresi multò deterius. alius autem Ioannes campanas baptismo initiandas & consecrandas docuit. Respondet Bellarm. *fabulas esse, quæ de morte & magia Siluestri narrantur.* sunt ergo fabulæ historiæ papales quas narrant Platina, Martinus Polonus, supplementum chronicorum, Fasciculus temporum, & alii scriptores non ignobiles. Præterea, cur non & reliquæ historiæ papales æquè in dubium reuocentur? *Siluester secundus*, inquit [3] Wernerus, *factus est Papa auxilio Diaboli, cui & homagium præstitit.* atque hæc communis est historicorum narratio, cui potiùs credendum est, quàm inscriptioni sepulchri, quæ vt plurimùm falsas continet laudationes. Illud autem de baptismo campanarum negat Bellar. sed cum aquam super campanas fundi, & nomen eis imponi, & precationes & susceptores adhiberi omnes videant: impudenter illum aduersùs veritatem pugnare, nemini dubium est.

[3] *Fascic. temporum.*

Gregorius septimus pro hæretico & necromantico in synodo Brixinensi damnatus est. testes sunt Vrspergensis, & Benuo Cardinalis, & alii multi. Respondet [4] Bellarm. *Bennonis hunc librum aut à Lutherano aliquo fuisse cõfictum, aut pessimi pontificis ideam descriptam habere, dum narrantur non quæ erant, sed quæ cogitari potuêre pessima.* Sed mendacium & impudentiam hominis redarguit *primò* [5] Orthuinus Gratius, qui librum hunc, licèt alioqui pontifici amicissimus, edidit: *deinde*, & Vrspergensis, scriptor in amorem & causam pontificiam propẽsissimus, qui eadẽ crimina narrat. Istis etiam assentiuntur Schafnaburgensis, & Sigebertus Gemblacensis, & is [6] qui vitam scripsit Henrici quarti; aduersus quos nequicquam Bellarm. testes quærit, & Gregorii laudatores. valde enim iniquum esse oportet, qui pontificis mancipiis & asse-

[4] *Lib. 4. de pontif. Rom. c. 13.*

[5] *In fascic. rerum expetend. & fugiend.*

[6] *Ibidem.*

clis potiùs credat, quàm historicis, qui vel vitæ periculo verum dixerunt. neq; enim tutum erat aduersus pontificem mutire. 7 Helmoldus significat paucos ausos esse de põtifici factis disputare. *Ventum est*,[8] inquit author vitæ Henrici 4. *ad factiones, ad fraudes, ad scelera, de quibus vera scribere periculum est.* at cõtra, mẽtientibus in põtificis rem, magna proposita sunt præmia, & mitræ pontificales.

7 *Lib.* 1.
8 *Apud Ort. Grat. in fascic.*

Alexander tertius *contra prædecessorum sententiam* [1] *definit matrimonium per verba de præsenti non posse dissolui per aliud matrimonium.* quare aut hunc, aut illos necesse est falsum iudicasse. Respondet [2] Bellar. *nec Alexandrum, nec prædecessores aliquid definiuisse.* quod mirum eis, quibus hominis frons nota nõ est, videri possit. nam Alexander dicit *eos ita iudicasse*, & ipse nihilominus legem hanc edidit eorum decretis contrariam, & coniunctos contra hanc legem separandos esse decreuit. nec dubium est, quin decreta cõtra Dei legem, etiam contra fidem pugnent.

1 *c. licet. de sponsa duorum.*
2 *Lib. 4. de pont. Rom. c.* 14.

Celestinus 3. propter hæresim vnum matrimonium solui, & aliud contrahi posse [3] docuit. ideo [4] Alphonsus à Castro asserit eum non posse ab hæresi excusari: quod & reliqua fortasse secta pontificia credidit. nunc enim caput hoc ex decretalium codice erasit, & contrarium tenet. Innocentius 3. decretalem contrariam [5] edidit, & nuper eius sententiam conuenticulum Tridentinum recepit. Respondet [6] Bellarmin. *nec Celestinum, nec Innocentium aliquid certi de ea re definiuisse.* Quasi verò decretales incerta contineant dogmata, & non eo nomine editæ essent, vt diffinitiones de fide continerent. Certè si nihil de fide sit, nisi quod per pontificis alicuius decretalẽ de fide esse definitum est; tum apud ipsos fides recens est. nihil enim ferè pontifices Roman. de fide esse pronuntiarunt, & ante Gregorium 9. & Bonifacium 8. paucissima diffiniuerunt. Præterea, non ex verbo Christi, sed ex pontificis Roman. decreto apud aduersarios fides omnis pendebit.

3 *c. laudabilem de conuersione infidel.*
4 *Lib.* 1. *de hæres. c.* 4.
5 *c. quanto. de diuortiis.*
6 *Sess.* 24. *c.* 5.

Ridiculè verò Innocentius 3.[7] decreuit, *illud seruãdum esse in nouo testamento, quod in Deuteronomio continetur,*

7 *c. per venerabilem. qui filii sint legitimi.*

netur, quia Deuteronomium est secunda lex. disertè enim affirmat [8] Paulus *eos euangelium euacuare, & à Christo excidisse, qui legem Mosis seruant.* Respondet etiam absurdè [9] Bellarm. *eum voluisse dicere Deuteronomium seruandum esse in figura.* nam neq; verum est, Deuteronomium seruandum esse in figura; nec fuit ea Innocentii sententia, vt ita seruaretur. disertè enim & literaliter eam legem seruandam esse docuit. sed licèt multum sudet, nihil tamen habet Bellarm. quod afferat melius.

[8] *Gal.5.*
[9] *Col.1010.*

[1] Nicolaus 4 & Ioannes 22. contrarias sibi inuicem edidêre de Christi paupertate decretales. necesse est ergo alterum falsum definire; idque in fide, quia pertinet ad fidem scire, quid de perfectione vitæ Christus præceperit. [2] Ioannes 22. diffinit hæreticum esse, quod Nicolaus 4. asseruit, *nempe Christum nihil hic habuisse proprii, nec in speciali, nec in communi:* quod & Bellar. fatetur, sed negat Nicolaum illud asseruisse. at Nicolai verba hominis insignem refellunt impudentiam. *Dicimus*, inquit [3] Nicolaus, *quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum nō tam in speciali, quàm etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta: quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit.* vnde & in margine annotatum est, *hoc declaratum esse hæreticum, quod Christus nec in speciali, nec in communi proprium habuerit.* Bellar. ergo laterem lauat, cùm repugnantiam horum canonum verbis eleuat, & ipse etiam hæreticus esse videtur, si Guilielmo *Ockamo* credimus, dum sententiam Ioannis 22. defendit. in ea enim multiplices [4] deprehendit errores, & hæreses.

[1] *c. exiit. de verbor. sign. in 6.*
[2] *c. ad conditore. de verb. signif. extr. Ioan. 22.*
[3] *c. exiit. vbi supra.*
[4] *In compēdio errorum Ioannis 22.*

Ioannem 22. docuisse hæresim multi graues authores testantur: vt [5] Gerson, Guilielmus [6] Ockam, [7] Adrianus 6. Erasmus, & alii: & res ipsa loquitur. docuit enim *animas defunctorum ante iudicium finale non videre Deum:* quod nihil aliud est, quàm vel beatas negare, vel dormire eas putare. *In gaudium*, inquit [8] Ioannes, *non introibit anima sine eodem corpore.* vnde non dubitat Guilielmus [9] Ockam pronuntiare eum hæreticum esse.

[5] *Serm. de Pasch. to. 4.*
[6] *In opere 90. dierum, & in compendio.*
[7] *Lib. de sac. c. de confirm.*
[8] *In præfat. in 5. librum Irenæi.*
[9] *Ockam in compendio errorū Io. 22.*

[1] *Lib. 4. de pont. Rom. c. 14.*

Respondet [1] Bellarm. *Ioannem hunc nunquam voluisse hoc definire.* sed refellit eius responsionem Ockam, qui ostendit, *eum & in concionibus publicè, & in opere quodam magno à se edito hoc probasse, docuisse, & definiuisse.* Similiter Adrianus sextus. Ille de Ioanne 22. [2] loquens: *Is,* inquit, *publicè docuit, declarauit, & ab omnibus teneri mandauit, quod animæ purgatæ ante finale iudicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei.*

[2] *De Sacra. confir. art. 3.*

Idem Ioannes [3] docuit, *malos ante diem iudicii non ituros in ignem æternum: imò nec dæmones futuros in inferno ante diem iudicii generalis:* quod ex concione quàdam ipsius colligitur, & testimonio Ockami probatur. Affirmat etiam [4] idem, *dictum Ioannem sustulisse distinctionem personarum in trinitate;* & multos præterea alios grauissimos errores docuisse.

[3] *In sermone qui incipit,* Tolle puerum & matrem eius, *& Ockam in compend. error. Ioan. 22.*

[4] *Ibid.*

Ioannes verò 23. non modò pernitiosissimè errauit, sed eo etiam nomine conuictus & damnatus est in synodo Constantiensi. [5] negauit enim animæ immortalitatem, & carnis resurrectionem: quod nihil aliud est, quàm fidem vniuersam tollere. Dicit ergo [6] Bellarm. *hunc non fuisse indubitatum pontificem.* sed præstitit potiùs plagam hanc accipere, quàm ita declinare. nam omnes eum ante depositionem legitimum fuisse agnoscunt, & Alexandro 5. successisse dicunt; & synodi ea est sententia. & sanè nisi ipse legitimus fuerit pontifex, saltem istorum existimatione, omnis perit successionis pontificum Rom. certitudo. Respondet ergo *secundò*, hunc articulum non fuisse probatum, nisi ex vulgi rumore. Sed acta synodi aliter habent, & sanè nisi solidè pobatus fuisset, valdè errassent patres Constantienses, qui eum eo nomine condemnarunt. & multò magis peccasset Ioannes ille, qui articulum prædictum & multos alios, & sententiam patrum, vt [9] ipsi loquuntur, *ratificauit & confirmauit.*

[5] *In appendic. ad cōcil. Constantiense.*

[6] *Col. 1015.*

[9] *In appendice prædict.*

Eugenius 4. in synodo Basiliensi, quam ipse indixit & confirmauit, hæreticus habitus est, & pro tali condemnatus. *Grauior,* inquit [1] Æneas Syluius, *sententia vicit, vt hæreticus & relapsus Eugenius diceretur.*

[1] *De gest. cōcil. Basil. li. 1.*

tur. Et ne fortè respondeat aliquis, non fuisse eam legitimã synodum: nõ modò ab Hispanis, Gallis, & Germanis recepta est, sed etiam ab ipso Eugenio robur accepit. Respondet ergo Bellar. *Eugenium in nulla re aberrasse; & eius successorem legitimum fuisse.* sed illud & synodi acta, & totius orbis consensus refellit: hoc nihil ad rem facit. illi enim eos legitimos esse dicunt põtifices, qui in locum hæreticorum succedunt, & hæreses teterrimas defendunt.

Innocentius octauus adeo non est reueritus sacramenti institutionem à Christo factam, *vt Gothis seu Noruegiis sacerdotibus permiserit, vt sine vino sacrificium consecrarent.* nam ita scripsit [1] *Volaterranus*, & mandati eius non obscuræ extant probationes. Respondet Bellar. *errasse eum in facto, & non in dogmate.* Quasi verò non sit dogma absurdissimum, censere sacramentum cœnæ Dominicæ sine vino posse celebrari. Hinc ergo deiectus, respondet *non permisisse illum loco vini alium liquorem consecrare, sed vt in alterà tantùm specie eucharistiam consecrarent.* Quasi verò non & hoc sacrificium missæ prorsus tollat, quod ex pane & vino consecratis fieri solet: & non valde absurdum sit, & contra sacramentorum fidei institutionem. Præterea, loco vini alium liquorem substitutum ex pontificis diplomate constat.

[1] *Lib. 7. geograph.*

Multi denique alii pontifices Rom. multa cõtra rectam fidem & mores decreuerunt: quæ sanè perspicuè ostendunt insanire eos, qui omnia pontificum Rom. iudicia defendunt.

Probatur *nonò* nostra sentẽtia, quia religio synagogæ pontificiæ, quàm isti suis decretalib. & iudiciis probarunt, magna ex parte hæresis est contra fidem Christi. *Primò, omnes libros tam veteris quàm noui testamenti, necnon traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas pari pietate ac reuerentia suscipiunt & venerantur.* Vnde sequitur ipsos fundamẽtum fidei euertere. Quomodo enim solidum maneat fidei fundamentũ, quod supra traditiones varias, & incertas, & ignotas fundatum est? *Fides*, inquit [3] apostolus, *est per auditum, & au-*

[2] *Sess. 3. concil. Trid.*

[3] *Rom. 1[0].*

ditus per verbum Christi. horum ergo fides nulla eſt, quæ fundatur ſuper traditiones hominum, & arenam decretalium pontificiarum incertam & inſtabilem.

Deinde, euerſo fidei fundamento, in arena multas ædificant nugas. Christi corpus in ſacramento adeo ſubtile eſſe volunt, vt tactum & ſenſus omnes effugiat. illud enim in ſacramento eſſe dicunt corporaliter & carnaliter, licèt ſenſus contrarium doceant. at verum Christi corpus tangi [1] poteſt, & palpari.

[1] *Ioan. 20.*

Corpus Christi ſuis dimenſionibus carere, & in infinitis locis ſimul eſſe poſſe dicunt. at hoc deſtruit veram Christi humanitatem, & aſcenſionis in cælos fidem turbat.

In ſacramento euchariſtiæ communicantibus adimunt calicem; & in miſſa tollunt communionē; quod Christi inſtitutionem prorſus peruertit, & a Manichæis ſumptum [2] videtur.

[2] *Leo ſerm. 4. de quadrageſ.*

Publicè ferè emunt & vendunt pontifices Rom. ſpiritualia. *Pro pecuniis,* [3] inquit Nicolaus de Clemangis, *manus imponunt, eccleſias conſecrant, monachos recipiunt & monachas: imò baptizant, chriſmant, miſſas celebrant.* [4] Ioannes monachus propter rapinas dicit *Romam à prædonibus fundatam, adhuc de primordiis ſuis retinere.* Queruntur [5] Germani *pecuniis redimi conſtitutiones pœnales, nuptias pro pecuniis celebrari, nundinationes exerceri, pro pecuniis denique dari licentiam peccandi.* [6] Bernardus dicit *eccleſiaſtica dignitatis officia in turpem quæſtum & negotium tenebrarum tranſiiſſe. Propter hoc,* inquit ille, *tondentur, propter hoc frequentant eccleſias, miſſas celebrant, Pſalmos decantant.* Adeoque hæc vulgò nota ſunt, vt neque excuſari nec negari poſſint. Felinus dicit *hunc reditum Simoniæ neceſſarium eſſe.* at propter hoc peccatum Simon hæreſeôs damnatus eſt: & Simoniacos vulgò hæreticos habere & appellare ſolent.

[3] *Super mater. concil. general.*
[4] *Gloſſ. in c. fundamenta de elect. in 6.*
[5] *In grauamin Germ.*
[6] *Ser 6. in Pſ. qui habitat.*

Colunt Papiſtæ Michaelem, Raphaelē, & alios angelos, miſſaſq; in eorum honorem decantant. At propter cultum angelorum angelicos, veteres inter hæreticos [7] recenſuerunt, & non aliter cultum angelorum quam idololatriam æſtimarunt. *Non oportet,* [8] inquiunt

[7] *Auguſt. de hæreſ. angel.*
[8] *Can. 35.*

unt patres Laodiceni, *derelicta ecclesia abire, & ad angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere.*

Imagines faciunt & colunt crucem & crucifixi imaginem eodem honore, quo ipsum Christum adorant. Similiter corā imaginib. sanctæ Trinitatis, velut corā Deo se prosternunt. at & Carpocratiani habiti sunt hæretici, qui [1] colebant imagines Iesu & Pauli; & Simoniani, quòd [2] Simonis & Helenes; & [3] Armenii, quod fingerent & colerent imagines Dei patris & Spiritus sancti; & [4] Staurolatræ denique, quòd crucem adorarent, & eam oscularentur.

Isti vinum docent in calice in sanguinem conuerti: quo nomine olim Mareitæ hæreseôs notam incurrerunt.

Virginem Mariam tanquam vnicum suæ religionis columen hyperduliæ cultu venerātur. eam tamen ob causam [5] Collyridiani hæreseôs conuicti & damnati sunt.

Leges Mosaicæ cæremonias seruant, & inde Missæ cultum, & sacerdotalem ornatum, & sacrorum apparatum, & formulas transtulerunt: quam ob causam Nazaræi, Quartodecimani, & alii Iudæorum imitatores damnati sunt.

De libero arbitrio, & operum iustitia, planè cum Pelagianis sentiunt. *Cum tam forte & firmum ad non peccandum liberum in nobis habemus arbitrium*, inquit Pelagius apud [6] Augustinum, *quod generaliter humanæ naturæ Creator inseruit, rursus eius inæstimabili bonitate quotidiano ipsius munimur auxilio.* hoc etiam pontifices Rom. docent. Vtrique etiam [7] docent *gratiam adiuuare bonum cuiusque propositum, nec tamen reluctanti studium virtutis immittere, nec inuito inspirare boni cupiditatem.* Docent vtrique per gratiam, *se perfectè legem implere posse*, & in operibus iustitiam ponunt. vtrique limbum docent esse pro infantibus non baptizatis.

Adeo denique multa hæreticorum dogmata in ecclesiam retulerunt, vt nihil aliud videatur papismus, quam hæreseôn colluuies & sentina.

Probatur *decimò*, pontificis Rom. iudicium incer-

[1] *August. de hæres. c. 6.*
[2] *Ibid. c. 1.*
[3] *Niceph. li. 18. c. 53. & 54*
[4] *Niceph. li. 14. c. 45. & 18. c. 35.*
[5] *Epiphan. de hæres. Collyrid.*
[6] *Lib. 1. de grat. c. 28.*
[7] *Augustin. cont. 2. epist. Pelag. lib. 4. c. 6. & lib. 2. c. 5.*

tum esse & dubium, quia potest in scelera grauissima, & nefandas turpitudines, & opera carnis damnabilia incidere. Neque hîc immorari necesse est. ipse enim [1] Bellarm. pontificum aduocatus, fatetur eorum quosdam parum probos fuisse. Platina quosdam *teterrima monstra* [2] appellat. *Auaritiam, vsuram, simoniã, luxum, libidinem, gulam curiæ Rom. insectatus est Robertus Grosted,* vt inquit [3] *Matthæus Paris.* In sepulchro Alexandri sexti versus iste meruit incîdi: *hic scelus omne clauditur, & vitium:* neque tamen erat ille deterrimus pontifex. Si ergo in tam horrenda scelera incidere possit pontifex Rom. cur non possit etiam in nefandas hæreses incidere? nam quod Christus pro Petro rogauit, non minùs ad mores pertinet, quàm ad fidem: & Spiritus sanctus qui promissus est Apostolis, non minùs aduersatur morum turpitudini, quàm hæresi. caro denique ad hæreses, & omnia opera carnis propensa est, & opera hæc carnis ab hominibus gratia destitutis æquè perpetrantur.

[1] *In præfat. in lib. de pôt. Rom.*
[2] *In Greg. 6.*
[3] *In Henr. 3.*

Respondet [4] Bellar. *Papam ex natura sua posse in hæresim incidere; non tamen posita singulari Dei assistentia, quã Christus illi oratione sua impetrauit.* Sed impudenter sumit, quod in controuersia est. *Præterea,* non ostendit cur magis Dei assistentia hæc valeat contra hæreses, quàm contra scelera & flagitia. *Postremò,* non docet hanc Dei assistentiam pontifici Rom. aut promissam fuisse, aut aduersus omnes hęreses valere. nos sanè certi sumus pontifici Rom. nihil aut datum, aut promissum, aut impetratum singulariter.

[4] *Col. 969.*

Vndecimò, si certum esset pontificis iudicium; tum nihil opus esset conciliis. cur enim ex toto orbe, maximo labore, & sumptu, & periculo omnes conueniant episcopi, si vnius pontificis iudicium satis ad omnes controuersias tollendas valeat? Respondet [5] Bellarm. *non debere eum media contemnere humana & ordinaria.* Quasi verò hæc media humana essent, & non institutionis Diuinæ, & non sæpe pontifex Rom. mediis iis contemptis, leges edat. dicat ergo, si aliquando possit, & sæpiùs; cur non semper hæc media contemnere liceat, si velit.

[5] *Lib. 4. de pont. Rom. c. 7.*

Duodecimò, si certum sit pontificis iudicium, tum omnes contrà sentientes pro hæreticis habendi essent. At episcopi Asiatici, & Polycarpus, & Irenæus ab episcopis Rom. dissentientes nó sunt habiti hæretici. nec vel Cyprianus à Stephano dissentiens, vel Augustinus & patres Africani pontificis Rom. tyrannidi se opponentes hæreseôs notam incurrerunt. Superioribus denique temporibus imperatores Rom. armis ius suũ aduersus pontificum furorem & libidinem defenderunt; nemo tamen eis hæreseôs crimen imposuit. Respondet Bellarm. de [1] Cypriano, *eum non fuisse hæreticum, quia Stephanus non definiuerat tanquam de fide, hæreticos non esse rebaptizandos.* Quasi verò aliter definiuerint alii episcopi Rom. aliter Stephanus, & non omnia præstiterit Stephanus quæ potuit; aut in episcoporum Rom. potestate eo tempore positum esset, quid credendum esset, propónere & diffinire. ex reliquis verò exemplis constat Christianos olim pontificum Rom. decretales & excommunicationes non nauci fecisse.

[1] *Col. 967.*

Postremò, absurdum est putare, vnum pontificẽ plus videre, quàm totum concilium. Hoc enim patres dicunt [2] Africani. at concilia sæpe errarunt: vt concilium Hierosolymitanum, quod Christum & eius Apostolos, & eorum doctrinam condemnauit: & concilium Ariminense, Ephesinum secundum, & aliæ multæ pseudosynodi. Aduersarii canones synodi sextæ repudiant, & synodum Chalcedonẽsem malè ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ æquasse concedunt. Quid, quod in regulis quas Apostolorum nomine vẽditant, graues continentur errores? [3] vetant .n. Sabbati & diei Dominici ieiunium, & [4] hæreticorum baptisma prohibent, & nullum esse iudicant.

[2] *In epist. ad Celestinum inter synod. 6. acta.*

[3] C. 65.

[4] C. 46. & 67.

Ad testimonium patrum Africanorum respondet Bellarm. *eos non loqui de iudicio fidei, sed de iudicio facti.* Sed conscientia ipsius nouit, ipsos generaliter loqui, & omnia pontificis Rom. iudicia in causis Africanis improbare. Respondet ergo [5] secundò, *eos modum excessisse, & non teneri se credere quicquid illi dixerint.* Quasi verò episcoporum grauissimorum concilio non sit

[5] *Col. 969.*

potiùs credendum, quàm pontificis Rom. parasitis & mancipiis; & non sit credibilius multò, illos scire quid deceat, quàm Bellarm. cui nihil videtur decorum, nisi quod pro suo pontifice facit, & qui decus & fortasse honores quærit ex mendacio & impudentia.

Diluuntur Bellar. aduersus superiorem disputationem sophismata, CAP. IV.

ADuersus ista multa nugatur Bellarm. nugas verò per propositiones quasdam distinguit. Primò 1 dicit *pontificem Rom. cùm totam ecclesiam docet, in his quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare posse.* Deinde, neque *Romanam ecclesiam errare posse* 2 *contendit.* Tertiò 3 asserit *eum nec in decretis morum errare posse.* Postremò affirmat *nec pontificem, vt particularis est persona, errare, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo.* Primum probat quinque argumentis. Primò, inquit, *Christus pro Petro* 4 *rogauit, vt non deficeret fides ipsius, & ipse iussus est postquam conuersus esset, confirmare fratres suos. ergo duo priuilegia ei impetrauit; vnum, vt ipse veram fidem nunquam amitteret; alterum, vt ipse tanquàm pontifex, non posset vnquam docere aliquid contra fidem: siue, vt in sede eius nunquam inueniretur, qui doceret contra veram fidem.* Sed immane est interuallum inter antecedens & consequens; & conclusio hæc ex illis præmissis nulla ratione educi potest. Nam primò, non rogauit Christus pro Petro solo, sed etiam pro omnibus apostolis & discipulis suis. *Pater sancte,* 5 inquit, *serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* imò in verbis istis, Luc. 22. pro reliquis apostolis, & non tantùm pro Petro rogauit. Augustinus enim ita 6 introducit Christum loquentem: *Ego rogaui patrem pro vobis, ne deficiat fides vestra.* & in quæstionibus noui Testamenti: *Numquid,* 7 inquit, *pro Petro rogabat, pro Ioanne & Iacobo non rogabat?* pro omnibus etiam saluandis alibi 8 orat. *Non pro eis,* inquit, *rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* 9 Parisienses etiam doctores fatentur *Christum hîc orasse pro ecclesia, vel saltem pro Petro, vt figuram gerebat ecclesiæ.* Quare, si ex istis verbis sequitur Petrum nunquam

1 *Lib. 4. de pontif. Rom. c. 3.*
2 *Ib. cap. 4.*
3 *Ibid. cap. 5.*
4 *Luc. 22.*
5 *Ioan. 17.*
6 *De verb. Dom. secūd. Luc. ser. 36.*
7 *Quæst. 75.*
8 *Ioan. 17.*
9 *In Luc 22.*

quam aliquid contra fidem pronuntiaturum; idem etiam reliquis apostolis & eorum successorib. & omnibus fidelibus comperet. neque enim dubium est, quin Christus pro eis orarit. hinc etiam sequitur nullum priuilegium Petro datum fuisse.

Neque obstat, *quod ista dicuntur Petro singulariter.* nam Petro etiam claues promissæ sunt singulariter; quæ tamen aliis apostolis erant communes: & eis simul datæ sunt, cum à Christo [1] missi potestatem acceperunt ligandi & soluendi. *Omnia,* inquit [2] Origenes, *& quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia.*

[1] *Ioan. 20.*
[2] *In tractat. 1. in Matth.*

Non obstat secundò, quod Christus postquã dixisset, *Satan expetiuit cribrare vos;* mutauit formã loquendi, & dixit, *ego autem rogaui pro te;* quia ipse præcipuè opus habuit oratione, vtpote qui casurus erat, licèt omnes Christi oratione indigerent.

Non obstat tertiò, quod hæc toti ecclesiæ conuenire non possunt. nam vt non conueniant toti, vt tota est: tamen ei conuenire possunt, vt multa habet membra; & apostolis sanè eorumque successoribus rectissimè conueniunt.

Secundò, orauit Christus pro perseuerantia Petri in gratia, & non pro dono infallibilis iudicii. nam si hoc orasset, tum Petrus non abnegasset Dominum. quis enim dubitet, an Christus illud impetrarit, pro quo rogauit? Neq; obstat, *quod Christus aliàs orauit pro omniũ perseuerantia.* cur enim non oraret pro tam eximio dono sæpiùs? Non obstat secundò, *quia speciale aliquid hoc loco Petro impetrauit.* nam speciale erat Petrum tam grauiter lapsum finaliter non excidere. Non obstat tertiò, quod dicit Christus, *Conuersus confirma fratres tuos.* nam hoc non ex potestatis donatæ gratia, sed ex sensu infirmitatis Petrus facere potuit. Dicit quartò Bellar. *hoc donum pertinere ad successores, quod Christus oratione sua impetrauit.* Sed nihil magis hoc pro pontifice Rom. quàm pro omnib Petri successorib. hoc est, pro omnibus piis episcopis facit. Præterea, licèt exemplum Petri ad alios pertineat: verba tamen hæc ad Petrum propriissimè & singulariter spectabant.

Tertiò, vt hæc personaliter tantùm Petro dicta fuisse, & apostolos exclusos cōcedamus; maximè tamen illud in damnum cedit pōtificum Rom. nihil est enim, cur dona Petri personalia ad se trahant; cùm non sint illi Petrus; nec eo modo ceciderint, & conuersi sint, vt Petrus; nec confirmarint fratres suos, vt Petrus. Imò multos ex illis lapsos esse, & Christum abnegasse constat, quos tamen nunquam conuersos fuisse intelligimus. Præterea non solent illi Christianos pro fratribus habere, sed pro subditis tantùm. Hæc verba denique Christus dixit Simoni. pontifices verò Rom. Petro se dicunt successisse, vt est Petrus & petra; & non vt Simon.

[1] *Col. 955.* Quod autem pontificum quorundam testimonia commentitia pro se protulit [1] Bellar. magnam & inanem operam suscepit. neque enim solet fides adhiberi testibus in propria causa testantibus; neque causam ipsius testes illi qualescunque cōfirmant. [2] *Lucius primus* negat *ecclesiam Rom. à tramite apostolicæ traditionis errasse.* [3] *Felix primus* eam etiam *illibatam mansisse dicit*: & vterque illud probat ex verbis, *ego rogaui pro te.* Sed nihil hæc pro pontifice Rom. faciunt. multum enim interest inter pōtificem Rom. & ecclesiam Rom. & cadente pontifice Rom. manere potest ecclesia integra, vt in Marcellino, Liberio, & Felice factum videmus. Ipsi denique non loquuntur de tempore futuro, nec docent, quid nō possit fieri, sed quid ante sua tempora factum fuerit.

[2] *In epist. ad episc. Hispan.*

[3] *In epist. ad Benignum.*

[4] *Ser. 3. de assump. suæ ad pontif.* *Leo in Petro* [4] *dicit reliquos apostolos cōfirmatos, & munitos fuisse.* Sed quid hoc ad pontifices Romanos? sanè si pontifices Rom. falsum diffinire non possint, quia *cura Petri à Domino suscipitur, & in ipso reliqui apostoli firmitatem acceperunt*; tum nec reliquorum apostolorum successores falsum diffinire possunt, quia ad cæteros apostolos eadem firmitas, si Leoni credimus, peruenit.

[5] *In epist. ad Constantinū in synod. 6.* Dicit etiam [5] Agatho *apostolicam Christi ecclesiam à tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse: & suos prædecessores fratres suos confirmasse.* Sed illud ad ecclesiam pertinet, & non ad pontifices Rom. hoc non probat

bat pontifices in fide errare non posse. multi enim fratres suos confirmare solent, qui de iudicii sui certitudine nihil habent certi.

Nicolaus primus dicit *Romanæ sedis priuilegia semper inconcussa mansisse.* sed hoc, nempe *vt pontificis Rom. certum esset in fide iudicium*, priuilegium esse sedis Rom. dicere non est ausus, etsi multa audeat, nihilque non temerè effutiat.

Leo nonus [1] dicit, *fidem non defecturam in throno Petri.* Sed non sequitur inde, pontifices vera semper diffinire. nam Petri fides non defecit, licèt grauiter lapsus Dominum abnegasset. & pontifices Rom. cum Iuda Iscariota Dominum prodere & perire possunt, licèt Petri doctrina & fides in iis, qui verè Petro successerunt, nunquam deficiat. Postremò, pontifices Rom. non sedent in throno Petri, nisi quando doctrinam sonant Petri.

[1] *In epist. ad Petrum Antiochen.*

[2] Innocentius tertius dicit *Dominum pro fide Petri orasse, ne ea deficeret.* quod verum esset, etiamsi nulli vnquam fuissent pontifices Rom. nihil ergo ista ad eos pertinent. Ineptè denique Bellar. causam suam maximam ex epistolis istis confirmat, quæ vel commentitię sunt, vel eos authores habent, quos nemo pius dubitat antichristi sedem occupasse.

[2] *C. maiores. de Baptismo.*

[3] Profert præterea *Theophylacti, Petri Chrysologi,* & *Bernardi* testimonia. Sed nihil pro ipso facit Theophylactus. ille enim tantùm [4] dicit, *Petrum, vt principem discipulorum confirmasse cæteros:* & ne leuiter quidē pontifices Rom de quibus hic agitur, aut eorum prærogatiuas attigisse videtur.

[3] *Col. 956.*

[4] *In c. 22. Luc.*

Petrus verò Chrysologus obscuræ notæ testis est, seu potiùs laruatus aliquis monachus, ex falso, & suppositițio [5] instrumento inter acta concilii Chalcedonensis temerè intruso pontificis Rom. authoritatem extollens. Præterea mentitur apertè, vbi dicit, *Petrum viuere & præstare veritatem quærentibus.* conciliū enim Chalcedonense contra Leonis sententiam, apertè detulit ecclesiæ Constantinopolitanæ parem cum Romana prærogatiuam. Postremò, vt verè diceret *Petrum præstare quærentibus veritatem*; non tamen solent pon-

[5] *In epist. ad Eutych. ante cōcil. Chalced.*

tifices Rom. à Petro quærere: nec qui quærunt, semper verum inueniunt.

1 *Ep. 190. ad Innocent.* Bernardus *fidem in sede Petri* [1] *negat sentire posse defectum.* Sed non omnes epistolæ Bernardi sunt genuinę. Præterea, vt nō deficeret fides in episcopis Rom. quod tamen nos iam euenisse videmus; non tamen necesse est eos in iudicando non falli. nam non defecit fides Petri, etsi ipse Christum abnegandum ex infirmitate iudicarit. Postremò, etsi aliquid Bernardus temporibus adductus de pontifice Rom. dixit vberiùs, & magnificentiùs; illud tamen potiùs ignoscendum est, quā temerè credendum. Vixit enim in mediis tenebris, & licèt multas vidisset ecclesiæ Rom. deformitates, non tamen vidit omnes. Quartò, hæc Bellarmini interpretatio de oratione Christi pro fide Petri, & de confirmatione fratrum, noua est, & cum patrum omnium

2 *De fuga in persequut. c.2.* sententia pugnans. *Ecce,* inquit [2] Tertullianus, *postulauit Satanas, vt vos cerneret tanquam frumentum, verùm ego rogaui pro te, ne deficeret fides tua, id est, ne tantum diabolo permitteretur, vt fides periclitaretur.*

3 *Lib. 1. de vocat. gentium c. 1.* *In Euangelio secundum Lucam,* inquit [3] Ambrosius, *Deum dare, vt in fide perseueretur, ita promitur: dixit autem Iesus: Simon, Simon, Satanas postulauit, vt cerneret vos, sicut triticum; sed ego rogaui pro te.*

4 *Hom. 72. in Ioan.* *Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, hoc est,* [4] inquit Chrysostomus, *ne in fine pereas.* [5] Bernardus verò Christum pro apostolis, & non tantùm pro Petro orasse dicit, idq; ne in passione sua deficerent.

5 *Ser. 5. in Ps. qui habitat.*

6 *In Luc. 22.* *Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua: hoc est,* inquit [6] Lyra, *finaliter. non enim rogauit, vt Petrus non caderet, sed in casu non remaneret.*

Bellarmini etiam testes nostram sententiam cōfirmant, ipsius planè euertunt. *Quando rogauit,* inquit [7] Augustinus, *vt non deficeret fides eius, rogauit, vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem.*

7 *Lib. de corrept. & grat.*

8 *Hom. 83. in Matth.* *Non dixit,* inquit [8] Chrysostomus, *non negabis, sed non deficiet fides tua. cura enim ipsius & fauore factum est, ne omninò Petri fides euanesceret.*

9 *In 22. c. Luc. 22.* *Quamuis,* inquit [9] Theophylactus, *breui tempore concutien-*

cutiendus sis, habet recondita semina fidei. etiam si folia abiecerit spiritus inuadentis, radix tamen viuet, & non deficiet fides tua. Nullus denique patrum adeo subtilis erat, vt hæc verba ad pontifices Rom. pertinere videret. quale ergo hoc argumentum est, quod ab aduersarii interpretatione ducitur, quæ tamen contra omnes simul patres pugnat?

Postremò, vt concedamus hanc Christi orationem Petro impetrasse, vt ipse in veritate perstaret, & infallibile haberet iudicium; quod tamen ex Pauli [1] reprehensione non esse factum constat: non tamen ex eo sequitur pontifices Rom. in iudicio fidei non posse errare. specialiter enim & maiore mensura datus est Spiritus sanctus omnibus Apostolis, quàm quibuscunque episcopis. [2] Orauit enim Christus pro omnibus apostolis, *vt sanctificarentur in veritate*: [3] promisitque *se eis Spiritum sanctum daturum, qui eos in omnem duceret veritatem.* atque hoc in die Pentecostes [4] impletum legimus. At pro pontificibus Rom. nunquam specialiter orauit. & vt pro successorib apostolorum orarit; non magis tamẽ hoc ad episcopos Rom pertinet, quã ad alios episcopos, qui apostolis, vt inquit Cyprianus, *vicaria ordinatione successerunt*; & tamen sæpe in fide lapsi sunt, & grauissimè errarunt. Præterea, si oratio Christi hoc impetrarit, vt pontifices Rom. in iudicio fidei non errent; hoc etiam impetrauit, vt nec in moribus errent. pariter enim valet eius oratio contra lapsum in moribus & in fide. at nemo (credo) negabit, quin grauiter in moribus lapsi sint. Quare, si hoc Petri erat priuilegium, vt in fide non erraret, tum non est illud extendendum vltra personam *Petri*. si autem illud extendere velit Bellarm. ad pontifices Romanos; aliunde, quàm ex hoc loco auxilium quærendum est.

[1] *Gal.* 2.
[2] *Ioan.* 17.
[3] *Ib. c.* 16.
[4] *Act.* 1.

Secundum ipsius argumentum ex Matthæi capite 16. petitur, & super illa verba Christi ad *Petrum*, *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, fundatur hinc duplex etiam Bellarm. sumi posse putat argumentum. nam *si petra sit, tum nõ posse frangi aut commoueri; si fundamentum, tum non posse ruere, aut commoueri con-*

cludit. Sed quid hęc ad Pontificem Romanum, qui nec Petrus est, nec petra, nec fundamentum, nec lapis in ecclesiæ ædificio? Occurrit Bellar. huic obiectioni, & [1] respondet vt potest, *Petrum vt summum ecclesiæ rectorem dici petram & fundamentum, & propterea, quemlibet eius successorem esse petram & fundamentum.* Sed nec antecedens verum est. nam patres propter fidem, & constantiam, & confessionem dicunt eum dictum esse petram & fundamentum, vt antea ostendimus. Nec consequens quicquam valet. nam vt diceretur petra quia rector ecclesiæ; non tamen propterea sequitur omnes ecclesiæ rectores dici *petras*. multum enim interest inter Apostolos, & reliquos ecclesiæ rectores. Præterea, propriè loquendo nec ipsum Petrum fundamentum esse ecclesiæ probauimus. qua ratione autem Petrus dicitur fundamentum & petra, eâdem & reliqui Apostoli fundamenta & petræ dici possunt, vt antea fusè ostensum est. Quare, vt reliquorum Apostolorum successores errarunt & defecerunt, cur non etiam Petri qui dicuntur successores errare, deficere, & in hæreses labi potuerunt? nihil sanè habent patres, cur non ita putemus.

[1] *Col. 957.*

Origenes [2] dicit *portas inferorum nec aduersus Petrũ, nec aduersus ecclesiam præualituras.* Sed vt nec *Petrus*, nec ecclesia ruat; ruere tamen possunt ecclesiæ particulares, & episcopi, qui in eis Petro successerũt. Quod exemplo ecclesiæ *Antiochenæ*, & *Cæsareensis* probatur. nam etsi Petro in Ecclesia Antiochena successerit Euodius, & in Cæsareensi [3] Zacchæus; episcopi tamen *Antiocheni* & *Cæsareenses* in varias inciderunt hæreses.

[2] *In Matth.* 16.

[3] *Clemẽs in recognit. & ad Iacob. fratr. dom.*

Chrysostomus verò [4] dicit ecclesiam *ædificari super fidem & confessionem Petri, & non super vnum piscatorem & ignobilem virum fundari*, vt affirmat Bellarminus. Verùm vt super *Petrum fundatam dixisset ecclesiam, & solum Deum efficere potuisse, vt ita fundata perpetuò maneret immobilis*; nihil tamen hoc ad pontifices Romanos, vel ad hanc causam pertineret. nam vt perpetuò maneat immobilis ecclesia; possunt tamen episcopi & doctores à veritate deficere: quod Spiritus sanctus per stellam de cælo cadentem, Apocal. 9 significauit:

[4] *Hom. 55. in Matth.*

cauit: & lugubres ecclesiæ Christi calamitates verum esse docent.

Cyrillus verba citata in *Thomæ Aquinatis catena* nõ habet. ipsius autem Thomæ authoritatem eleuat, quòd pontifici Rom. omnem suam operam locauit. Verùm vt *sedes apostolica Petri ab omni seductione & hæretica circumuẽtione immaculata* esset, quod dicit Thomas; non tamen ignorabat pontifices Rom. in hæreses incidisse. Theodoreti epistóla ad *Renatum* commentitia est. neque enim in operibus eius antiquitus editis reperitur, nec Græcè habetur, nec Theodoreti characterem sapit: sed à falsario aliquo addita videtur. quod etiam inde constat, quia dicit *sedem Rom. gubernacula regendarum cuncti orbis ecclesiarum tenuisse.* At Theodoretus genuinus nouerat illam Græcorum, & Asiaticorum, & Afrorum ecclesiis non præfuisse. Præterea, non loquitur iste personatus Theodoretus de tempore futuro, sed de præterito tantùm.

1 Hieronymi testimonium nihil ad hanc causam facit. nam licèt profiteatur se Damasi sententiam sequuturum; non tamen significat, eum non posse errare. neque quæ ille Damaso tribuit, vt viro docto, & episcopo non malo; hæc laruis istis, quæ nunc episcoporum tantùm nomen habent, communia sunt. Vbi autem dicit *ecclesiam super illam petram fundari*: non intelligit pontifices Roman. quos ille cum aliis episcopis 2 æquat; sed Christum, qui petra est verè immobilis.

1 In epist. ad Damasum.

2 In epist. ad Euagrium.

3 Augustinus ex episcopis Rom. qui ante ipsum erãt, nullum dicit fuisse *Donatistam*: nõ tamen negat, quin esse potuerit. neque enim multum interesse, *si traditor aliquis in illam sedem irrepsisset.* Præterea, non ignorabat aliquos ex eis in hæresim lapsos fuisse. deinde, non loquitur de tempore futuro, de quo hîc agimus. Per *Petram* denique quam non vincunt superbæ inferorum portæ, non intelligit episcopos Rom. vt ineptè putat Bellarm. sed fidem Christi in illa sede tunc vigentem.

3 In Psal. cõtr. partem Donati.

Gelasii epistola 4 commentitia est: & tamen non disertè affirmat, sed tantùm confidit *Apostolicam se-*

4 Ad Anastas. imperat.

dem ab omni contagione & rima prauitatis immunē fore. quod tamen vix ipsi optare audent aduersarii.

[1] Lib. 6. epist. 37. ad Eulog. [2] Lib. 4. epist. 32.

[1] Gregorius denique primus dicit *sanctam ecclesiam Petri soliditate firmatam esse & ipsum conuersum confirmasse fratres suos*; *& Constantinopolitano episcopo* [2] *negat nomen vniuersalis episcopi deberi.* Sed quorsum ista? neque enim quod de gloriosissimo & nobilissimo apostolo dicitur, illud ad quemuis pontificulum pertinet. Præterea, vt Constantinopolitano neget nomen vniuersalis episcopi; non tamen hoc sibi arrogat, imò ab aliis illud sibi delatū repudiat; & hoc etiam prædecessores suos fecisse dicit. Non ideò denique negabat hoc nomen episcopo Constantinopolitano, quia in illa sede multi erant hæretici, vt impudenter affirmat Bellarmin. sed quia nomen erat superbum, & temeritatis & iniuriæ plenum. de infallibili autem pontificis Rom. iudicio ne verbum quidem vnum facit.

Tertium argumentum Bellarmini ex Ioannis cap. vltimo sumitur; vbi Christ⁹ *Petro* dicit, *Pasce oues meas:* huc enim tanquam ad asylum, vbi in angustum eius rediguntur copiæ, confugit. Sed nos eum facilè ex hoc loco eiiciemus. nam primò, nec Petri iudicium ex hoc loco certum fuisse & infallibile probatur. neque .n. omnium, ad quos pertinet pascere oues Christi, certum est & infallibile iudicium. Vt apostolus quidem, ductus est in omnem veritatem. sed & apostoli ea docere [3] tenebantur, *quæ Christus eis mandauerat.* & si extra ea aliquid docerent, errare potuerunt, vt ex facto & exemplo Petri ostenditur.

[3] Matth. 28.

Deinde, pastores & episcopi nihil habent priuilegii, vt errare non possint. *Ipsi pastores,* [4] inquit Isaias, *ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisq; ad auaritiam suam à summo, vsque ad nouissimum.* Idem dicit *omnes speculatores cæcos esse.* Similiter [5] Hieremias: *Sacerdotes,* inquit, *non dixerunt: vbi est Dominus, & tenentes legem nescierunt me; & pastores præuaricati sunt in me.* Neque aliter in nouo testamento se res habet. *Mundus,* inquit [6] Gregorius, *sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Domini rarus inuenitur*

[4] Isai. 56. [5] Hierem. 2. [6] Hom. 17. in c. 10. Luc.

nitur operator. Ministri sunt Christi, inquit [1] Bernardus, *& seruiunt antichristo. Dico & exclamo*, inquit [2] Laurentius Valla, *Neminem mea ætate in summo pontificatu fuisse aut fidelem dispensatorem, aut prudentem.* Nec obstat, quod ecclesia tenetur pastores sequi. hoc enim [3] dicitur de omnibus pastoribus, & apostolorum successoribus, *qui vos audit, me audit*: & tamen non semper vera loquuntur.

[1] *Serm. 33. in Cantic.*
[2] *Contr. donat. Constantin.*
[3] *Luc. 10.*

Istam deniq; de pascendis ouibus curam, etsi ad apostolos *primò*, deinde ad omnes legitimos pastores pertineat; pontifices tamen Rom. à se alienam putant. illi enim nec pascunt oues, nec curant: & propterea nō tam pastores sunt, quàm lupi sæui, qui omni sæuitia Christi ouiculas dilaniant. Quę ergo de audiēdo pontifice hoc in loco disputat Bellarm. ea hominis sunt insulsi & delirantis somnia. eum enim audiendum esse nusquam Christus præcepit: cumque & docti simul & indocti, pastoresque & populi lupum esse rapacē sentiunt. atque hoc & in conciliis, & extra cōcilia à populo Christiano iudicatum est.

Quartum argumentum à ratione [4] vocabulorum *Vrim & Thummim*, quæ scripta erant in rationali sacerdotali, sumptum est. *quorsum enim in pectore summi sacerdotis scriberetur doctrina & veritas*, inquit [5] Bellar. *nisi vt intelligamus eum non erraturum, cum populum docuerit?* Respondeo *primò*, multa habuisse sacerdotes in apparatu suo significatiua, quæ potius ostendebant, quid esse deberet, quàm quid esset. ne alibi quæramus, hoc ex isto exemplo satis liquet. nam licèt vocabula hæc significarent *doctrinam & veritatem*: siue vt alii interpretantur, *lucem seu intelligentiam & perfectionem*: ista tamen in omnibus sacerdotibus non reperiebantur. nam Aaron [6] conflauit vitulum aureum: & [7] Abiathar aduersus Dauidem coniurauit: & summus [8] sacerdos tempore Ioachim Hieremiam condemnauit. *apprehenderunt eum*, inquit propheta, *sacerdotes & prophetæ, & omnis populus, dicens, Morte moriatur.* Vrias sacerdos altare nouum [9] construxit. & ante Macchabæorum tempora lex penè recessit à sacerdotibus. Christum denique & apostolos, & omnem

[4] *Exod. 28.*
[5] *Col. 960.*
[6] *Exod. 32.*
[7] *3. Reg. 1. & 2.*
[8] *Hierem. 26*
[9] *4. Reg. 16.*

euangelii doctrinam sacerdotes sententia sua condemnarunt.

At, inquit Bellar. *qui dubitabant circa intelligentiam legis diuinæ, iussi sunt ascendere ad summum sacerdotem, & ab eo quærere solutionem.* Sed apertè mentitur, vt aliquid dicat argutiùs: non enim iussi sunt ascendere ad summum sacerdotem, sed ad *sacerdotes & iudicem*, hoc est, ad summum concilium Hierosolymitanum, quod Bellar. causam prorsus euertit.

Deinde, ab authoritate, & loco dubiæ interpretationis nulla firma ducitur argumentatio, at quid sibi velint *Vrim* & *Thummim*, non leuis est inter doctos controuersia. aliter enim [1] Rabbini, aliter [2] Arias Montanus, aliter [3] Iosephus, aliter [4] Augustinus, aliter [5] septuaginta interpretes hæc verba interpretantur. illi autem interpretationi, quam sequitur Bellarm. & quæ meritò dubitatur an fuerit Hieronymi, & textùs originalis, & interpretes doctissimi repugnant. Meliùs enim *Vrim* à radice *or*, & *Thummim* à radice *tamam*, quàm *à iarat* & *aman* deriuatur.

[1] *Rabbi Schelomon.*
[2] *In apparatu Bibl.*
[3] *Lib. 3. antiq. c. 12.*
[4] *Qu. 118. in Exod.*
[5] *In Exo. 28.*

Præterea, non omnia quæ erant summi sacerdotis Hebræorum, ad pontificem Rom. transferenda sunt. leges enim populi Dei & iudiciales & cæremoniales cessarunt, licèt eas summo studio seruent pontifices Rom. Quæ autem in nouo testamento à moribus sacerdotis summi transferuntur, ea ad omnes episcopos pertinent, qui ab [6] Ignatio & [7] Tertulliano summi dicuntur sacerdotes.

[6] *Epist. ad Trallianos.*
[7] *De baptis.*

Postremò, *Petrus Rauennas* alieno in loco testis producitur: & tamen nihil dicit, quod non anteà dictum & refutatum fuerit. loquitur ille de *Petro*, & ridiculè dicit *eum viuere*, quem ante multa secula Bellarm. Romæ mortuum esse contendit. Nos autem quærimus non de *Petri*, sed de omnium pontificum Rom. iudicio, de quo futilis iste testis nihil dicit.

Postremum Bellarmini argumentum signo nititur duplici. Nam *quia omnium aliarum patriarchalium sedium episcopi aliquot hæretici euaserunt, & nulli in sede Romana; & quia soli pontifices Romani sine concilio plurimas hæreses damnarunt*; hoc *Bellarm. signum esse dicit,*

cit, quod pontifex Rom. in fide errare non possit. Sed signū hoc, si signi nomen meretur, ex dubiis est, & mendacibus. nos enim ostendimus & veteres & recentiores pontifices Rom. hæreticos fuisse.

Deinde falsum est, pontificem Roman. sine concilio damnasse hæreses *Pelagii, Priscilliani, Vigilantii,* & *Iouiniani.* Pelagii enim multa dogmata pontifices Rom. defendunt. ea autem omnia in quinque synodis damnata esse constat, nempe in *Palæstiniana, Carthaginensi 2. Ephesina 1. Mileuitana* & *Arausicana.* Similiter à *Priscilliani* errore non multum abhorrent. nam iuramenta ipsi non seruant, nec ab aliis seruari patiuntur, dum eos à vinculo iuramentorum facilè absoluunt. *Postremò*, schola [1] Rhemensis periuria docet. vetat enim *socios & secreta prodere, etiamsi quis iuramento adactus respondeat.* Interim verò *Priscilianus* in synodo quadam *Toletana.* & *Burdegalensi* damnatus est. Iouinianus à Hieronymo oppugnatus est, & à synodo *Tolensi*, præside eiusdem loci episcopo damnatus, dum episcopi Rom. interim taciti voluptatibus indulsisse videntur. Vbi autem Vigilantius hæreseôs ab episcopo Rom. damnatus sit, nec ipse Bellarm. nouit. Verùm vt pontifices Rom. aliquos damnarint hæreticos; nihil tamen eorum valuit sententia, nisi & synodi, & imperatoris accessisset authoritas. neque enim priùs acquieuit *Priscilianus*, quàm imperatoris mandato à Treuiratum præfecto occisus esset. Imperatores & Arrianis, & Donatistis, & reliquis hæreticis ora occlusêre: quod & [2] Gregorius primus agnoscit. *Hæreticorum ora*, inquit ille, *catholici imperatoris tempore praua quæ sentiunt, eloqui non præsumunt.* conatus quidem est Iulius episcopus Rom. Athanasium restituere, sed rem perfecit imperator, & synodus Sardicensis. Chrysostomo nullum auxilium afferre potuit Innocentius. at idem in synodo omnium malorū remedium positum esse fatetur.

[1] *Annotat. in Act. 23.*

[2] *Lib. 7. epist. 47.*

Præterea, si hoc signum sit pontificem Rom. errare non posse, quia solus quasdam hæreses sustulit; tum idem erit signum synodum prouincialem errare non posse, quia multas hæreses legimus in synodis prouin-

cialibus esse damnatas. Deinde, ex hoc signo probare licet, pontificem Romanum erroribus esse obnoxium, quia licèt multas ille damnarit hæreses, nunquam tamen vel hæreticis ora sunt obstructa, vel hæreses illæ reiectæ, nisi imperatoris, & synodi adiuncta esset authoritas, & populi simul accessisset approbatio.

Ad Ruffini testimonium respondeo, nihil ipsum de vrbis episcopo loqui. præterea, etsi [3] asserat *nullam hæresim in ecclesia vrbis Romæ sumpsisse oxordium, & morem ibi seruari antiquum*; non tamen loquitur de tempore futuro, nec negat inde etiam, sicut aliis in ecclesiis, hæreses exoriri posse. non meminit denique Nouati, qui in media vrbe hæresis suæ iecit fundamenta, & Simonis, & Marcionis, & aliorum hæreticorum, qui in illa vrbe virus hæreseôn suarum euomuerunt.

3 In exposit. symbol. in princip.

Desinant ergo deinceps aduersarii pōtificum Rom. iudicium infallibile iactare. neq; enim hoc vel scripturæ authoritate, vel veterum testimoniis confirmatur. ipsi etiam pontifices Rom. qui paulò erant pudentiores, non ausi sunt hoc sibi arrogare.

4 Refellitur lib. 4. de pont. Rom. c. 4.

4 Hinc etiam constat Romanam ecclesiam pontifici adhærentem, non modò errare potuisse, sed etiam errasse. atque vtinam dicere liceret, tantùm errasse. nunc enim dum Antichristo turpissimè seruit, & grauiter errat, & alios multos in errorem ducit. hoc enim loco nihil aliud intelligimus per Romanam ecclesiam, quàm cœtum pontifici Rom. adhærentem. itaque dum pontifici Rom. adhæret, non potest non errare.

Præterea, frustra nunc ecclesiæ Romanæ iactatur authoritas. hîc enim agimus de pontifice, & non de ecclesia. Deinde, nulla nunc est ecclesiæ Rom. authoritas. nō eligit episcopos; non fert suffragium in synodis; nihil iudicat, nihil agit. authoritas eligendi episcopum Rom. ad homines media ex parte laicos, & officii pastoralis expertes, quos cardinales vocāt, translata est: reliqua solus pontifex Roman. pro arbitratu suo agit. Ipse solus ius dicit: ipse leges dat: is & eccle-

siæ &

ſiæ & reipub. Rom. omnia iura, velut prædo iniuſtus, ad ſe vnum tranſtulit.

De antiqua vrbis Rom. eccleſia multa extant encomia: eamq; non tantùm Cyprianus, Hieronymus, & Nazianzenus, ſed etiam [5] Paulus laudat: ſed nõ magis illa ad hanc ſuperiorum ſeculorum, & huius ætatis eccleſiam pertinẽt, quàm priſcorum Romanorum inſignes virtutes & laudes ad illos Romanos, qui nunc ſunt; qui nihil aliud ſunt, quàm Gothorum, Francorum, Italorum, Hiſpanorum, imò & Afrorum, & Maurorum, & Iudæorum colluuies turpiſſima & viliſſima. nec veterem tamen eccleſiam Romanam ita laudarũt patres, *vt eam non poſſe in fide errare contenderent.* [6] Cyprianus non loquitur de errore fidei, ſed tantùm negat Romanos falſam quorundam hominum criminationem admiſſuros.

[5] *Rom.1.*

[6] *Lib.1.ep.3.*

Hieronymus *Romanam fidem apoſtolica voce laudatam* [7] *negat mutari poſſe.* Sed vt fides non poſſit mutari; at populus Rom. aliam fidem recipere potuit. & hoc non negat Hieronymus; & experientia docet.

[7] *Lib.3.apolog. contr. Ruffin.*

In operibus Nazianzeni Antuerpiæ editis, & excuſis à Stelſio, nullum extat eius carmen de vita ſua. atq; vt aliquod eſſet, & ibi diceret, *Romanam eccleſiam ſui temporis fidem rectam retinuiſſe*; non tamen ideo neceſſariò ſequitur, eam ſemper retenturam rectam fidem.

Nicolaus quintus, & Sixtus quartus, licèt facilè elui poſſent eorum teſtimonia; indigni tamen ſunt, qui reſponſionem ferant. Multa poſtea diſputat [1] Bellar. an ſedes põtificalis ab vrbe Roma aliò transferri poſſit. Sed hoc viderint ciues Romani, quibus illud curæ eſt. illud ſanè ab hac controuerſia de certitudine iudicii pontificalis alienum eſt Præterea, falſum eſt. quomodo enim dicantur illi vrbis Romę epiſcopi, qui per 70. annos vrbem nũquam viderunt? & quomodo certi ſunt illi, vrbem Romam, & populum Rom. ſemper fore? ſed hæc alio loco fuſiùs.

[1] *Lib. 4 de pont. Rom. cap. 4.*

Nunc ſatis eſt omnes videre, pontificem Rom. in fidei decretis errare poſſe. inde etiam ſequitur & eccleſiam Rom. ei adhærentem errare. Quod ſi autem in

fide errare possit; multò magis in moribus turpia potest decernere: vt ex decreto ipsius de vectigali meretricum Rom. & publicæ vsuræ, quod ipse magno cum nominis sui dedecore recipit, ostendi potest. Et si in iudicio errare possit; certè multò magis extra iudicium errori obnoxius est. ibi enim omnia maiore cōsilio & iudicio tractantur. Atq; ita vniuersa Bellar. de papæ iudicio disputatio conuulsa iacet. nunc de ipsius in legibus condendis potestate, ipsarumq; legum vi, adhuc pauca addenda sunt.

Pontificem Rom. nullam habere potestatem condendi leges, quæ ecclesiam obligent vniuersam.

Cap. V.

AN pontifex Rom. possit leges condere, quæ obligent in conscientia, omnino stultum est quærere, nisi hoc primùm constiterit, posse ipsum aliquas leges condere. Nos autem, vt pontem aduersariis interscindamus, negamus ipsum potestatem habere vllas leges condendi. imò nec episcopos quidem legitimos, nisi in synodis, potestatem habuisse leges aliquas imponendi suis gregibus credimus. iste autem nec episcopi ius habet. ridiculè ergo Bellarm. hoc dubio prætérito, de vinculo conscientiæ disputat.

Nostram sententiam multa confirmant, ex quibus hæc pauca delibabimus. Primò, nullus habet potestatem leges condendi, nisi qui summum habet imperiū. hoc enim summæ est potestatis, leges condere. idcirco in Regno reges, in Aristocratia optimates, in repub. populari populus leges fert. at pontifex Roman. nō est summus ecclesiæ moderator, vt nos antea multis ostendimus, & inde etiam vlteriùs probatur, quia hoc Christi est proprium: ipse enim est ecclesiæ summus pastor, & rex: ipse est sponsus ecclesiæ: ipse est caput sui corporis: & ipse solus, quoad fidem, ecclesiæ vniuersali leges præscribere potest. *Docete*, inquit [1] Christus, *seruare, quæ præcepi vobis.* Principes quidem, & synodi declarant, quæ ex Christi sententia esse putant: sed Christi est solius dogmata fidei, & leges cōscientiæ condere.

[1] *Matth.* 28.

Secundò, qui ab aliis leges accipiunt, non possunt illi vniuersæ ecclesiæ leges condere. At episcopi Rom. non modò ab apostolis, sed etiam à conciliis generalibus, & [2] imperatoribus leges acceperunt. Et de apostolis quidem non est dubium, quin leges dederint pontificibus Rom. nisi se Christianos negent, & euangelii legem excutere velint. Imperatores etiam eisdem leges præscripserunt. hoc enim [3] Gregorius fatetur. *Quantum*, inquit, *ad me attinet, serenissimis iussionibus obedientiam præbeo.* & *præterea*, hoc & codices [4] imperatorum, & historiæ plurimæ probant. *Postremò*, synodorum generalium constitutionibus omnes tenebantur. alioqui potuit pontifex Rom. synodis generalibus, quarum constitutiones, velut quatuor euangelia [5] venerabatur Gregorius, refragari; & ipse solus ab anathemate conciliorum liber esse debuit.

Tertiò, aliquot pontifices Rom. & à conciliis generalibus, & ab imperatoribus leguntur depositi, & loco moti. neq; dubium est quin illud iure factum sit. *Stultus enim prælatus*, vt inquit [6] Hieronymus, *ad nihil prodest, nisi vt foras mittatur.* ideoque concilium Constantiense tres papas, concilium Basileense Eugenium 4, deposuit. *Contra papam sua potestate abutentem*, inquit [7] Baldus, *primò vtendum est verbis, secundò herbis, tertio lapidibus: & vbi non sufficit virtutis ingenium, ibi valere debet armorum præsidium.* Neque sanè minorem habet potestatem imperator contra pontificem Rom. quàm habuit Salamon in Abiatharum sacerdotem, qui ab ipso [8] legitur depositus. Sed hoc nos antea pluribus exemplis confirmauimus. qui autem aliis subiiciuntur, & ab eis loco moueri possunt, non habent illi legis condendæ summam potestatem.

Quartò, omnis potestas leges ferendi, quam sibi pontifex Romanus vendicat, ex translatione sacerdotii pendet. ideo enim [9] dicunt *potestatem legem condendi & mutandi esse penes vicarium Christi, quia translato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat.* At translatio sacerdotii summi ad pontificem Rom. facta non est. hoc enim [10] apostolus in Christo tantùm impletum esse docet. *in quo*, inquit, *hæc dicuntur, de alia tribu est*,

2 *Dist.* 10. *c. de capitulis. & c. certum est. & vestrâ.*
3 *Lib.* 4. *epist.* 32.
4 *C de sum. Trin. & fid. cath. & de sacrosan. ecclesiis, &c.*
5 *Lib.* 1. *epist.* 24. *ad Ioannem, Eulogium, &c.*
6 *Apud Æneam Sylu. lib.* 1. *de gestis concil. Basil.*
7 *In c. olim col. penult. ext. de rescr.*
8 3. *Reg. c.* 2
9 *C translato, de constitut. & in rubrica.*
10 *Heb.* 7.

de qua nullus altari præstò fuit. ad pontificem autem Rom. accommodari non potest, quia nec Petrus authoritate propria, nec omnino episcopi Rom. vsq; ad Constantinum, & diu pòst leges tulisse leguntur. Imò, nec summum habuêre sacerdotium in vniuersam ecclesiam, vt iam dictum est. Postremò, sacerdotes summi Hebræorum non [1] habuêre legis condendæ potestatem.

Quintò, penes quos potestas est leges dare, [2] penes ipsos est leges abrogare. hæc enim duo & summæ, & vnius potestatis sunt. At pontifex Rom. non potest leges abrogare. concilium enim [3] Meldense decernit *canonum statuta ab omnibus esse seruanda.* [4] Gregoriusque primus *sicut sancti euangelii 4. libros, 4. generalia concilia recipit.* vulgoque profitentur [5] pontifices Roman. *se octo vniuersalia concilia vsque ad vnum apicem immutilata seruaturos, & pari honore & veneratione digna habituros.* Et sanè, si horum conciliorum canones mutare possent vel abrogare; tum fidei nostræ nulla esset certitudo, & ipsi domini essent nostræ fidei, & deinceps in papam, & præterea in nullum credendum esset: quò ferè aduersarii iam facilitate sua redacti sunt.

Sextò, non licet à legum conditore appellare. ad quem enim appelletur ab eo, qui in omnes habet potestatem? at à pontifice Rom. & licet appellare, & sæpe appellatum est, vt antea ostensum est; & probatur exemplo appellationis à Meschiade, quam imperator Constantinus approbauit. Etiam florente pontificatu, ab Innocétio tertio [6] Philippus Augustus rex Galliæ appellauit, & episcopos interdicto ab illo interposito consentientes deposuit. [7] Philippus Pulcher non modò appellauit à Bonifacio 8. sed eum etiam bello captum de throno episcopali deiecit. Appellarunt etiam aliquoties à pontificis decretis cardinales, vt testis est [9] Theodoricus à Niem. Appellarunt verò sæpissimè imperatores. Nuper denique cum Leo decimus gratiis suis exspectatiuis, & prouisionibus ecclesiæ Gallicæ libertates opprimere conaretur, ad appellationis remedium [10] confugit *vniuersitas Parisiensis*

[1] *Petr. Gal. Sigon. de rep. Hebr. & Ioseph.*
[2] *Arguitur ex rubric. c. translato, de constit.*
[3] *C. canonũ, de constitutionibus.*
[4] *Lib. 1. epist. 24.*
[5] *Dist. 16. c. sancta octo.*
[6] *Io. Mar. Belg. part. 2. de schism. cap. 14.*
[7] *Ibid. c. 18.*
[8] *De schism. lib. 3. c. 33. & tractat. vnion. 6. c. 10. & 13.*
[9] *Matt. Paris. in Henr. 3.*
[10] *Fascic. rerũ expetend. & fugiend.*

risienſis. atq; hæc totus orbis Chriſtianus legitimè facta fatetur.

Septimò, non habent pontifices Rom. maiorẽ poteſtatem, quàm ſacerdotes ſummi Iudæorum. imò nec plus ſibi optare audent, cum in ſucceſſione ſacerdotali ſola tantùm confidant. at ſacerdotes Iudęorum nuſquam leges tuliſſe leguntur, niſi fortè, quando iidem erant reges & ſacerdotes; idq; contra primam ſacerdotii inſtitutionem. imò Moſes, & non Aaron, legiſlator fuit. poſtea verò regum & principum ſummorũ, & non ſacerdotum leges & edicta ſeruabantur. [1] Dauid ſacerdotum vices, & iudiciorum formas deſcripſit. [2] Ioſaphat ieiuniũ edixit. collapſas eccleſiæ res [3] Hezechias & [4] Ioſias reſtituêre. Rabbini leges condendi poteſtatem extremis Hebræorum reip. temporib. penes ſummum concilium Hieroſolymitanum fuiſſe oſtendunt. quod etiam lege Dei quodammodo confirmatur. appellatio enim ab aliis iudicibus, qui in ciuitatibus [5] conſtituti erant, ad hoc ſummum [6] concilium dabatur. *Venies,* inquit Moſes, *ad ſacerdotes Leuitici generis & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem.* Per iſtos autem intelligitur ſummum ſynedrium; & ab iſto non dabatur appellatio. in quo autem ſumma erat poteſtas, ab eo leges condi æquum erat.

[1] 1. *Paral.* c. 24.25.
[2] 2. *Paral.* c. 20.
[3] 2. *Paral.* c. 31.
[4] *Ibid.* c. 34.
[5] *Deut.* 16.
[6] *Deut.* 17.

Octauò, nuſquam legitur Petrus authoritate aliqua pontificali leges dediſſe eccleſiæ. nam quæ de cæremoniis legalibus ſtatuenda erant, ea concilii Hieroſolymis congregati authoritate edita ſunt. *Viſum eſt.* [7] inquiunt apoſtoli & ſeniores *Spiritui ſancto, & nobis.* vbi obſeruandum eſt, nuſquam legi, vbi Petrus pro more pontificum Rom. dixerit, *mãdamus aut iubemus.* Fidei autem dogmata, & epiſtolarum Petri doctrina omnis à Chriſto erat, & Spiritu ſancto; à quo & reliquæ ſcripturæ profectæ ſunt. Impudentes ergo ſint neceſſe eſt, ſi plus ſibi arrogent pontifices, quàm *Petrus* habuit, quem ſui pontificatus authorem & radicem fuiſſe iactant.

[7] *Act.* 15.

Nonò, legis eſt virtus imperare, vetare, permittere, iubere, vt inquit [8] Modeſtinus. At certum eſt pontifi-

[8] *L. legis virtus. ff. de legibus.*

ces Roman. in vniuersam ecclesiam hanc potestatem nunquam habuisse. nusquam enim legimus eos toti ecclesiæ imperasse. Ante synodum Nicenam, exiguus respectus ad eos habebatur. illo autem tempore Arrii hæresim nullo suo imperio coercere potuerunt. Postea verò hæreses in conciliis conuictæ & extinctę sunt, & ecclesiæ disciplina ibidem certis regulis definita fuit. Multa autem episcopi Rom. de paschate, de causa Athanasii, de appellationib. & aliis rebus censuerunt, quibus tamen nullus paruit. Quicquid ergo huius potestatis nunc habent; illud antiquitus vbiq; non habuerunt.

Decimò, non est serui, aut ministri, leges ferre. neque enim stare potest seruitus cum summa potestate. At pontifex Rom. se seruum dicit seruorum, & antiquitus non est dedignatus nomen ministri. quare aut regnum illud in legibus condendis missum faciat, aut se seruum esse Christi neget. serui enim est parêre mandatis patrisfamiliâs; & patrisfamiliâs domus suæ cōstituere disciplinam, & gubernationis domesticæ formulam.

Vndecimò, non est in vna republ. nisi vna summa potestas. quare si ecclesia vna sit, non nisi vnum habet summum legislatorem. atque is, quoad conscientias, Deus est: quoad res externas, in tota ecclesia concilium generale; in singulis ecclesiis, summi principes Christiani, & synodi prouinciales. Quare, aut neget in concilio esse summam potestatem, aut abdicet se potestate legum condendarum pontifex Rom. necesse est. at illud rectè negari non potest.

Postremò, probatur & experientia teste, & aduersariorum confessione, pontifices Rom. antiquitus nullam habuisse legis condendę potestatem, quæ quidem ad ecclesiam vniuersalem pertineret. Nam ante oppressam ecclesiæ libertatem nusqnam leges vllas tulisse leguntur. Perscrutare *Eusebium*, *Ruffinum*, *Theodoretum*, *Socratem*, *Sozomenum*, *Euagrium*, & reliquos ecclesiasticæ historiæ scriptores: euolue annales: repete veteris & primæ ecclesiæ monumenta: nullum vsquam alicuius legis ab aliquo episcopo Rom. latæ

reperi-

reperies vestigium. Imò, multa & certa extant argumenta, quæ epistolas veteribus episcopis affictas, adulterinas esse, & episcopos Rom. antiquos, nullas antiquitus tulisse leges ostendunt. Sed nihil opus est oratione. aduersariis enim huius rei confessionem veritas extorsit. [9] Bellarminus vbi conatur ostendere episcopos Rom. antiquitus tulisse leges, principium facit à *Leone primo*. vnde facilè colligere licet, illum nullum proferre potuisse antiquiorem, apud quem alicuius huiusmodi potestatis extaret indicium. Sed & ipse nimis altè duxit eius rei principium. nam in *Leone*, & eius posteris vsque ad Gregorium septimum; nulla huiusmodi deprehéditur potestas. idcirco, qui omnes pontificum collegit leges in vnum [10] volumen, à Gregorio septimo exorsus est. Postea verò, Gregorius nonus primus pōtificum decretalibus legis dedit authoritatem. nam ante ipsum, velut schedæ disiectæ in tenebris & situ iacuerunt. Cùm ergo hinc suarum legum ducant initia; nihil est, quod hanc potestatem sibi vel à Deo datam, vel ab antiquis temporibus continua successione præscriptam putent. illud autem maximè ridiculum est, quod leges suas pontifices Rom. conscientiam ligare iactant; de quo in sequenti capite differemus.

9 *Lib.2. de pontif. Rom. cap.19.*

10 *Bullariū.*

Pontificum Rom. leges non obligare in conscientiā.

CAP. VI.

BEllarminus [i] de legibus pontificis Rom. disputaturus, cum magna pompa & apparatu certamē ingreditur, &, vt solet, multa obseruat. Nos, quia ipsius obseruationes nihil aliud sunt, quàm nugæ, rem meram agemus. neq; enim cuiquam obscurum esse potest quid velimus, cum pontificis Rom. legibus negemus Christianorum conscientias teneri.

i *Lib.4. de pont. Rom. c.15.*

Hoc autem probatur triplici argumētorum genere: quorum primum ab illius tyrannide & iniustitia; secundum à defectu iurisdictionis; tertium à conscientiæ natura, & legum Diuinarum ratione ducitur. Dicimus ergo legibus ipsius conscientias non teneri; *Primò*, quia tyrānus est, & leges fert iniustas. Illud pro-

batur primò, quia non regit secundùm leges, sed eas pro arbitratu laxat & soluit.

Secundò, quia proprium spectat commodum. nihil enim aliud eius leges spectant, quàm argentum merum, & lucrum præsentarium.[2] Budæus eas *argentariæ faciendæ gratia videri constitutas* dicit. Matthæus Paris de temporibus Gregorii 9. verba faciens: *Eodem tempore,*[3] inquit, *permittēte vel procurante Papa Gregorio, adeo inualuit Romanæ ecclesiæ insatiabilis cupiditas, confundens fas nefasq́; quod deposito rubore, velut meretrix vulgaris & effrons omnibus venalis & exposita, vsuram pro paruo, simoniam pro nullo inconuenienti reputauit, ita vt alias affines prouincias, imò etiam puritatem Angliæ sua contagione maculauit.*

Tertiò, quia per summam iniustitiam omnes ferè prouincias Christianas expilauit. *Ipse Romanus pontifex,* inquit [4] Ioannes Saresburiensis, *omnibus grauis & ferè intolerabilis est* Postea dicit *eos diripere spolia prouinciarum, ac si thesauros Crœsi studeant reparare.* Temporibus Henrici 3 expilationibus papalibus regnum Angliæ ferè ad solitudinem redactum est. *Regnum,* inquit [5] Matthæus Paris, *quasi vinea exposita omni transeunti, quam exterminauit aper de sylua, miserabiliter languit desolatum.*[6] Bonnerus, strenuus aliqqui causæ pontificię defensor, dicit *prædas papales in hoc regno, regia ferè vectigalia æquasse.* neque sanè alias prouincias humaniùs tractauit.

Quartò, quia non tantùm imperatoribus ius suum in electionibus episcoporum, & ecclesiæ gubernatione Papa eripuit: sed quia vrbem Romam, & Italiam, & multas alias imperii prouincias per varias occasiones ab imperio distraxit. Præterea, imperatores armis persequutus est, & vnum nudis pedibus hyeme ad suū palatium accedentem exclusit; alterius collum pede calcauit; cuidam etiam coronam è capite pede deturbauit.

Quintò, quia episcopos pro arbitrio eligit indignos. Budæus 7 dicit, *doctrinæ virtutisq́; præmia in quosdam conferri tam stolidos, tam inertes, tantaque nequitia, vt illis anima data sit pro sale, vt suibus.* Idem etiam episcopos

[2] *De asse.*
[3] *In Henr. 3. p. 535.*
[4] *Polycrat. lib. 6. c. 26.*
[5] *Matth Paris. in Henr. 3. p. 530.*
[6] *In præfat. in lib. de vera obedientia.*
[7] *Annot. prior. in leg. 2. de legib.*

scopos dignissimos & doctissimos pro quauis leuissima offensa de sedibus suis expellit. ius electionum à capitulis, à populo, à plebe, principibusq; ad se trástulit, eisq; obtrudit homines ignotos, indignos, alterius linguę, & plerumq; pueros.

Postremò, tyrannidem pontificis Rom. viri docti & pii aliquando liberiùs taxarunt. [8] Humbertus de Romania dicit, quod *causa dispositiua schismatis Græcorum inter alias vna fuit, propter grauamina Romanæ ecclesiæ in exactionibus, excommunicationibus, & statutis.* — [8] *Apud Petrum de Aliaco de reformat. eccl.*

Imponunt onera grauia & importabilia, inquit [9] Petrus de Alliaco, papas cum Pharisęis coniugens, *in humeris hominum, digito autem nolunt ea mouere.* In collationibus etiam beneficiorum & electionibus, fatetur pontificem alias ecclesias & pręlatos grauare. Germani centum grauamina collegerunt, quorum fons & caput erat pontifex Rom. — [9] *Ibid.*

Ioannes Saresburiensis dicit ecclesiam Rom. *nõ tam matrem esse quàm nouercam. Sedent in ea*, [1] inquit ille, *Scribæ, & Pharisæi ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digitis non contingunt. dominantur in clero, nec forma fiunt gregi.* Et [2] post; *Concutiunt ecclesias, lites excitant, collidunt clerum, & populum, laboribus & miseriis afflictorum nequaquam compatiuntur, ecclesiarum latantur spoliis, & quæstum omnem reputant pietatem.* — [1] *In Polycrat. lib. 6. c. 24.* [2] *Ibid.*

Tyranni proprietas est, inquit [3] Theodoricus Niemensis, *non quærere bonum publicum subditorum, sed vtilitatem propriam: & tales sunt prælati, qui nõ pascunt, nisi seipsos.* — [3] *Tractat. vnion. 3.*

[4] Platina dicit, *quosdam pontifices largitione & ambitione pontificatum quærere; & adeptos, posthabito diuino cultu, inimicitias non secus, ac sæuissimos quosdam tyrannos inter se exercere.* — [4] *In Sergio* 3.

Belgæ queruntur apud [5] Auentinum de Nicolao, *quod lupus esset factus ouibus, & sub persona pontificis* tyrannum ageret. Eberardus Salisburgensis grauiter in pontificem inuectus [6] dixit, *quod tyrannicè se gereret, & solus omnia faceret.* In istos ergo quadrat illud [7] Homericũ, *αὐτὰρ μῆλα κακοὶ φθείρουσι νομῆες.* vnde syn- — [5] *Lib. 4. in epist. ad Nicol* 1. [6] *Auentin. annal. lib. 7.* [7] *Odyss. ς.*

odus Basileensis infinitis exactionibus per annatas, prouisiones, reseruationes, & mille aucupiorum modos, modum imponere [8] conata est. Quod si ergo tyrannus sit pontifex Roman. & iniquas leges statuerit; nullus ei vel ipsius legibus parêre tenetur. cum tyrannis enim ethnici [9] viderunt *nullam nobis societatem, sed potius summam distractionem esse debere.* Et [1] Augustinus dicit, *leges iniustas nō mereri nomen legis.* Et hoc etiam ratio legis docet. nihil est enim aliud [2] lex, *quàm iusti & iniusti regula.* quomodo autem regula, si iniquum, aut iniustum imperat? idem etiam sequitur, si pontifex sit Antichristus, quod infrà fiet manifestum.

[8] *Sess.* 21. & 23.
[9] *Cic. de offic.* 3.
[1] *Lib.* 1. *de lib. arbit. c.* 5.
[2] *L.* 2. *ff. de legibus.*

Secundò, etsi pontifex Rom. verè esset eius vrbis episcopus, & non tyrannus; Anglis tamen, Gallis, Germanis, & aliis qui sunt extra eius diœcesim, leges dare non posset. nam *extra territorium ius dicenti impunè non* [1] *paretur.* impunè etiam non [2] paretur ei, *qui supra iurisdictionem ius dicere velit.* neq; vlla maior cogitari potest nullitas, vt loquuntur iurisconsulti, quàm quæ ex defectu iurisdictionis contingit. At pontifex Roman. quando leges nobis dare conatur, supra iurisdictionē suam ius dicit: quando verò ex legibus suis Anglis, Germanis, Gallis ius dicere conatur, limites sui territorii transcendit. ei enim concilium Nicenum prouinciam dedit suburbicarū ecclesiarum curationem, vt inquit [3] Ruffinus: & ita etiam canonem synodi Nicenæ interpretatur Balsamon: & ea interpretatio vera est. ea enim fuit intentio synodi, vt certos limites singulis patriarchis constitueret. At si nulli positi essent episcopis Rom. termini, tum nihil illa certi de episcopalium diœceseôn finibus statuisset.

[1] *L. extra, ff. de iurisdictione.*
[2] *Ibidem.*
[3] *Lib. hist.* 10. *c.* 6.

Quicquid autem in Anglia, Germania, & Gallia iuris habuit pontifex Rom. illud absq; omni titulo vsurpatum est. quid enim episcopo Rom. in alienis prouinciis? Si vt patriarcha se intromisit, debuit ostendere patriarchatus sui fines eò se extendisse. Si alio iure, illud nobis demonstrare debuit. hoc sanè maiores nostri ostenderunt, licèt iam, confirmata pontificis Rom. tyrannide, duro seruitutis iugo oppressi, se eius

legibus non teneri. Galli enim sextum decretalium librum vniuersum [4] reiiciunt. Angli leges de prouisionibus & gratiis exspectatiuis recipere noluerũt. Simul Galli, Germani, Hispani, & Angli aduersus pontificis Rom. exactiones multiplices decreta in concilio Basileensi [5] ediderunt. Antiquitus verò ante tempora Gregorii primi, licèt sanctior tum vigeret in occidentalibus istis regionibus religio, nihil ibi habuerunt populi Christiani cum pontifice Rom. commercii. contineat ergo se intra suos fines, & Romanis & Italis suis, qui maximè opus habent, ius dicat; nos missos faciat.

[4] *Præfat. Duareni in lib. de benef.*

[5] *Sess.* 21. *&* 23.

Postremò, leges episcoporum synodales de rebus externis, & disciplina ecclesiastica, quatenus sunt episcoporum, & nihil habent in se legis diuinæ, conscientias simpliciter & absolutè nõ ligant: quod multis etiam argumentis confirmatur. Nam *primò* vnus tantùm est conscientiarum iudex, & legislator Deus. *Dominus*, inquit [6] Isaias, *iudex noster, Dominus legislator noster, Dominus rex noster.* Similiter Iacobus, *Vnus,* [7] inquit, *est legislator & iudex, qui potest perdere & saluare.* at episcopus Rom. non potuit vnquam saluare aut perdere. nec vnus erat ille iudex, de quo loquuntur Isaias & Iacobus.

[6] Cap. 33.

[7] Cap. 4.

Respondet [1] Bellarmin. *vnum esse legislatorem primarium, qui potest sua propria authoritate leges ferre. episcopum autem Roman. vicarium esse regis & iudicis, & Christi authoritate leges condere: Cyprianum enim dicere pontificem iudicem esse loco Christi.* Sed nullo modo satisfacit. nam Isaias & Iacobus ita vnum esse asserunt legislatorem & iudicem, qui conscientias suo moderamine & imperio regit, vt nullum præterea secundarium legislatorem, aut iudicem conscientiarum admittat. admissa autem Bellar. interpretatione, respondere potuit Iacobo detractor, se non esse primarium iudicem, sed secundarium, & loco Christi fratres taxare.

[1] *Lib.* 4. *c.* 17. *col.* 1033.

Præterea, si omnes episcopi in suis diœcesibus leges condere possunt, tum omnes erunt Christi vicarii, & iudices loco Christi: &, si solus episcopus Roman.

per totum mundum leges ferre possit, ostendere debet Bellar. vbi hanc potestatem acceperit; & vbi data sit ei soli potestas omnes saluandi & perdendi.

Debet deniq; ostendere vicarios omnes principum habere potestatem leges condendi. Cyprianus autem de quouis episcopo loquitur, & nō de episcopo Rom. & tribuit ei potestatem externam quoad mores, & nō internum dominatum quoad animas.

[2] *Col.*1034. Respondet ergo secundo [2] Bellar. *Iacobum velle dicere, nemini licere iudicare legem sui superioris, cum vnus tantùm sit legislator.* Sed nihil hoc ad argumentum nostrum nam si vnum tantùm dixerit esse legislatorem, hoc nobis satis est.

Præterea, falsum est Iacobum hoc tantùm dicere, nam addit vnum *tantùm esse legislatorem, qui potest seruare & perdere:* quod longè aliud est, quàm si diceret non debere aliquem iudicare legem superioris; & omnem euertit pontificum Rom. supra cōscientias tyrannidem, eorumq; anathematismos diluit.

Postremò, etsi ille tantùm diceret, *neminem debere iudicare legem superioris, cum vnus tantùm sit legislator;* pontifex tamen Rom. contra Iacobi verba peccaret, quando de lege Dei tanquam imperfecta iudicat, & sibi potestatem sumit conscientias obligandi.

Secundò, nullus potest conscientiis leges ponere, nisi qui supra animas habet potestatem, quiq; vt [3] Iacobus ait, *potest perdere & saluare. legis enim virtus* [4] *est præcipere, vetare, & punire.* At episcopus Rom. non habuit olim potestatem puniendi animas, neq; eas potuit perdere, aut seruare. solus enim Deus [5] *potest mittere in gehennam.* Pontifex autem Rom. dum anathematismis suis cogitat aliquos mittere in gehennam, præceps ipse odio veritatis ruit in Gehennam; eis autem qui iustitiæ gratia odium eius incurrūt, Deus interim benedicit.

[3] *Cap.* 4.
[4] *l. legis. ff. de legibus.*
[5] *Luc.* 12.

Tertiò, Apostoli sine Christi mandato non habuerunt potestatem legem condendi, quę animas ligaret, ea enim docere iussi sunt, *quæ Christus* [1] *mandauit.* Nec obstat, quod in [2] cōcilio Hierosolymitano leges quędam datę videntur dę sanguine, & suffocato, & immolatis

[1] *Matth.* 28.
[2] *Act.* 15.

latis idolorum, & fornicatione. hæ enim eatenus obligabant, quatenus legis moralis aliquid inclusum habebant, & quia à Spiritu sancto profectæ erant. & non solùm ab Apostolis; & quia charitas vetat dari fratri scandalum: at omni ex parte conscientiam non obligabant, nunc enim sublata scandali ratione, desiit vbiq; seruari lex de sanguine & suffocato. At si Apostoli non potuerunt nouas leges imponere conscientiis sine Spiritus sancti mandato; non est putandum episcopos quosuis hoc potuisse facere. Respondet [3] Bellar. *in iis quæ Christus mandauit, & hoc contineri, vt seruemus præcepta prælatorum secundùm illud Christi: qui vos audit, me audit.* Sed fallere conatur imperitum lectorem. non enim voluit nos simpliciter audire, quæcunq; illi docent. multas enim sæpe docent tales prælati fabulas & nugas, vt asserit Dantes poeta Italus; multa etiam dogmata confingunt noxia: sed quæcunq; ex verbo Dei docent. *Audies,* inquit [4] Deus, *ex ore meo verbum, & annuntiabis illis ex me.* & apud Prophetam Hieremiam, *Loquatur,* [5] inquit, *verbum meum rectum.* & hoc est, quod Christus discipulis suis, quos in mundum prædicatum misit, præcepit; & quod in audiendis illis seruari voluit.

[3] *Lib.4.de pont.Rom. cap.17.col.* 1031.

[4] *Ezech.3.*

[5] *Hierem.23.*

Quartò, lex Domini perfecta est, omniaque præcepta continet, quæ ad ad salutem animarum pertinēt. at legi perfectæ non est addendum. *Non addetis,* [6] inquit Deus, *ad præceptum quod ego loquor vobis.* & alio in loco per Mosem: *Quod præcipio tibi,* 7 inquit, *facito Domino, non addas quicquam, neque minuas.* Respondet [8] Bellarm. *Deum non prohibere additionem ad numerum præceptorum, sed additionem ad opus præceptum, seu additionem corrumpentem. nam festos aliquot dies nouos antiquitus apud Iudæos* 9 *institutos fuisse, &* [1] *Dauidem fecisse nouam legem de diuisione prædæ.* Sed valde hoc argumentum mancum est, & claudum. *Primò,* non docet has leges obligasse conscientias Iudæorum, & non potuisse illos aliter diuidere prædam, aut alio modo beneficiorū acceptorum memoriam celebrare, quàm seruando illos dies festos. *Deinde,* postquam ostenderit leges illas obligare in conscientia, ostendere et-

[6] *Deut.4.*

7 *Deut.12.*

[8] *Col.* 1031.

9 *Hester.9. Iudith.vlt. & 1.Mac.4.*

[1] *1.Reg.30.*

iam debet illas fuisse leges sacerdotum, & non Prophetarum, qui hæc ex Dei mandato instituerunt. *Tertiò*, probare debet præcepta; quæ de nouo traduntur à prælatis, & dicuntur conscientias obligare, non esse additiones ad opera & additiones corrumpẽtes. pontifex enim Rom. multa aliter præcepit quàm Deus in scripturis: vt de colendis imaginibus, & sanctis defunctis, de angelis, de sacramentis, rebus sacris, ordinibus, monachis, missis, cæremoniis legalibus, & huiusmodi aliis rebus. *Postremò*, dicitur eam ob causam maximè lex perfecta, quia conscientiis nulla alia lex imponi potest. non esset autem perfecta, si aliquid esset faciendum, aut omittendum sub pœna damnationis, de quo nihil in lege Dei præceptum est. Neq; obstat, quod principes siue de rebus politicis, siue ecclesiasticis & nonnunquam concilia generalia & particularia de externa ecclesiæ disciplina nouas edunt leges & cõstitutiones: leges enim istæ non aliter ligant conscientias, quàm quatenus aliquid præcipiunt, ad quod faciendum aliâs ex lege diuina tenemur.

1 *Col.* 1032. Respondet [1] secundò *solui posse argumentum, etiamsi admitteret scripturam prohibere additionem nouarum legum; nam prohibitionem debere intelligi solùm de additione legum contrariarum.* Quasi verò nullæ essent nouæ leges, nisi contrariæ: & non ea esset legis perfectio, vt omnes alias leges conscientiæ obligatorias excluderet. Præterea, hæc interpretatio verbis Mosis aduersatur. ipse enim disertè loquitur, & [2] dicit, *hoc tantum facito Domino: nihil addas aut minuas.*

2 *Deut.* 12.

3 *Col.* 1033. [3] Respondet ergo tertiò, *non esse eandem rationem veteris testamenti & noui: ibi enim Deum determinasse omnia in speciali: in nouo autem testamento latas esse de fide & sacramentis leges communissimas, quæ specialiter per Apostolos & eorum successores, pro locorum & temporum diuersitate, determinandæ essent.* Sed hæc responsio primam tollit. nam si cuncta Deus in veteri testamento determinauit; tum falsum est quod dixit, nouas additas fuisse de partitione prædæ, & diebus festis legis. Deinde, aduersus Christum contumeliosa est. cur non enim ille perfectiorem daret legem quàm Moses,

ses, præsertim cum Mosi longè præstaret? Præterea, repugnat Euangelii perfectioni. nam si omnia specialiter in lege præcepta sunt, & nihil fere in Euangelio, vt ipse subindicat; tunc erit lex Mosis euangelio præstantior, quod tamen nec verum est, nec à Bellarmino conceditur. Postremò, falsa est. nam non magis licere euãgelii legi addere, quàm legi Mosis docet Paulus. *Si quis*,[1] inquit ille, *aliud præterquam quod euangelizaui vobis annuntiauerit, anathema sit.* Nec obstat, quòd à conciliis & piis principibus aliquæ leges de rebus ecclesiasticis editæ sint. illæ enim non sunt additiones ad legem Dei, nec in conscientia obligabant, nisi quatenus aliquid de lege Dei participabant, aut negligi non potuêre extra scandalum. de scandalis autem vitãdis Christus[2] præceptum dedit: & propter scandalum etiam ritus singularum ecclesiarum seruãdos docuit Augustinus. *Ad quãcunque veneris ecclesiam*, [3] inquit ille, *eius ritus serua, si nemini vis esse scandalo, nec quenquam tibi.*

[1] Gal. 1.

[2] Matth. 18.

[3] Epist. 86. ad Casulanum.

Quintò, non licuit pœnam mortis cuiquam irrogare in veteri testamento, nisi ex lege Dei. hoc enim populi repugnabat libertati, & legis perfectioni. at in testamento nouo maior est perfectio & maior libertas. quomodo ergo credibile est licere cuiquã mortali pœnam mortis irrogare, nisi ex lege Christi? at si leges episcoporum Rom. obligabant olim subditorum conscientias; tum ad culpam obligabant mortalem, & pœnam imponebant mortis, absque lege vlla Christi; & deterior erit seruitus sub euangelio, quàm sub lege.

Sextò, non licet nunc nouas instituere religiones, aut modos cultus Diuini. hoc enim disertè & Christus & prophetæ vetuêre. *Frustra me colunt*, [4] inquit Christus, *docentes doctrinas, quæ sunt mãdata hominum.* Deus etiam per [5] prophetam reprehendit populum suum, *eo quod timuisset ipsum mandato hominis & doctrinis.* Hanc etiam religionis nouitatem reprehendit [6] Hilarius. *De Deo* inquit ille, *credamus quod de se credi voluit.* Socrates denique lumine naturali vidit vnumquemque Deum ita colendum, prout ipse præcepit.

[4] Matth. 15.

[5] Isai. 29.

[6] In Psal. 1.

Constat ergo non esse ponēdas leges ab homine, quæ noua nos religione obstringant: nam hoc Deus vetuit. Præterea, hominum vtilitas illud prohibet. *nam nihil est in speciē fallacius quàm praua religio*, vt homo [1] ethnicus animaduertit.

[1] Liuius lib. 32.

Respondet [2] Bellarm. *mandata hominum non vocari qualibet hominum præcepta, sed ea solùm, quæ omnino sunt humana, ita vt neque Deo iubente, neque inspirante, nec eo authore constituta sunt, quæque aut sunt contraria legibus diuinis, aut inutilia.* Dicit etiam non tantùm eos reprehendi, *qui traditiones quasdam inutiles & friuolas cæremonias, sed etiam qui leges bonas pluris faciebant, quàm legem Diuinam.* Quæ sanè omnia contra leges decretalinas pontificum Rom. plurimùm faciunt, quocunque animo à Bellarm. dicta videntur. nam multæ decretales sunt legi diuinæ contrariæ: vt leges de colendis imaginibus, de imagine Dei patris & Spiritus sancti effingenda, de cultu Angelorum & sanctorum, de indulgentiis Papalibus, de cœlibatu ecclesiæ pastorū, ciborum prohibitione, & huiusmodi aliis rebus: cuiusmodi præcepta Paulus vocat doctrinas dæmoniorum: nos pontifici parcētes, dicimus esse laqueos animarum, & retia diaboli. Multæ sunt inutiles, vt vniuersæ illæ de cæremoniis missæ, de consecrationibus templorum, altarium, vestium, & sacramentorū formulis traditiones, vt constitutiones de diebus festis, ieiuniis, & huiusmodi aliis rebus multis, quæ in synagoga Rom. seruari solent. Postremò, pluris faciunt has suas leges, quàm grauissima Christi mandata. eos enim qui suarum cæremoniarum leuissimas contemnunt nugas, flammis adiudicant, eosque grauissimis cruciatibus necant; blasphemos, adulteros, & impuros tolerant, præmiisque ad cædes principum inuitāt. *Omnia*, inquit [3] Papa quidam, *decretalia constituta nostrâ declaratione custodiri mādamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi nouerit deinceps denegari.* flammis denique sæuiunt in inimicos suos, eosque hæreticorum loco [4] habent. atque magna seueritate in legum suarum transgressores animaduertunt, licèt nec Deo iubente, aut inspirante, nec eo authore latæ sint: quod ex eo

[2] Cel. 1034.

[3] C. si Rom. dist. 19.

[4] C. si ad abolendam. de hæretic.

ex eo clarè liquet, quia nullam iussionem, aut mandatum hac de re proferre possunt. Argumento autem nostro Bellar. planè non satisfacit. Christus enim omnes nouos cultus, & nouas religiones vetat, & non tantùm huiusmodi constitutiones, de quib. ipse loquitur. ipse autem pontificum Rom. leges, quæ sub pœna peccati seruari mandantur, nullo modo defendit. Dupliciter ergo peccant aduersarii: primò, quod nouas leges promunt, & sub grauissima culpæ mortalis pœna seruari mandant; deinde, quod in eis magnam suæ religionis partem collocant, vt omnes vident, & viri pii plurimùm indignantur & dolent.

Septimò, Christus liberauit conscientias nostras à seruitute traditionum & legum humanarum. qui ergo conscientiis noua onera imponunt, tollunt eam libertatem qua nos Christus donauit. Antecedens probatur ex apostoli verbis Galat. 5. *In libertate*, inquit, *state, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Similiter Colos. 2. *si mortui estis cum Christo, liberi estis ab elementis mundi.* Respondet [1] Bellar. & multa de libertate Christiana disputat, sed quæ nihil ad rem. quid enim attinet quærere in quibus christiana libertas consistit, cum conscientias hominũ à seruitute traditionum humanarũ in synagoga Rom. liberatas ostendere non possit? Illud verò quod dicit, *nos liberari à seruitute legis diuinæ moralis*, falsum est. non enim liberamur ab obedientia, sed à maledictione legis: quod [2] Paulus disertè ostendit. *Christus*, inquit, *nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.* Præterea, [3] *negat nos liberari ab obedientia prælatorum*: quod & nos negamus, ne frustra se, pro vetere more suo inepto & stulto, fatiget in eo probando, quod à nobis conceditur. non tamen ex eo sequitur, posse prælatos nouas leges condere, quæ in seruitutem nos redigant Iudæorum conditione deteriorem. obediendum enim est præpositis, sed quatenus ea docent, quæ Christus mandauit. sin autem sua docere & præcipere inceperint, non sunt audiendi: idque primò, quia iugũ imponunt ceruicibus nostris; deinde, quia noua & sua mandata præcipiũt seruari. [4] Augustinus anathema dicit *eis omnibus, qui aliquid do-*

[1] Col. 1035.
[2] Gal. 3.
[3] Col. 1035.
[4] Lib. 3. cõtr. lit. Petil. c. 6.

cent, quod ad fidem, vel vitam pertinet, nisi quod in euangelicis & legalibus scripturis comprehensum est. & legati non aliud facere debent, aut præcipere, quàm quod in mandatis habent. doceat ergo Bellarm. suos prælatos simpliciter audiendos esse quicquid præceperint, & mandatum ostendat de nouis legibus condendis, aut desinat de obedientia præpositis præstanda nugas garrire.

1 Matth. 11. *Octauò,*[1] *iugum Christi suaue est, & onus eius leue.* At si omnes episcoporum constitutiones in conscientia obligarēt, nihil esset hoc onere molestius, vel grauius. In synagoga Rom leges sunt cæremoniales, si numerum spectes, infinitæ; si obseruationis onus, intolerabiles. obligant enim pleræque ad pœnam mortalem. *Peccatum mortale*, inquit [2] Martinus ab Aspilcueta, *est peccatum contra præceptum Diuinum, vel humanum; æterna pœna munitum, vel pro tali habitum.* idemque omnem constitutionum Papalium trāsgressionem ferè pro peccato [3] habet mortali. Quod si ergo olim Augustinus conquestus est, [4] *quod quidam religionem Christianam seruilibus oneribus ita premerent, vt tolerabilior esset conditio Iudæorum, quàm Christianorum*; quàm iustas habent querendi causas, qui sub seruitute legum Papalium viuunt? Beatus Petrus olim putauit Deum tentari, cum cæremoniarum iugū ceruicibus fidelium imponeretur. *Quid,* [5] inquit, *tentatis Deum, iugum imponere super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* Respondet [6] Bellarm. *non sequi propterea nos liberos esse à legibus politicis & ecclesiasticis. quia liberati sumus ab onere cæremonialium & iudicialium Mosis.* Quasi verò nos hoc contenderemus, aut cogitaremus. Imò planè cōtrarium docemus, dicimus enim teneri omnes subditos ad obedientiam & principum & legitimorum prælatorum: sed ita, vt hæc obedientia conscientias teneat, quatenus ex lege Diuina præcipiunt: bona autem & corpora, quatenus præter legem Dei, quæ ad ordinem & decorum in ecclesia; & quæ ad vtilitatem ciuium spectant in repub. ab eis legitimè præcipiuntur. Cum ergo hîc pedem figere non posset, respondet

2 Enchir. præludium. 9. num. 8.
3 Enchirid.
4 Epist. 119. c. 19.
5 Act. 15.
6 Lib. 4. de pontif Rom. c. 18. col. 1036.

dee [1] secundò *leges pontificis Rom. & pauciores & leuiores esse, quàm Mosaicas. quatuor enim tantùm leges reperiri, quæ omnes Christianos obligent; nimirum de seruandis festis, de seruandis ieiuniis, de confessione semel quotannis facienda, de communione in paschate. cæteras omnes vel nō esse leges, sed admonitiones; vel pias institutiones sine obligatione ad culpam. illas autem quatuor leges esse tantùm determinationes iuris Diuini, & mitissimam continere obligationem. Augustinum deniq; non vetare leges ecclesiasticas seruari, sed potius mandare: & tantum consuetudines vulgi & hominum rudium reprehendere.* Quæ sanè non tantùm à veritate aliena sunt, sed etiam sine summa impudentia affirmari non possunt. quid enim obsecro? an leges synagogæ Pontificiæ paucæ sunt? quid ergo sibi volunt tot legum volumina? quid regulæ monachorum, vt plurimùm vinculo anathematis firmatę? quid statuta collegiorum? quid magna illa bullaria, & constitutionum farragines, quæ recentiorum pontificum statuta & anathemata continent? quid canones conciliorum Romanorum? nonne pontifices Rom. decreta sua innumerabilibus voluminib. comprehensa esse [2] dicunt? Ridiculè ergo respondet, *quatuor tantum esse leges omnibus Christianis impositas.* Nam infinita sunt harum legum capita, & præterea aliæ leges infinitæ.

[1] Ibidem.

[2] C. si Rom. dist. 19.

Atque vt tantum quatuor essent leges omnibus impositæ; responderi etiam posset, vix quatuor esse leges cæremoniales à Mose omnibus impositas; & infinitas esse leges in synagoga Rom. quæ vel singulis, vel certis hominum ordinibus imponuntur: quæ non sunt *admonitiones*, vt loquitur Bellar. sed leges obligantes; idque non tantùm ad culpam [3] mortalem, sed etiam ad pœnam mortis. illud Papistæ publicè docent, hoc fratres nostri variis cruciatibus vexati, & flammis & gladiis perempti experiuntur.

[3] In enchirid. Aspilcueta per totum.

Falsum est etiam, *illas quatuor leges determinationes esse iuris Diuini.* nusquam enim reperire potest in lege Diuina, vbi vel cōfessio de singulis peccatis sacerdoti facienda, vel tot dies festi seruandi, vel communio in paschate, vel abstinentia à carnibus loco ieiunii præcipiatur.

Illud verò non modò falsò, sed impudenter affirmatur, has leges mitissimam habere obligationem. quómodo enim habeatur obligatio mitis, cùm non modò flammis mandentur carnes tempore prohibito comedẽtes, & reliquas leges transgredientes, sed etiã velut capitali admissa noxa æternæ morti addicantur?

Falsum est denique *conqueri Augustinum de cõsuetudinib. vulgi, & imperitorum*: quis enim non eas contemneret? at illæ de quib. ille loquitur onerosæ erãt, nec eas contemnere licuit. huiusmodi etiam sunt leges

1 Polycrat. lib. 6. c. 24. synagogæ Rom. 1 Ioannes Saresburiensis, propter legum harum multitudinem & grauitatẽ, appellat *pontifices scribas & pharisæos, qui ponunt onera importabilia in humeris hominũ, & digito ea non contingunt. Tertium*

2 De reform. eccles. *grauamen ecclesiæ*, inquit 2 Petrus de Alliaco, *est in onerosa multitudine statutorum, canonum, & decretalium.* hoc etiam Germani grauiter queruntur.

3 Col. 1038. Respondet 3 postremò *omnes suas leges ecclesiasticas vel à conciliis, vel ab ecclesia vniuersa consuetudinibus fuisse introductas.* Sed hoc etiam mendacium est parum pudenter confictum. pontifices enim Rom. nullos conciliorum canones, nec consuetudines, vel patrum sententias vel pili faciunt; nisi quæ ad regnum suum stabiliendum conducunt. Canonistæ autem sententiis à Gratiano collectis iuris authoritatem deberi ne-

4 Duaren. in præfat. in li. de benefic. gant; licèt pontificum Rom. decretalibus longè 4 præstent. Interim verò, omnia pontificum Rom. placita recipiuntur, & cæremoniæ infinitæ in missas & sacramenta, & sacra ecclesiæ Rom. absque omni conciliorum, aut ecclesiæ vniuersalis authoritate irrepserunt.

Nonò in Dei templo nihil operis noui faciendũ est, quod non præcepit Dominus templi. nihil enim fecit Moses in Tabernaculo, Sanctuario, & Arca, nisi ex Dei mandato. nec ædificauit Salomon Templum Dei aliter, quàm Deus præscripsit. qui autem aliquid noui in cultum Dei introducere ausi sunt, grauiter reprehenduntur. hinc toties accusantur reges Israelita-

5 4. Reg. c. 16. rum, quòd in excelsis sacrificassent. *Vrias* 5 sacerdos notatur, quòd ex regis mandato nouum in templo al-

tare ædificasset. [1] Manasses verò grauiter deliquisse dicitur, quòd in templo Dei extruxisset aras. [2] Nadab & Abihu igne à Domino egresso consumpti sunt, *quia ignem alienum coram Domino obtulissent*. Si ergo ecclesia sit templum Dei mysticum; quis vel nouas leges ei præscribere, aut alienos cultus in ea instituere præsumat, quàm quos Christus, qui caput est ecclesiæ, præcepit?

[1] 4. *Reg.* 21.
[2] *Leuit.* 10.

Respondet [3] Bellar. *Reprehensum esse Vriam & Manassem, nō quòd altaria noua in templo erexissent, vel quod nouas cæremonias instituissent, sed quòd altaria idolis ædificassent. nam* [4] *Salomonem nouum altare ædificasse, quando viderat altare æneum non capere omnia holocausta*. Sed primò in hoc fallitur Bellar. quod cæremonias nouas absque Dei mandato institui posse censet, cum disertè illud Deus vetuerit. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito*, inquit [5] Dominus. idem etiam [6] reprehendit *doctrinas hominum*. Deinde, Achaz & Manasses non tantùm reprehenduntur, quòd idolis immolassent, sed quòd noui generis altaria extruxissent in templo Dei. quod autem Salomon secūdum altare in atrio extruxit, ex reuelatione proculdubio Diuina fecit. isti autem omnia ex ingenio humano faciunt.

[3] *Lib.* 4. *de pont. Rom. c.* 19. *col.* 1038.
[4] 3. *Reg.* 8.
[5] *Deut.* 12.
[6] *Matth.* 15.

Decimò, qui legibus humanis propter consciētiam parent, illi fiunt quodammodo hominum serui. at hoc Paulus cum redemptionis opere pugnare dicit. *Pretio*, [7] inquit, *empti estis, ne essetis serui hominum*. & loquitur de seruitute spirituali. *A Deo empti*, inquit Ambrosius in 1. Cor. 7. *id est à Christo, serui hominum non debent esse. serui autem hominum hi sunt, qui humanis superstitionibus se subiiciunt*. cur non ergo serui sint hominum, qui se mandatis eorum ex religionis necessitate obstrictos teneri putant?

[7] 1. *Cor.* 7.

Respondet [8] Bellar. *Paulum præcipere ne homini propter homines seruiamus, sed propter Deum. ita enim exponere Chrysostomum*. Sed hęc interpretatio nostram non excludit. nam quamdiu mandatis hominum paremus propter conscientiam, paremus homini propter homines. omne .n vinculum obedientiæ, quæ hominum mādatis præstatur, ex authoritate hominū proficisci-

[8] *Col.* 1039.

tur. Præterea, factis suis & dictis aduersarii se ostendũt esse hominum seruos, & quidem vilissimos. nam pedes osculantur eius, qui se dicit seruum seruorum, & illum tanquam numen in terris aliquod venerantur, & magis cauent, ne in ipsius, quàm ne in Diuinas leges delinquant. atque hæc omnia, dum putant eos peccare mortaliter, qui ipsius anthemata flocci faciunt.

Vndecimò, solus Deus scrutatur corda & renes. solus ergo leges fert, quæ conscientiam ligant. Ratio est; quia [1] legislatoris est non modò vetare, & prohibere, sed etiam punire. at corda & conscientiam nemo ferire potest, nisi qui corda & animas in sua habet potestate. conscientia enim ad Dei solius forum pertinet.

Respondet [2] Bellar. *etiam hominem ita obligare alios posse in conscientia, vt intelligant, vel intelligere possint se malè agere.* At si hoc ita esset, tum posset homo in hominis conscientia operari. Præterea, esset peccatum quod non esset ἀνομία, seu transgressio legis, contra quàm definit peccatum [3] Ioannes. esset deniq; lex humana regula rectè factorum & peccatorum.

Dicit præterea, *etiamsi conscientia sit superior humanis iudiciis, peccaturũ tamen contra conscientiam qui ecclesiasticas leges violat.* Sed planè pugnantia loquitur. quomodo enim conscientia sit simul superior & inferior humanis legibus & iudiciis?

Dicit tertiò, *legem humanam non obligare sub pœna mortis æternæ, nisi quatenus violatione legis humanæ offenditur Deus:* Quod nihil aliud est, quàm partes nostras agere. nam ex hoc sequitur, legibus humanis, quatenus humanæ, conscientiam non ligari. Deus enim nõ offenditur, nisi propter legis suæ violationem. Præterea, ex eo omnes legum pontificiarum euertuntur sanctiones. Pontifices enim sub anathematis pœna leges suas seruari mandant, & [4] pœna culpæ mortalis putant se transgressores legum suarum illigare. statim ergo se reuocat Bellarm. & dicit, *transgressorem legis humanæ, vt humanæ, peccare mortaliter, quia homo fert eam authoritate à Deo accepta.* Sed nihil hoc ad pontificem Rom. qui nullam legis ferendæ à Deo accepit potestatem. Præterea, si omnes leges obligarent propter authori-

[1] L. legis virtus. ff. de leg.
[2] Col. 1030.
[3] 1. Ioan. 3.
[4] Enchirid. Nauarri per tot. & in prælud. 9.

thoritatem latorum; tum non tam propter legis tráſgreſſionem, quàm propter cõtemptam authoritatem, tranſgreſſor legis reus eſſet. at fieri poteſt, & ſępe euenit, vt quis legem humanam tranſgrediatur, & tamen authoritatem legislatoris non contemnat. Deinde, non eſſet peccatum legem tranſgredi in ſe, ſed quia lata eſt ab authoritatem habente. manet ergo immota ratio noſtra; homines non poſſe conſcientiam ligare, quia pœnam mortis æternę, quam ſolam conſcientia metuit, irrogare non poſſunt.

Duodecimò, ſi leges humanæ conſcientiam obligarent, tum non poſſent illæ vnquam abrogari. nam conſcientia legem tantùm æternã & naturalẽ applicat reb. agendis. vt [1] aduerſarii fatentur: & nõ tenetur illud metuere, quod aliquãdo non videtur æquum ex iure naturæ & lege æterna. at leges humanas, tam eccleſiaſticas, quàm politicas, ſæpe videmus mutari & abrogari. conſcientia ergo ex eis ligari non poteſt.

[1] *Aquinas* 1. *p.q.* 79. *art.* 13. & 1.2. *q.* 94.1.

Decimotertiò, omne peccatum eſt tranſgreſſio legis Dei. ita enim [2] Ioannes: & in hoc conſentiunt patres. Ambroſius [3] dicit *peccatum eſſe praeuaricationem legis Diuinæ.* Similiter [4] Auguſtinus, *Peccatum,* inquit, *eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei.* non ergo qui leges humanas tranſgrediuntur, peccant mortaliter, & conſcientiam accuſatricem habent, niſi præcipiant aliquid, quod ex lege eſt Diuina. & ſanè valde mirum eſt, ſi peccatum quis committeret mortale, & tamen legem Dei non tranſgrederetur.

[2] 1. *Ioan.* 3.
[3] *Lib. de paradiſo. c.* 8.
[4] *Lib.* 22. *cõtra Fauſtũ. c.* 27.

Reſpõdet [5] Bellar. [4] *omne peccatum eſſe quidem contra legem æternam, ſed non contra legem Dei poſitiuam.* Quaſi verò multæ leges poſitiuæ non eſſent etiam æternæ; aut Auguſtinus loqueretur de lege creaturarũ æterna, & non hominum obligatoria poſitiua; aut denique non eſſet perfecta lex poſitiua, ſed eſſet peccatum aliquod, quod non eſſet contra legem poſitiuam. Præterea, hoc contra Bellarmini cauſam ſummè faceret. nam abſurdiſſimum eſt cogitare eos, qui tranſgrediuntur leges pontificias delinquere contra legem æternam. Earum enim nullæ æternæ ſunt: multæ

[4] *Col.* 1043.

autem sunt contra legem Dei positiuam: vt leges de adoratione crucis, & imaginum, & defunctorum, de delectu ciborum, de cœlibatu sacerdotum, & diuortio coniugatorum propter votum ex cōsensu susceptum, & huiusmodi. Postremò, hanc legem æternam *solùm* [1] *beatis esse notam aiunt.* non respicit ergo peccatum legem æternam, cui omnes etiam mutæ creaturæ subiiciuntur, sed positiuam de recto & iniquo: ex qua lege [2] Paulus dicit *esse cognitionem peccati.*

1 *Thomas vbi supra.*
2 *Rom. 7.*

Decimoquartò, omnes leges quæ conscientiam ligant, omnium sunt communes. neq; enim ratio ostēdi potest, cur vnum ligent, alterum non ligent, cum omnes similiter à conscientia punguntur, & iudicantur. at legibus ecclesiasticis pontifices Rom. se teneri nolunt; & Martinus ab Azpilcueta excipit omnes ab hoc vinculo, qui vel dispensationem habent, vel causam iustam non parendi

3 *Enchirid. prælud. 9. n. 8.*

Decimoquintò, si episcoporum Rom. leges in conscientia obligarent, tum peccarent omnes mortaliter, qui eorũ legibus non obtemperarent: peccarent Galli qui sextum decretalium & eius anathemata non admiserunt; Peccarent Hispani, qui multis pontificum prouisionibus & decretis non obtemperarunt: peccarent deniq; omnes, qui fulminibus huius Iouis Capitolini non terrentur, nec eius mandata exequuntur: quod nec aduersarii affirmare ausint.

Postremò, ex actis conciliorum constat antiquitus illos tantùm dictos Anathema, qui contra fidem, aut aliquod legis diuinæ caput sentirent, aut facerent. Patres nulla, vt diximus, agnouerunt peccata, nisi cōtra legem Dei. [4] Ambrosius *seruos esse dicit hominum, qui se humanis subiiciunt superstitionib.* [5] Origenes negat episcopos *vim aut necessitatem subditis afferre posse.* Chrysostomus *eos non vim afferre, sed suadere debere dicit.* [6] Bernardus negat se *vspiam legisse apostolos iudices sedisse.* At si vim non possint afferre corporibus, certè conscientias pœnis æternis subiicere non possunt. vnde Augustinus; *Ex illa parte,* [7] inquit, *qua credimus Deo, & in regnum eius vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini.*

4 *1. Cor. 7.*
5 *Tract. 12. in Matth.*
6 *Lib. 1. de consid.*
7 *In exposit. propos. epist. ad Rom. propos. 72.*

Ad

Ad illud Origenis dictum respondet Bellar. *posse episcopos vim adhibere.* Sed repugnat planè verbis Origenis. Præterea, loquitur de censuræ vinculo, nos autem de vinculo agimus legum humanarum. Chrysostomi verbis respondet, ipsum non tollere *coactiuam episcoporum censuram.* Quasi verò hîc agatur de censuris, & non de legibus; & quasi censuræ obligarent conscientias, quando fluunt ex legum humanarum transgressione. argumentum nostrum ergo aut non attingit, aut non diluit. Ex istis ergo constat Bellar. eiusq; gregales, dum de conscientiæ vinculo, & legum pontificiarum potestate disputant, nec conscientiæ stimulum, licèt altè pungentem, sentire, nec legis vel diuinæ, vel humanæ rationem satis tenere. ⁴ Col. 1049.

Diluuntur Bellarmini aduersus nostram sententiam argutiola. CAP. VII.

QVod pontificum Rom. leges non obligent in cõscientia, satis dictum est capite superiore. Quod autem Iebusitarum sodalitium adamantinis vinculis sibi obligarint pontifices Rom. ex Bellarm. coniecturam facere licet. nunquã enim tam futiles sententias defendendas susciperet, nisi velut vile mancipium in verba omnia pontificum iurasset. Hîc ostẽdere conatur suos dominos pontifices *veras leges condere posse.* At vbi statum controuersiæ explicandum suscepit, multo plus promittebat. ¹ Dixit. n. se probaturum *pontifices iurisdictionẽ habere verè coactiuam, ita vt possint leges condere, quæ obligent in conscientia, & iudicare & punire trãsgressores.* Et hoc fortasse etiam isto in loco cogitabat. sed ipsius conscientia fortasse ipsum admonuit, hoc nullo modo probari potuisse. itaq; paucissima loquitur de conscientiæ vinculo: de iudiciis & pœnis fere nihil; imò nec legum condendarũ potestatem generalem pontifici suo cõpetere probauit. Triplici quidem argumentorũ genere, quorũ primum est à scripturis; secũdum à traditione patrum; tertium à ratione, velut triplici acie nos aggressus est: sed nihil est cur istas copias nobis aduersas fore metuamus. ¹ Lib. 4. de pont. Rom. c. 15.

Primus scripturæ *locus* habetur Deuter. 17. ibi enim

morti adiudicatur nolens obedire sacerdotis imperio. hinc [2] *colligit, non minùs nunc in pontifice Rom. esse authoritatem veram præcipiendi, qualis est in principe politico, & eius leges obligare in conscientia, etiam citra contemptum & scandalum.* Sed hæc futilis est & inepta collectio, & satis ostendit Bellarm. nec locum istum, nec politeiæ Hebræorum formam intellexisse. locus enim iste de iudiciis intelligitur, & non de legibus: quod ex verbis Mosis facilè colligitur *Si difficile*, inquit Moses, *& ambiguum apud te iudicium esse perspexeris.* Postea sequuntur verba quæ descripsit Bellarminus. Idem ex fine capitis decimisexti Deuteron. arguitur. nam postquam per singulas vrbes iudices constituendos dixisset, hîc ostendit quomodo causæ appellationum iudicandæ essent, & summum iudicum consessum Hierosolymis constitui mandat, qui de causis difficilioribus cognosceret.

[2] *Libr. 4. de pont. Rom. c. 16. col. 1019.*

Deinde, non potest Bellarm. à iudiciis & eorum potestate, concludere potestatem leges condendi huic iudicum collegio datam fuisse. Verum quidem [3] erat, summum illud concilium, de quo hîc agitur, leges etiam quasdam ferre potuisse. sed non tamen hoc, quia de rebus controuersis iudicabat. minus est enim iudicare, quã leges dare: & multò minor potestas est in iudice, quã in legislatore, nisi sit summus reip. princeps.

[3] *Rabbini de Sanedrin. & Sigon. de rep. Hebr. libr. 6. cap. 7.*

Tertiò, loquitur Moses nõ de vno sacerdote, sed de iudicum cõsessu. ita enim [1] Rabbini, ita Sigonius censet hoc etiam reip. Hebræorum forma docet. Postremò, ex ipsis verbis colligitur. non enim dicit Moses, Venies ad sacerdotem, & ille tibi ius dicet, sed *venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, & illi tibi indicabunt iudicii veritatem.* Præterea, non dicit, sequeris sententiam eius, sed *sequeris sententiam eorum.*

[1] *Vbi supra.*

Quartò, loquitur Moses de iudiciis politicis: vt & ex authoritate Sanedrin constat, & ex verbis scripturę colligitur. *Si iudicium perspexeris ambiguum*, inquit Moses, *inter sanguinem & sanguinem.* est ergo hic locus ab hac controuersia alienus. agitur enim nunc de legib. ecclesiasticis, & non politicis.

Quintò, absurdè iste locus introducitur ad probandam

dam pontificis potestatem in obligandis conscientiis ad obedientiam legum humanarum. disertè enim docet Moses ea tantùm facienda *quæ docuerint* iudices illi *iuxta legem Dei. Facies,* inquit Moses, *quodcunque docuerint te iuxta legem eius.* at nemo dubitat, quin sententia hominum secũdum legem Dei obliget in conscientia.

Sextò, non erat summus sacerdos Hebræorum vel legislator, vel summus iudex. legislator enim erat Moses: postea verò potestas illa ad reges deriuata est. summus autem iudex erat rex cum cõcilio Sanedrin. summus autẽ sacerdos ipse ab hoc concilio iudicabatur; & ab eius iudicio Hieremias [1] appellabat. [1] *Hier.* 26.

Septimò. qui non obtemperabat summo Hebræorum sacerdoti, vltimo supplicio afficiebatur, & occidebatur morte corporali. at hoc nec pontifices Rom. sibi sumunt, vt transgressores omnes legum suarum morte afficiant. imò longè alia pœna afficiunt. eos enim vel ad culpam peccati mortalis, vel ad aliam minorem pœnam legibus suis obligant.

Postremò, nulla trahitur firma consequentia à summo Hebræorum sacerdote ad pontificem Rom. Ille enim ex lege Dei summus erat sacerdos: hic nullum suæ summæ potestatis mandatum proferre potest. Ille nullas cõdebat leges: hic se *Solone* & *Lycurgo* iactat maiorem legislatorem. sed hæc nos antea diximus satis; & ex istis omnes intelligunt stultissimè Bellarminum ex hoc loco colligere. põtificem Rom. vel *potestatem habere præcipiendi, qualis est in principe politico, vel leges eius obligare in conscientia.* Stultum etiam & alienum est ab hac causa, disputare de potestate principis politici: agimus enim hîc de potestate legum ecclesiasticarum, & earum vinculo.

Dicit secundò, *actum indifferentem si præcipiatur, iam fore necessarium.* & hoc probat, quia vt [2] ipse putat, *circumcisio Iudæis, & nobis baptismus erat actus indifferens ante præceptum, qui tamen postea factus est necessarius.* Sed malè ille comparat inter se simulque miscet leges Diuinas, & humanas. fatemur enim res indifferentes ex præcepto Diuino fieri necessarias. sed hoc ille demon- [2] *Col.* 1019.

strare debuit, etiam vi & potestate legum humanarum fieri posse.

Dicit postremò, *pontificem Rom. eodem modo posse facere ex re indifferenti, necessariam, vt Deus per prohibitionem suam de non comedenda carne suilla, populo Hebræo ex actu indifferenti fecit necessarium: Deum enim hoc fecisse vt legislatorem, & non vt Deum.* Sed illud non modo falsum est, sed etiam blasphemum; idque supplicio, & non verbis modò vindicandum. Quis enim sustinere potest, pontificem Rom. Deo; eiusque leges, Diuinis comparari? hoc verò ridiculum est. neque enim cogitari potest, quomodo potestas Dei in legibus ferendis à Deitate separetur. neque potest dici Deus nisi potestatem habeat quiduis pro sua immensa sapientia & potentia imperandi. at verò pontifex Rom. quid est? quicquid est, sanè indignissimus est, qui cùm Deo comparetur.

Secundus locus ex Matth. 16. capite desumptus est. ex eo enim, quod Petro dictum est; *quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cælo*: concludit, *Petro datam esse potestatem leges imponendi.* in his enim [1] verbis: *alligant onera grauia & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere*: *ligare* significare *legem imponere.* Sed *primò*, multum interest inter *Petrum*, & pontificem Rom. Nos ostendimus nulla cognatione istos coniunctos esse. *Deinde*, asserit [2] Bellarm. nihil hîc dari Petro, sed tantùm promitti. ostendat ergo vbi hæc potestas condendi leges, quàm hoc loco Petro dari somniat, ipsi exhibita sit. *Tertiò*, potestas [3] *hæc ligandi & soluendi* ad peccatorum retentionem & remissionem refertur, & non ad potestatem leges condendi. nam ita Christus Matth. 18. interpretatur; & ita patres intelligunt simul omnes. clauium enim officium est aperire & claudere; & potestas soluendi & ligandi est potestas clauium, quam habent omnes sacerdotes; & nihil cælum nobis claudit, nisi peccatum. *Quartò*, etsi ligare Matt. 23. significaret legem imponere: non tamen sequitur, vt *ligare* Matt. 16. ita significet. Aliud est enim onera imponere; aliud peccatores ligare, quamuis neq; illud rectè negari pos-

[1] *Matth.* 23.

[2] *Lib.* 1. *de pont. Rom. c.* 10.

[3] *Matth.* 16.

sit, pontificem Rom. rectè scribis & Pharisæis comparari. multa enim & importabilia onera humeris christianorũ imposuit, quæ nec ipse digitulo conatur attingere. *Quintò*, quæ potestas hîc *Petro* promittitur, eadem Matth. 18. & Ioan. 20. omnibus Apostolis datur. eadem omnibus apostolorũ successorib. communis erat, vt [1] Cyrillus & [2] Basilius, & patres alii asserunt. At stultum est cogitare illis omnibus datam esse potestatem leges condendi, quibus claues & potestas ligãdi & soluendi data est. *Sextò*, vt leges possent condere, nihil tamen hic dicitur de vi & potestate, & obligatione earum legum, de qua nos hîc potissimum quærimus. *Postremò*, clauibus multi abutuntur, ne Christi authoritate quod dicit Bellarminus, sacerdotes semper homines ligare putemus. [3] Hieronymus *eos assumpto Pharisæorum supercilio dicit damnare innocentes, & soluere noxios.* sed non dicit ille vel eos rectè facere, vel eis necessariò obtemperandum esse: neque sanè æquum est. Idcirco Victorem de hoc supercilio aliquid assumentem contempsere episcopi Asiatici, & Irenæus: & pluribus episcopis Rom. Pharisæorum more primatum amantibus viri sæpe pii fortiter & rectè restiterunt.

[1] *In Ioan. lib. 3. c. 10.*
[2] *De vita solit. c. 23.*
[3] *In c. 16. Matth.*

Tertius locus est ille Delphicus gladius, de quo dixi. nam quia Petro [4] dictum est, *pasce oues meas*: existimat Bellar. *datam Petro potestatem leges condendi. ποιμαίνειν enim regium esse vocabulum.* Sed nihil hoc ad pontificem Rom. qui nõ pascit, nec curat Christi oues. Præterea, stultum est putare omnes vel pastores, vel Petri successores ex hoc consequi vel regiam dignitatem, vel legum condendarum potestatem. nam omnes episcopi & presbyteri, qui pascunt gregem Christi, dicuntur [5] pastores: & isti omnes veriùs Petro successerunt, quam pontifex Rom. Quod autem solus Petrus iubetur pascere, hoc ideo factum est, quia solus abnegauit Christum, non quia solus accepit gregis regendi potestatem. Postremò, adeo hoc vocabulum regium est, vt non modò agrestibus hominibus, sed etiam infimis parochiarum cura-

[4] *Ioan. 21.*
[5] *Act. 20. Ephes. 4. & 1. Pet. 5.*

tis conueniat: adeo vt pontificem suum istis ineptiis non tam iuuisse, quàm lusisse videatur Bellarminus.

Quartus locus est apud Ioannem cap. 20. ibi enim *Christus mittit apostolos sicut ipse missus est*: vnde Chrysostomus dicit, *eum suum eis ministerium reliquisse.* & Theophylactus ita Christum loquentem introducit: *opus meum suscipite.* Christus etiam [1] dicit, *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* hinc Bellar. colligit, *apostolos habere præcipiendi, & iudicandi potestatem, quoniam Christus eam à patre habuit.* Sed mirũ est, qui tam longè videt, non etiam vidisse magnum esse interuallũ inter Christum & apostolos; inter apostolos, & quosuis alios sacerdotes. ipse enim à patre missus est, sed vt Dominus dom⁹; apostoli, vt serui & ministri, Illi ad redimendam, iustificandam, & sanctificandam ecclesiam: apostoli ad hæc Christi beneficia prædicanda, & ad sacramenta administranda. Christus cum summa missus est potestate, & ecclesiam suam legibus firmauit. apostoli autem non aliter audiendi erant, quàm quatenus Christi verbum, & [2] mandata docebant: ex seipsis certè nihil potuêre docere, aut prædicare, aut præcipere, missi sunt itaque apostoli, sed non vt conscientias hominum illaquearent, sed vt opus ministerii sui perficerent.

[1] *Luc.* 10.

[2] *Matth.* 28.

Successores verò apostolorum episcopi & presbyteri multò habuerunt minorẽ, quàm apostoli potestatem. non. n. ita ducti sunt in omnẽ veritatem, quin errare possent. missi sunt tamen à Christo, & eos ille audire iussit, sed tãtùm, quatenus apostolorũ insisterent vestigiis. pontifex autẽ Rom. nec missus est, nec eũ audire iussi sumus: & tamẽ multo plures condidit leges, quàm omnes simul vel episcopi, vel apostoli. Idem etiã se Christi dicit vicarium: & tamen non facit opus, nec ministeriũ eius peragit. Non est itaq; audiendus, nec recipiẽdus. Imò licèt omnes apostoli, & omnes pastores missi sint à Christo & audiendi sint: stultè tamen Bellar. concludit, omnes seorsim potestatem accepisse leges condendi. neq; enim summa potestas vnius reip. tot seorsim hominib. communicari potest. Postremò, nihil hoc loco de legum potestate & vinculo dicitur.

Quintus

Quintus locus ex Actorum 15. desumitur. ibi apostoli & seniores ad gentes conuersas ista scribunt. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltrà oneris imponere, nisi hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, à suffocato, & à sanguine, & fornicatione.* hinc concludit [1] Bellarmin. apostolos leges edidisse, quæ conscientias obligarent. hoc enim colligi *primò, quia vocantur onus: secundò, quia dicuntur necessaria: tertiò, quia vocantur præcepta: quartò, ex authoritate Chrysostomi: quintò, ex authoritate canonum apostolicorum & conciliorum.* Sed claudicat hæc ratio: idque primò, quia nihil apostoli fecêre propria authoritate, sed tantùm authoritate Spiritus sancti, qui super eos effusus est in diebus Pentecostes. non enim dicunt, Visum est nobis, sed, *visum est Spiritui sancto, & nobis.* & hoc soli apostoli dicere potuerût, quia vberiore mensura Spiritum acceperant, quàm alii. Frustra autem apostolorum exemplum accommodatur pontificibus Rom. qui non habent eundem Spiritum, nec eandem authoritatem. Illi enim authoritate diuina leges condiderunt, vt etiam canonicas scripturas in lucem emiserunt.

[1] Col. 1029.

Deinde, quia leges ab illis latæ quatenus humanæ tantùm erant, & non diuinæ, non obligabant, nisi ratione scandali: quod his rationibus probatur.

Primò, erat contra scopum concilii, iugum ceruicibus discipulorum imponere, ac Petrus dicit hoc nihil aliud esse, *quàm Deũ tentare.* Nec satisfacit aduersarius cum respondet, *non pugnare obligationem huius præcepti cum scopo eius decreti, quia erat Apostolicum, & non Mosaicum.* nam hoc ipse affirmat, & non probat. Imò parum probabiliter illud affirmat. nam si scopus erat apostolorum ab omni onere discipulos liberare, non videtur certè verisimile eos sub pœna mortis æternę nouas leges edituros, aut nouum onus Christianorum conscientiis imposituros fuisse: præsertim cum Petrus asserat, hoc nihil aliud esse, quàm tentare Deum, nimirum imponere iugum discipulis. Nec aliquid referebat, vnde onus illud imponeretur. ipse enim omnino negat onus imponendũ esse. quis autem

non videt onus esse graue, obligari ad pœnam mortis, siue ex lege Mosis, siue ex nouis st-tutis hoc fiat?

Secundò, hoc præceptum de sanguine & suffocato iampridem seruari desiit. quæ autem obligant conscientias, non cessant, nisi vnicus ille legislator noster Christus nos ab eis liberet, sicut fecit à legibus Mosaicis. Seruari autem desiit, quia ratio scandali cessauit. quod satis ostendit legem illam propter scandalum tantùm obligasse. Ita [1] glossa ordinaria de idolothyto loquens: *manducate*, inquit, *tanquam licitum ex se, veruntamen potest fieri illicitum propter scandalum infirmorum.* [2] Nicolaus itaque Lyra de hac lege loquens: *procedente*, inquit, *tempore cessante causa, cessauit effectus, manifestata euangelicæ doctrinæ veritate.* [3] Bellarm. quidem negat *rationem scandali omnino cessasse.* at cõtra ipsum facit & consensus ecclesiæ, & glossæ prædictæ authoritas, & quia lex abrogata est, quod stante causa legis factum non fuisset. vnde & ipse sibi ipsi contrarius fatetur, *legem vniuersaliter cessasse. & abrogatam esse.*

[1] *In* 1. *Cor.* 10.

[2] *In Act.* 15. *in verb. suffocatis & sanguine.*

[3] *Col.* 1024.

Tertiò, Paulus apostolus aliâs permittens Corinthios idolothytis vesci, disertè propter scandalum tantùm ea prohibet. *Quicquid,* [4] inquit, *in macello venditur, edite, nihil interrogantes, propter conscientiam.* & ibi glossa dicit *simpliciter & ex se licitum esse idolothytis vesci.* Postea dicit [5] apostolus: *Si quis dixerit hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conscientiam. conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.* nunquam autem apostolus, qui interfuit concilio Hierosolymitano hoc scripsisset, idq; post legem latam, si simpliciter & extra rationẽ scandali præceptum hoc conscientiam obligasset. nec absolutè dixisset, non teneri aliquem ex conscientia non vesci idolothytis. Respondet [6] Bellarm. *fortasse hæc præcepta, quo tempore Paulus ad Corinthios scripsit, ad eos non peruenisse.* Sed hæc exceptio vim argumenti nostri non elidit. nam vt non peruenissent ad Corinthios; Paulus tamen, qui interfuit concilio, ea rectè nouerat. nos autem non ab exemplo Corinthiorum, sed à verbis Pauli argumentamur. Respondet ergo secundò,

[4] 1. *Cor.* 10.

[5] *Ibidem.*

[6] *Col.* 1024.

cundò, *Pauli disputationem versari non circa praeceptum, sed circa rationem praecepti.* Quasi verò non permittat Paulus vesci idolothytis, quod est contra legem concilii.

Postremò, certum est hanc legem de sanguine & suffocato non obligare conscientiam: quia ab omni vinculo cæremonialiũ legum Mosis Christus nos liberarat. hæc autem lex erat cæremonialis. aut ergo Christi liberatio non erat sufficiens, quod dici non potest, aut conscientia à legibus cæremonialibus libera erat. Nec obstat, quod apostoli hoc de nouo decernunt. hoc enim non tam propter se, quàm propter fratrum infirmorum conscientiam & scãdalum præceperunt. *conscientiam*, inquit 7 apostolus, *dico non tuam, sed alterius.* quid potuit disertius dici? negat cõscientiam nostram simpliciter hac re obligari. 7 1. *Cor.* 10.

Ad Bellarmini rationes in contrariũ adductas 8 respondeo: *primò*, non omnia onera obligare conscientias. 9 Pharisæi enim *alligabant onera grauia*, quæ tamẽ non obligabant conscientias: & omnes iniquæ leges onera dicuntur, licèt conscientias non onerent. hæc autem apostolorũ præcepta onus dicebantur, vel quia partim ex reliquiis erant legis Mosis, quæ iam cessarat, vel quia propter scandalum infirmorum necessariò adhuc seruanda essent. 8 *Ad primã Bellar. rationem respondetur.* 9 *Matth.* 23.

Dico 1 *secundò*, necessaria appellari non simpliciter, sed propter scandalum: & quia adiuncta erat lex de fornicatione, quæ ex lege erat Diuina, & simpliciter erat necessaria. 1 *Ad* 2. *rationem.*

Dico 2 *tertiò*, præcepta omnia & dogmata non obligare conscientiam. docent enim 3 aduersarii, nec omnes suas regulas & leges ad peccatum obligare. *Præterea*, responderi potest à Luca hæc non appellari præcepta. hæc enim 4 verba, *præcipiebat eis custodire præcepta apostolorum & seniorum*, à Latino interprete attexta sunt; & in originalibus codicibus non habentur. Verùm vt hæc verba verè essent *Lucæ*, & vt præcepta hæc obligarent quodammodo; tamen dico non aliter obligare, quàm propter rationem scandali. 2 *Ad* 3. 3 *Enchirid. Nauarri prælud.* 9. *numer* 8. 4 *Act.* 19.

Respondeò 5 *quartò*, nihil dicere Chrysostomum 5 *Ad* 4. *Rat.*

contra nostram sententiam. nam vt apostolorum epistola [6] *non syllogismos haberet, sed imperium*, vt dicit ille; non tamen omne imperium, nec omnis lex obligat conscientiam. multa enim legislatores volunt aliter obligare. multa ex sua natura aliter obligant, vt quæ pertinent ad externum ordinem & decorum. Responderi etiam potest homilias istas in acta non esse Chrysostomi. sed nihil necesse est hac exceptione vti.

[6] *Homil. 33. in act.*

Respondeo [7] *postremò*, [8] canones apostolorum & [9] conciliorum pro nobis facere. ostendunt enim legem illam apostolorum de sanguine nusquam seruatam fuisse. quid enim noua opus erat lege, si illa vim suam tenuisset? Præterea, dico grauem patres imposuisse pœnam vescentibus sanguine & suffocato, propter scandalum. neq; enim putãdum est, eos damnasse illud simpliciter, quod ex se licitum esset.

[7] *Ad 5 rat.*
[8] C. 62.
[9] *Cõcil. Aurel. cap. 19. & 20.*

Quod ergo [1] Bellarm. suas iactat rationes, & nostras facilè refelli posse dicit; multum falsus est. Dicit quidem *præceptum Apostolorum cecidisse non super scandalum, sed super abstinentiam ab immolatis, sanguine, & suffocato*. Sed [2] Apostolus multò melior interpres, ostendit Apostolos hæc vetuisse non ex se, sed propter scandalum: &, ipse imperitè facit, qui ex lege tollit rationem legis, & idem facit ac si animam hominis ab homine diuelleret, vnde sequitur ipsius interitus. [3] Chrysostomus quidem dicit *hanc legem nouam esse*, sed hoc stare potest, licèt propter scandalum Apostoli sanguine & suffocato vesci prohibuissent. Neque obstat, quod in lege illa, Act. 15. nulla fiat mentio scandali. non enim ratio legis semper in lege continetur. at apostolus Paulus optimus concilii interpres alibi rationem [4] explicat.

[1] *Col. 1021.*
[2] *1. Cor. 10.*
[3] *Hom. 33. in Act.*
[4] *1. Cor. 10.*

Multa præterea Bellarm. ex [1] Tertulliano [2] Origine, [3] Cyrillo, [4] Eusebio, [5] Augustino, & concilio [6] Gangrensi verba citat: sed contra nos nihil faciunt. ostendunt enim tantùm Christianos à sanguine & suffocato & idolothytis abstinuisse. sed nullus eorum dicit, legem de sanguine & suffocato simpliciter conscientiam obligasse, & ex sua natura, extra rationem scandali. Concilium Gangrense eos condemnat, qui

[1] *Apolog. c. 9.*
[2] *Lib. 8. cõtr. Celsum.*
[3] *Catech. 4.*
[4] *Lib. 5. hist. cap. 1.*
[5] *Epist. 154.*
[6] *Can. 2.*

carnium

carnium esum illicitum cēsent, & tantùm excipit sanguinem, suffocatum, & idolis sacrificatum: nō tamen eos, qui vescuntur istis condemnat, vbi nullum sequitur scandalum.

Ex istis ergo apparet, nec apostolos quidem legibus suis, quoad res externas & indifferentes, simpliciter obligasse hominum conscientias ad mortale peccatum. Verùm quicquid illi fecerunt, qui vberiorem habuerunt Spiritus sancti mensuram, & ampliorem in legibus ferendis authoritatem; nihil est quod episcopi singuli eorum exemplo se leges facere posse putent: neque debet pontifex Romanus hoc exemplo abuti. neque enim apostolicam habet authoritatem, nec Spiritus sancti indiuiduum comitatum; vt Christi Apostoli.

Sextus locus habetur Rom. 13. vbi Apostolus præcipit, *vt omnis anima potestatibus eminentioribus subiecta sit. quia non est potestas nisi à Deo.* Idem docet, *omnes debere eis subditos esse. non solùm propter iram, sed propter conscientiam. Illos denique qui resistunt, ordinationi Dei resistere, & damnationem sibi acquirere dicit.* Quæ omnia pontificum Rom. & eorum omnium, qui eorum auspiciis aduersùs reges & imperatores arma sumpserunt, impietatem manifestissimam, & scelera arguūt, & cōdemnant. neq; enim dubium est, quin Paulus eo loco principum authoritatē stabilierit. loquitur enim de eis, qui gladium gestant, & quibus tributū soluitur. At tales nulli erant eo tempore episcopi, sed tantùm principes. *Præterea*, certū est pōtifices Rom. & sua colla ab imperatorib. subduxisse, quibus de iure parêre tenebantur, & eos variè oppugnasse, & subditos à sacramento fidelitatis absoluisse, & in principes concitasse. Ita dum episcoporū in legib. ferendis asserit Bellar. authoritatē, pontificis sui iugulat tyrannidē. Respondeo ergo, verba Pauli impudenter ab ipso contra nostram causam detorqueri. hîc. n. quæritur de episcopis; at Paulus de imperio politico agit. hîc agitur de legibus episcoporū: ibi de magistratus authoritate. hîc disputatur de ecclesiasticarum legum vinculo: ibi agit Paulus de magistratus politici potestate.

[7] *Col.* 1015. At inquit Bellarm. *hunc locum* 7 *Caluinus de ecclesiasticis principibus intelligit: & manifestum est ex se, quia Apostolus loquitur in genere.* Sed vtrumque falsum est. *In hoc cardine versatur Pauli disputatio*, inquit [8] Caluinus, *Magistratus, quoniam à Deo sunt ordinati, honore prosequendos esse.* inde constat Caluinum verba illa tantùm de magistratu intelligere. Quod autem dicit, si *principum leges in conscientias dominantur, idem de ecclesiasticis dicendum fore*, hoc non ex sententia Pauli dixit, sed quia aduersarii ita concludebant. Apostolus autem etsi loquatur in genere, generalis tamen ipsius oratio ad magistratum ciuilem pertinet, qui gladium habuit, & cui tunc tributũ soluebatur, vt & verba contextus declarant, & Ambrosius, Chrysostomus, Oecumenius & Theophylactus exponunt. Atque vt concedamus hæc verba extendi posse ad episcopos; non tamen aliud inde concluditur, quàm eorum officium & munus à Deo esse, & eis propter conscientiam parendum esse, quia ex Deo instituti sunt. de legibus certè singulis à magistratibus latis non loquitur. neq; enim credibile est apostolum docuisse, leges humanas æquè ac Diuinas in conscientia obligare, aut eum hanc nobis seruitutem imponere voluisse. neq; censendi sunt illi magistratum contemnere, qui aliquam eius legem particularem transgrediuntur. Apostolus enim vbi dicit, *necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*: de generali obedientia loquitur, & non de particulari.

[8] *Instit. lib. 4. c. 10. §. 5.*

Septimus locus est, 1. Cor. 4. vbi ita loquitur Apostolus. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Sed hic locus longè à proposito disiunctus est. nam etsi Apostolus virgam habuit, & pii nunc omnes episcopi mucronem episcopalem habeant, quo peccatores percutiant; non tamen sequitur eos leges posse condere, quæ obligent in conscientia, nec posse ipsos alios ferire, quàm qui propter peccata aduersus leges Diuinas ex ecclesia eiiciendi sunt. Quicquid autem potuit Apostolus, & pii episcopi possunt, parum hoc ad pontificem Rom. attinet, qui nec Apostolus est, nec veri nominis episcopus. 9 Bellarm.

[9] *Col.* 1016.

hoc

hoc loco otiosè exspatiatur in aliam disputationem, & quærit in *quo subiecto hæc potestas virga apostolica mãserit.* Sed quid nos eum euagantem persequamur, cum non de excommunicatione, sed de potestate leges ferendi & earum vi & vinculo disputetur: multum enim interest inter potestatem iudicis, & legislatoris. ille enim, vt plurimum constituitur ab eo, qui summam habet potestatem; hic summus est totius reip. princeps.

Octauus locus est 1. Tim. 3. vbi dicit [1] Bellar. *apostolum legem nouam statuere de bigamis, & eam legem obligare in conscientia.* Sed malè comparantur leges sacræ scripturæ, quæ Spiritu sancto authore edita est, cum constitutionibus hominum, de quibus dubium est, an Spiritum sanctum habuerint authorem, necne. Præterea; si per bigamos intelligamus eos, qui duas habent vxores, non est hæc lex noua. dixit enim antiquitus [2] Deus, *quod vnusquisq; adhærebit vxori suæ, & quod duo erunt caro vna.* Sin autem per bigamos intelligamus secundo legitimo coniugio copulatos; nec Paulus tales à ministerio ecclesiastico exclusit; nec lex, quæ tales excludit, vel ordinatores talium, vel taliter ordinatos in conscientia obligat. Quod etiam ex praxi ecclesiæ intelligitur. nam tales non [3] subiiciuntur anathemati, velut ob mortale peccatum: sed tantùm irregulares constituuntur, & qui tales ordinant, priuantur tantùm potestate ordinandi. Probatur etiam, quia cum talibus facilè absq; aliqua peracta pœnitentia dispensatur. at mortale peccatum absq; pœnitentia non tollitur.

Nonus locus habetur 1. Tim. 5. vbi *aduersus presbyterum accusationem recipere prohibetur Timotheus, nisi sub duobus aut tribus testibus.* hinc colligit Bellarm. *episcopum suum tribunal habere.* Sed non omnes, qui suum habent tribunal, possunt leges condere, nec habent potestatem aliter, quàm secundùm leges iam latas, iudicandi. neque si hoc tribunal est extra forum conscientiæ, vt ait [4] Bellarm. verisimile est iudicum sententiis cõscientias ligari, nisi ex lege Dei pronuntient. Bellarm. hoc loco & laicos, & sacerdotes ad fo-

[1] Col. 1027.
[2] Genes. 3.
[3] Conc. Carthag. 4. c. 69.
[4] Col. 1027.

rum episcopi pertinere disputat. sed præstabat ad propositam controuersiam, omissis nugis, se referre.

Decimus locus habetur Luc. 10. vbi Christus septuaginta discipulos prædicatum missurus eis dixit, *qui vos audit, me audit.* Sed si septuaginta istis successerunt presbyteri, vt dicunt aduersarii; tum certum est, eos potestatem leges condendi non accepisse. concedunt enim illi hoc ad presbyteros non spectare. Atq; vt hæc ad episcopos pertineant; non tamen audiendi sunt, quando quicquid libet, statuunt, aut quando sua prædicant; sed quando Christi mandata proponunt, & euangelium docent. Præterea, ex his verbis non datur singulis episcopis leges ferendi potestas, ita vt in conscientia obligent. Postremò, nihil hæc pro pontifice Roman. faciunt. eius enim vocē prædicantis non audimus; anathematismos verò cur curemus, nihil causæ est.

Vndecimus locus habetur 1. Cor. 11. vbi Paulus laudat Corinthios, *quod præcepta sua seruarent.* ei etiam tres alios locos ex 1. Thess. 4. & 2. Thess. 3. succenturiat. Sed nihil illa ad propositum faciunt. intelligit enim apostolus aut dogmata fidei & præcepta morum, aut præcepta tantùm ad externam ecclesiæ politeiam spectantia. Si primum; tum obligabant; quia præcepta illa Deum habuerunt authorem, & qui *illa sperneret non hominem* [1] *sperneret, sed Deum:* & talia contemnentes [2] *notari* meruerunt. Si ista intelligat, tum cōscientias non ligant, sed tantùm ad pœnam ecclesiasticam obligant. In [3] epistola ad Corinthios vetuit mulierem prodire nisi velatam, & virum orare capite operto, quæ tamen nunc in conscientia non ligant. Sed quorsum ista? singuli enim episcopi non habent apostolicam potestatem: & pontifex Rom. nec apostoli, nec episcopi nomen meretur. delirant ergo, qui eius præcepta vel seruant, vel curant.

[1] 1. *Thess.* 4.
[2] 2. *Thess.* 3.
[3] 1. *Cor.* 11.

Vltimus locus ex Hebr. 13. desumptus est. ibi enim apostolus *præpositis obediendum esse* monet. Sed non possunt omnes leges ferre, nedum conscientias reatu obstringere, quibus obedire iubemur. Nam vxores maritis, serui dominis, liberi parētibus, discipuli præcepto-

ceptoribus,milites centurionibus & ordinũ ductoribus, & greges ſinguli ſuis paſtoribus obedire tenẽtur: non poſſunt tamen iſti omnes leges ferre & conſcientiis iugum imponere; nec hoc volunt aduerſarii. Præterea, non ſequitur *paſtores leges ferre obligantes conſcientias, quia expedit nobis eis parere.* imò non eſt vtile conſcientiam habere obligatam vinculo culpæ mortalis, vbi aliter licet. adeo denique parum iſte locus ad propoſitum facit, vt nullum argumentum ex eo formare poſſet Bellarminus.

Atque ita videmus nihil habere ipſum in ſcripturis præſidii. nunc ergo videamus, an plus habeat auxilii in conciliis & patribus. videndum etiam, quid tandem pontifices Rom. ipſi de ſuo regno ſomniarint, ne vllũ locum intactum reliquiſſe videamur.

Primò [4] dicit *nullũ fere eſſe concilium, quod non aliquid præcipiat, vel interdicat ſub pœna anathematis, vel depoſitionis.* Sed hoc cauſam pontificis Rom. prorſus iugulat. Nam ſi poteſtas condendi leges penes concilium ſit, tum non eſt ea penes pontificem Rom. ſumma enim poteſtas vnius & eiuſdem reip. in duobus diuerſis ſubiectis eſſe non poteſt. Noſtram ſanè cauſam non lædit. nam vel ſecundùm ſcripturas edunt dogmata, & ſecundùm legem diuinam præcipiunt patres, vt mos erat priſcorum & primorum eccleſiæ conciliorũ: atq; ita obligant conſcientias ſuis anathematiſmis & legibus; quia omnes mortales legi diuinæ ſubiiciuntur: vel præcipiunt & ſtatuunt contra leges diuinas, vt in concilio Ariminenſi, & ſecunda ſynodo Nicena. ibi enim hæreſis Arriana recepta eſt: hîc cultus imaginum & crucis idololatricus præcipiebatur; quo caſu nullus parêre, aut credere eorum ſtatutis & diffinitionibus tenebatur. vel de rebus indifferentibus leges ferunt, ordinis & decori gratia, & tum nec ipſi tranſgreſſoribus anathema dicunt, ſed aliquam pœnam leuiorem imponunt. ſin autem in materia indifferenti aliquando pœnam imponũt grauiorem; hoc fit propter contumaciam & rebellionem. Exempli gratia, licet citato, propter cauſas nonnullas, nõ comparere coram iudice: at ſi contumax reperiatur, grauis imponitur

[4] *Col.* 1028.

pœna: nostram ergo sententiam confirmant concilia; eoq; magis, quod multorum canonum transgressoribus leuis pœna imponitur. at si omnes leges obligarẽt in conscientia: tum omnes transgressores ad culpam mortalem obligarentur; & nulla minor pœna deberetur transgressori, quàm anathema.

Dicit *secundò, plenas esse epistolas pontificum præceptis, & censuris. hoc enim se ex epistolis Leonis, Gelasii, Hilarii, Anastasii, & Gregorii probasse.* Sed quàm sit falsus, & alios fallere conetur, ex nostra hac disputatione satis constat. quæ enim genuinæ sunt episcoporum Rom. epistolæ, nullas continent edictiones basilicas, nec præcepta proponunt, nisi Diuina. Adulterinæ autem sub nominibus veterum episcoporum editæ epistolæ, habent quædam præcepta, sed ea rara sunt: puduit etiam fortasse earum authores constitutiones suas anathematismis sancire, nisi vbi ex lege Diuina sua præcepta deduci putant. Recentiorum verò pontificum leges non pluris facimus, quàm edicta & iussa tyrannorum. leges enim illas cõtra ius Diuinũ & humanum ediderunt, & eo nomine à toto fere orbe Christiano accusantur. remoueantur ergo pontificulorum istorum testimonia, & audiantur potiùs reorum defensiones.

[1] *Col.* 1028. Dicit [1] *postremò, legem ieiunii in quadragesima, vel quatuor temporum, vel vigiliarum esse planè positiuam: omnes tamen veteres docere, quod obliget in conscientia citra contemptum.* Idem etiam de omnibus aliis existimandum censet. Sed actum est de conscientia Papistarum, si hęc ita sint: nam nullus est inter eos, qui ieiunia ista ad vnguem seruet: veteres sanè nec omnes, vt dicit Bellarminus, nec aliqui cum ipso sentiunt. Canones qui dicũtur Apostolorum, suppositii sunt. [2] Isidorus eos *ab hæreticis cõpositos* dicit. [3] Leo nonus dicit patres eos numerare inter scripta apocrypha, exceptis quibusdam. Sed & ratio hoc docet. nam etsi ab Apostolis editi dicantur; meminerunt tamẽ Apocalypseôs [4] Ioannis, quæ post Apostolorum reliquorum mortem edita est, multa etiam decernunt, quæ nunc nõ seruantur. In hac tamen causa nihil opus est hac exceptione vti.

[2] *C. Canones. dist.* 16.
[3] *C. Clementis. ibidem.*
[4] *Can.* 84.

ne vti. nam licèt clericos deponendos & laicos excommunicandos esse statuant, qui non ieiunant quadragesimam, & quartam feriam, & parasceuen; tamē conscientiam hoc decretum non obligabat. nam secta pontificia non seruat ieiunium quartæ feriæ, nec multi quadragesimam. & authores huius canonis non omnes deponunt & excommunicant, sed tantùm cōtumaces. eos enim qui imbecillitate corporis impediuntur, excipiunt.

In Concilio [1] Gangrensi, monachi, seu, vt patres concilii loquuntur, *in proposito continentiæ existentes damnantur, qui propter superbiam communia totius ecclesiæ ieiunia contemnunt.* Sed lex ista non obligat, nisi superbos & contumaces; quod nostram sententiam cōfirmat. præterea lex hæc à secta pontificia planè contemnitur. monachi enim eius sectæ peculiaria habent, & stata ieiunia, & abstinentię formulas, contra veteris ecclesiæ mores. canonem deniq; huius concilii quartum de oblatione presbyteri cōiugati aduersarii contemnunt, nec anathema cōcilii vel pili vnius faciunt; quod satis ostendit, eos se ab eius vinculo liberos putare. [1] *Can.* 19.

Concilium [2] Toletanum octauū non ieiunantibus pœnam imponit, sed illis tantùm, vt loquūtur cōcilii patres, *qui ausu temerario omnia cōtemnunt, & paschalia festa illicitorū esuum perceptione prophanant.* Quod ergo annotat [3] Bellar. *conciliū nō dicere, ex contemptu,* arguit ipsum locum nō inspexisse. contra nos non facit. nam obligat tantùm temerè contemnentes. Secta denique pontificia canones huius concilii de [4] simonia & [5] castitate palàm & publicè contemnit: nec tamen propterea se mortaliter peccare credit. [2] *Can.* 9. [3] *Col.* 1029. [4] *Can.* 5. [5] *Can.* 6.

[6] Basilius monet, *ne quis propter paruam eduliorum voluptatem damnum incurrat, & seipsum criminis desertoris reum faciat.* Sed neq; leges ille certas aut de ieiunii statis temporibus, aut de ciborum generibus nouit: nec quę ille dicit, aduersus nos faciunt. non enim censemus ieiunia contemnenda esse, modò legitimè indicta sint; nec ille leges ieiunii tulit, quibus conscientiæ illaquearentur, aut læderentur. [6] *Orat.* 1. *de ieiunio.*

7 *Hom. 6. ad populū Antiochen.*

7 Chrysostomus censet *omnia potius patienda, quàm vt vinum, aut aliquid prohibitum gusteinus tempore ieiunii.* Sed hoc dicit, non quia simpliciter lex ieiunii seruanda est, sed quia non sunt leges temperantiæ violandæ. Non ligare hanc ieiunii legem ex eo constat, quia secta pontificia in suis ieiuniis vinum libèrer bibit: & monachorum (vt vulgò dicitur) stomachi, nihil aliud sunt, quàm amphoræ Bacchi. In homilia autem 2. in Genesim, non loquitur de quadragesima Chrysostomus, vt asserit Bellarminus, sed generaliter de ieiunio. Præterea, non meminit alicuius legis de ieiunio, quæ conscientiā obligat. iste ergo locus nisi quod nominibus patrū delectatur Bellar. omitti potuit, vtpote alienus. Nihil ergo cōtra nos [8] Chrysostomus; at cōtra Bellar. multum facit. ieiunium enim liberum fuisse significat, & *in auditorum relictum opinione: & eum ieiunare dicit optimum ieiunium, qui audit verbum Dei, orat, dat eleemosynas, & inimicis reconciliatur.*

8 *In 1. ad Cor. hom. 9.*

9 *Serm. 25.*

9 Ambrosius, si modo sermo ille à Bellar. annotatus sit Ambrosii, dicit *non leue esse peccatum indictam fidelibus quadragesimam violare, & ieiunia consecrata ventris voracitate dissoluere.* Sed non censuit ille eam violari nisi edacitate & voracitate, quod reuera peccatum est contra legem temperantiæ. Lex autem certa ieiunii antiquitus nulla erat. *alii enim vnum diem, alii duos, alii plures ieiunarunt*, vt inquit [1] Eusebius. Præterea, in ieiuniis discreparunt Asiatici & Europæi; omnes tamen pacem inter se coluerunt. [2] Socrates dicit *apostolos liberam dedisse ieiunandi potestatem.* nullum enim de ea re præceptum reperiri magnam etiam docet fuisse in ieiunando morum varietatem. [3] Spiridion nec à carne censuit abstinendum tempore ieiunii.

1 *Lib. hist. 5. c. 23.*

2 *Lib. hist. 7. c. 19.*

3 *Sozom. lib. 1. cap. 17.*

Hieronymus in epistola ad Marcellā loquitur aduersus errores Montani, qui primus leges de ieiuniis sanxit. non ergo verisimile est, etsi *se vnam quadragesimam seruare dicit ex apostolica traditione, idq; ex necessitate*, ideo eum existimasse peccatum fuisse simpliciter nō ieiunare. non enim peccatum erat ecclesiæ consuetudines & leges externas quandoq; non seruare, sed cōtemnere. idemq; liberum esse censet ieiunare. ad Ne-

potia-

potianum scribens: *Tantùm,* 4 inquit, *tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes.* postea reprehendit eos, *qui famam abstinentiæ in deliciis quærunt,* & modum ieiunandi præscribit, qualem nec homines pontificii, qui delicatissimas in ieiuniis lautitias persequuntur, seruare solent. *Sint,* inquit, *tibi pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa ieiunia.* adeo nulla erat tum lex de ieiunio, vt ille ieiunaret tanquam ex traditione apostolica; & aliis modum ieiunandi præscriberet. Si autem nullam putauit esse de ieiunio legem, quis credat illum episcoporum de ieiunio leges in conscientia obligare censuisse? 4 *Epist. ad Nepot.*

Sermo 5 Augustini de tempore 62. est dubiæ fidei. reperiuntur enim ex illis sermonibus nonnulli apud alios authores, qui aliis ascribuntur, vt rectè annotauit Erasmus. & sermonum ille sermo in multis locis nimis est ieiunus, & valde à forma dicendi, qua vsus est Augustinus, alienus. Sed vt verè dixerit Augustinus, *non ieiunare in quadragesima, peccatum esse*; nullam tamen ille de hoc ieiunio legem protulit. Præterea, non simpliciter putauit esse peccatum, non ieiunare. præscribit enim *quid faciendum sit non ieiunantibus*: sed propter contemptam ecclesiæ disciplinam. In 6 epistola ad Casulanum dicit, se *non reperire in sacris literis, quibus diebus ieiunandum sit.* eum etiam qui ieiunare noluit propter vitium stomachi, 7 negat temere iudicandum esse. 5 *Serm. 62.* 6 *Epist. 86.* 7 *Ser. 2. de verb. Dom. in monte.*

Leo serm. 3. de ieiunio decimi mensis dicit, *agrum Dominicum fide muniri, ieiuniis exerceri, eleemosynis seri, orationibus fœcundari.* postea 8 dicit, *pietatis magistrum ad hæc diligenter facienda omni tempore adhortari, & in diebus ieiunii præcipuè, ne quod pium est agere non indictum, impium sit negligere prædicatum.* vnde constat ipsum dicere impium esse negligere fidei opera, ieiunia, eleemosynas, & orationes, & non tantùm de ieiunio hoc prædicare, vt instar falsarii dicit Bellar. Præterea, nihil certi statuit de lege ieiunii, aut de legis eius vinculo. 8 *Ser. 3. de ieiunio 10. mensis.*

Aërius ab 1 Epiphanio & 2 Augustino inter hæreticos recensetur præcipuè ob Arrianismum; deinde 1 *Hæres. 72.* 2 *De hæres. c. 63.*

quod ecclesiæ ordinē turbaret, & ieiunia prorsus tolleret; non autem quia leges ieiunii negauit obligare in conscientia. alia ergo causa nostra est, alia Aërii.

Ex his ergo intelligimus legem quadragesimæ non simpliciter obligare conscientias, vel illis testibus, quos aduersarius produxit. quod etiam inde probatur, quia sponte plerique patrum absque vlla lege ex traditione non scripta quadragesimā obseruabant, vt ex superioribus patrum testimoniis constat. Probatur præterea ex aduersariorum confessione. illi enim quadragesimam descendere volunt partim ex Christi institutione, partim ex verbo Dei non scripto. At Bellarm. de lege quadragesimæ verba facit. Si ergo nec legem suam de quadragesima docere possit cōscientias Christianorum obligare; quid existimandum est de lege ieiunii quatuor temporum, & in vigiliis sanctorum? cur non eam etiam obligare conscientiam probauit? cur, inquam, promisit se hoc facturum, & non exsoluit? quare, aut dormitasse videtur in hac disputatione, aut callidè noluit illud tentare, quod efficere non potuit.

Superest hunc vltimum argumētorum genus, quod à ratione ductum esse dicit[3] Bellar. *nam quoniam aliquæ leges ad ecclesiam rectè gubernandam necessariæ sunt præter leges diuinas & ciuiles, idcirco in ecclesiā necessarias esse putat leges pontificū coactiuas. neq; alios tulisse leges præter pontifices & concilia à pontifice approbata.* Sed primò, nihil aliud facit, quàm si cum ratione insaniret, qui à ratione petit, quod nullo iure, nec Diuino, nec humano consequi potest. Deinde, falsum est quod dicit, *præter leges Diuinas & imperatorias, necessarias esse leges pontificum coactiuas.* nam tempore veteris testamenti nullæ erant huiusmodi leges. Tempore autem gratię, ante regnum Constantini nulli editi sunt canones. Pontifices verò Romani ante tempora Gregorii 9. ius suum in lucem non protulerunt. Præterea, derogat hoc legis Diuinæ perfectioni. quomodo enim sit lex Domini perfecta, si necesse sit nobis ad eam pontificum Rom. sanctiones attexere? Verùm vt aliquæ leges vtiliter adderentur; non necesse est eas coacti-

[3] Col. 1029.

uas esse, & conscientiam onerare. Lex inquit [1] Aristoteles, *non debet esse grauis.* & nos ostendimus Christianos ab onere cæremonialium esse liberatos. Neque obstat, quod dicit Aristoteles, *legem habere vim cogendi.* aliud est enim habere vim cogendi, aliud cogere. ratio enim & persuasio habet quandam vim cogendi, licèt neminem cogat. Bellarminus autem vbi ex Aristotele dicit *legem esse sermonem ab aliqua prudentia & mente profectum*, philosophum non intellexit. nunquam enim à philosopho auditum est, legem esse *sermonem.* Aristoteles dicit legem esse λόγον, hoc est, rationem, (& ita appellatur à [2] Cicerone *summa ratio*) non autem sermonem. *Postremò*, hoc in loco sibi ipsi repugnat, & multa falsa sumit. Hîc enim dicit *nullas vnquã fuisse in ecclesia leges ecclesiasticas, præter eas quas pontifices, aut concilia à summis pontificibus confirmata ediderunt*; at [3] superius dixit, *episcopos in suis diœcesibus sua authoritate leges ferre posse, quæ in conscientia obligent.* Hîc dicit, *nullas esse leges, nisi coactiuas, & tales esse omnes pontificũ constitutiones:* at infra [4] dicit *plenos esse tomos conciliorum, & libros iuris canonici non legum, sed piarum admonitionum sine obligatione, & tantùm esse leges quatuor ecclesiæ absolutè omnibus impositas.* Falsum est autem *primò*, *nullas vnquam fuisse in ecclesia leges ecclesiasticas, præterquam pontificum Roman. & conciliorum.* primis enim temporibus post apostolos soli imperatores edidêre leges ecclesiasticas, vt codices imperatorum & nouellæ constitutiones satis testantur. *Deinde* falsum est, nulla concilia valuisse, nisi quæ pontifices Rom. confirmarunt. nihil enim roboris accepere prima concilia generalia à pontifice Rom. magis, quàm ab aliis patriarchis. *Postremò*, absurdum est dicere *leges pontificis esse determinationes legis euangelicæ, aut eius conclusiones.* [5] Dicit quidem Christus, *qui mihi ministrat, me sequatur.* absurdissimè autem inde concluditur, ecclesiæ ministros debere à cõiugiis abstinere. Similiter, quia *eucharistia sumenda est*, ineptè concluditur semel saltem in anno sumendam esse. neque enim Christus quicquam tale cogitauit. Sunt autem multæ leges pontificum de cultu eucharistiæ,

[1] *Lib. 10. ethic. ad Nicom. c. 9.*

[2] *Cic. de legib. 1.*

[3] *Lib. 4. de pontif. c. 15. col. 1018.*

[4] *Lib. 4. de pont. Rom. c. 18. col. 1036.*

[5] *Ioan. 12.*

& crucis, & imaginum, quæ prorsus aduersantur legi Diuinæ, & ex ea deduci non possunt.

Non habent ergo leges episcoporum potestatem obligandi conscientiam, quatenus sunt humanæ. põtificum verò Rom. leges nihil aliud sunt, quàm *grauia onera imposita humeris Christianorum*, vt inquiunt [6] Ioannes Saresburiensis, & Petrus de [7] Alliaco. nihil, inquam, aliud, quàm retia & laquei animarum, & scandala infirmorum, & iugum Christianorum, & pedicæ ouium Christi; nec aliud spectant, quàm quæstum & aucupium pecuniarum.

6 In Polycr. lib. 6. c. 24.
7 De reformat. eccles.

Episcopos omnes à Papa iurisdictionem non accipere.

CAP. VIII.

VT in rep. ita in ecclesia iuris dicendi potestas penes summos est magistratus. illi autem, quia vbique interesse non possunt, inferiores constituunt iudices, & eis iurisdictionem tribuũt. Quod si ergo pontifices Rom. nec ecclesiasticos vbiq; iudices constituerint, nec episcopis aliquam antiquitus iurisdictionem contulerint; nonne certum est eos in ecclesiæ gubernatione summam non habuisse potestatem? certè. & hoc aduersarii, dũ omnes neruos ingenii industriæq; suæ [1] contendunt, vt episcopos omnes à Papa iurisdictionem accepisse probent, tacitè confitentur. Nos etsi iam multis ostendimus eum nullo iure regnum in ecclesia inuasisse; tamen multò magis in hac sententia confirmamur, quòd episcopos antiquissimos & optimos aliunde, & non ab eo iurisdictionem accepisse videamus.

1 Bellar. lib. 4. de pontif. Rom. c. 24.

Hoc autem probatur primò ex scripturis. *Attendite vobis & vniuerso gregi*, inquit [2] Paulus ad episcopos Mileti congregatos, *in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Si ergo à Spiritu sancto hanc potestatem acceperunt episcopi, vt ecclesiam Dei regerent; non manat hæc spiritualis iurisdictio ab homine. Similiter in epistola ad [3] Ephesios: *Ipse*, inquit, *dedit quosdam quidẽ apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad cõsummationem sanctorum, in opus ministerii, ad*

2 Act. 20.
3 Cap. 4.

ædifica-

ædificationem corporis Christi. Christus ergo, & non Papa, dat eis potestatem pastoralem, & authoritatem omnem ad ædificationẽ corporis Christi necessariam. Respondet [1] Bellar. *episcopos cõstitutos esse à Spiritu sancto non immediatè, sed mediatè. & Christum etiam pastoribus mediatè authoritatem contulisse, licèt generalis ecclesiæ ordo sit de iure Diuino.* At Paulus eos à Spiritu sancto immediatè accepisse potestatem regendi ecclesiam, & pastorale munus à Christo pastoribus immediatè datum esse dicit. quod inde cõstat, quia spiritualis potestas in hominum animas ab homine mortali proficisci non potest; & quia sine aliquo ab hominibus accepto mandato episcopi & pastores semel designati officium & iurisdictionem suam exequuntur. Præterea, hinc probatur, quia alii episcopi non alia mandata accipiunt, quàm pontifex Rom. quem tamen immediatè à Deo iurisdictionem accepisse contendunt. Nec obstat, quod episcopi ab apostolis ordinati sunt. nam ita ordinatus est, vt aiunt, primus episcopus Rom. à Petro: quem tamen propterea negant mediatè ab homine iurisdictionem accepisse. Præterea, omnes episcopi Rom. ab hominibus ordinati sunt. omnes etiam alii pii episcopi vocantur & designantur ad hoc munus ab ecclesia. at mandata de iure dicundo, & potestatem pastoralem à Christo solo, & Spiritu sancto accipiunt.

[1] Col. 1050.

Probatur *secundò* authoritate conciliorum. illa enim episcoporum ordinationes non ab episcopo Rom. sed à duobus, aut pluribus episcopis per singulas prouincias faciendas esse decernunt. [2] Canones Apostolorũ postulant, vt *tres, seu saltem duo episcopi ordinent alios episcopos.* [3] Patres Niceni decernunt, vt si fieri possit, *episcopi ab omnibus eiusdem prouinciæ episcopis; sin minus, à tribus cum consensu reliquorum ordinentur.* Patres [4] Antiocheni omnes ordinationes episcoporum, quæ ab episcopis peregrinis extra diœcesim suam fiunt, irritas pronuntiant. Per canones concilii [5] Sardicensis, episcopis in aliena prouincia nec immorari licuit. Præterea, fines & limites prouinciarum diligenter seruandos esse decreuerunt. Synodus Nicena episcopo

[2] Can. 1.
[3] Can. 4.
[4] Can. 13.
[5] Can. 14.

[1] Ruffi lib. 10. Rom. suburbicas ecclesias commisit, vt asserunt [1] Ruffinus, & canonum synodi Nicenę interpres Balsamon. [2] Synod. Cōstant. 1. c. 2. *Episcopi*, inquiunt patres [2] Constantinopolitani, *qui extra diœcesim sunt, ad ecclesias, quæ extra terminos earum sunt non accedant, neque confundant, atque permisceant ecclesias secundum regulas constitutas.* Decernunt etiam [3] Concil. Ephes. 1. c. 8. patres [3] Ephesini, *ne vllus episcopus alienam inuadat prouinciam, quæ non prius atque ab initio sub illius, seu antecessorum fuerit potestate.* Postremò, confirmationem episcoporum non ab episcopo Rom. sed à Metropolitanis episcopis fieri voluerunt. *Confirmatio* (episcoporum) inquiunt [4] Can. 4. [4] patres Niceni, *pertinebit per singulas prouincias ad metropolitanum episcopum.* Quod si ergo pontifex Rom. per antiquos ecclesiæ Canones, nec ordinationes facere potuit extra prouinciam, nec iurisdictionem ibi exercere, nec episcopos extra fines suos confirmare: certum est eum contra Canones contendere, omnes vbique episcopos à se iurisdictionem accipere debere. iurisdictio enim vnà cum ordinatione traditur episcopis, & qui nihil possunt negotii in alienis prouinciis agere, non possunt vniuersalem iurisdictionem aliis committere. Respondebunt fortasse, vniuersam ecclesiam esse pontificis Rom. prouinciam. sed hoc repugnat canonum Decretis, veterum authoritati, ecclesiæ actis, & antiquis historiis, & impudenter ab aduersariis asseritur.

[5] In epist. ad Magnesian. Probatur *tertiò* testimoniis patrum. [5] Ignatius de episcopo loquens: *Hic*, inquit, *non ab homine, sed à Deo habet prælationem. dicit enim Deus Samueli de contemptoribus eius, Non te spreuerunt, sed me.*

[6] Ecclef. hierarch. c. 5. [6] Dionysius episcoporum ordinem *primum, & summum, & vltimum* vocat, *in quem terminatur omnis ecclesiastica hierarchia ornatus: eum etiam in Iesum terminari* dicit. adeo vt eius sententiâ, à nullo præterea suæ iurisdictionis complementum episcopus accipiat. Re- [7] Col. 1050. spondet [7] Bellarm. *Dionysium loqui de ordine episcoporum, & non de iurisdictione.* Sed parum ille attendit quid respondeat, modò aliquid respondeat. Dionysius loquitur de vniuerso episcoporum munere. & nominatim de consecratione presbyterorū, quæ ad iurisdi-

risdictionẽ pertinet. & præterea hierarchia apud Dionys. includit omnẽ episcoporũ potestatẽ & officium.

[1] Tertullianus episcopum vocat *summum sacerdotem*. at non esset summus, si aliunde iurisdictionem acciperet, & ab episcopo Rom. penderet. [1] *De baptis.*

Episcopos & præpositos, inquit [2] Cyprianus, *Dominus elegit*. Idem dicit, *Deum episcopos facere*. vnde sequitur non habere eos iurisdictionem ab episcopo Rom. aut ab homine aliquo. Respondet [3] Bellarm. *etiam Cyprianum de ordine loqui*. Sed ipsius Cypriani verbis refellitur. idcirco enim præpositos appellat, vt se de iurisdictione loqui ostendat. Præterea, loquitur de vniuerso munere episcopali. at in illo & ordo & iurisdictio includitur. Disertè denique loquitur de episcopis, quatenus iudices essent; non quatenus sacerdotes: & de eis intelligendum putat illud Deut. 17. *quicunque fuerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille.* [2] *Lib. 3. ep. 9. ad Rogat.* [3] *Col. 1050.*

Ambrosius [4] dicit, *cunctos sacerdotes in beato Petro claues accepisse regni cælorum*. Et postea: *Quas oues*, [5] inquit, *& quem gregem non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo nos eas suscepimus, omnes*. at Petrus claues & gregis Dominici regimen accepit immediatè. [4] *De dignit. sacerdot. c. 1.* [5] *c. 2.*

[6] Hieronymus omnes episcopos dicit, *Apostolico gradui successisse*. quod & [7] Augustinus etiam docet. pro apostolis enim dicit datos esse episcopos; at illi à Deo potestatem acceperunt. ab hominib. certè Hieronymus [8] episcopos potestatem habere non censuit. nam episcopum Eugubinum, & Tanensem episcopo Rom. æqualem facit. [6] *In epist. ad Heliodor.* [7] *In Ps. 44.* [8] *Epist. ad Euagrium.*

Probatur *quartò* ex confessione eorum, qui ex partibus aduersariorum stare videntur. Leo in illa verba, Matth. 16. *Tibi dabo claues: transiuit*, inquit, *in alios apostolos ius ipsius potestatis, & ad omnes ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit: sed hoc singulariter creditur, quia cunctis ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur.* Si ergo in alios transiuit Apostolos iurisdictio immediatè; non minùs reliqui episcopi

per reliquos Apostolos, quàm episcopi Romani per Petrum eam acceperunt.

1 Lib. 3. de considerat. *Erras*, inquit [1] Bernardus ad Eugenium, *si vt summam, ita & solam institutam à Deo æstimas vestram apostolicam potestatem.* Respondet [2] Bellar. loqui Bernardum, vt Paulum Rom. 13. cum dicit, *quod non est potestas, nisi à Deo.* & fortasse significare vult episcopalem potestatem mediatè esse à Deo. sed hoc non dicit Bernardus. nam ita cæteros vult à Deo institutos esse episcopos, vt pontificem Rom. Quare aut omnes à Deo habent iurisdictionem immediatè, aut non episcopus Rom. si vera est Bernardi sententia.

2 Col. 1051.

3 In glossa in Matth. 16. in hac verba, tibi dabo claues.

Ligandi & soluendi potestas, inquit [3] Rabanus, *quamuis soli Petro videatur data à Domino: tamen & cæteris apostolis data est, nec nō nunc in episcopis & presbyteris omni ecclesiæ.* Si ergo ita data sit reliquis episcopis & presbyteris hæc potestas, vt Petro; tum non ab hominibus, sed à Deo est episcopalis iurisdictio.

4 Dist. 21. in nouo.

4 Anacletus, seu saltem subdititius author eius epistolæ quæ eius nomine edita est, *& cæteros apostolos pari cum Petro consortio potestatem & honorem accepisse*, & *episcopos à Deo missos esse & eius legatione fungi dicit.* quod planè ostendit eos non esse pontificis Rom. iudices delegatos, aut minus accepisse à cæteris apostolis, quàm episcopi Rom. acceperunt à Petro.

5 c Inter hæc. de pœnit. dist. 3.

In [5] decretis pontificiis sacerdotes in sua ecclesia vicarios à Christo constitutos esse scribitur: quod non potest intelligi factum esse mediatè, nisi simul pontifex Rom. se mediatè vicarium Christi constitutum fateri velit. Ioannes de [6] Poliaco fusè probat, *eos omnes immediatè à Christo potestatem accepisse.*

6 Quodlibeto 15. quæst.

14. Probatur *quintò* exemplis Titi & Timothei, & episcoporum Asianorum, & Græcorum, & aliarum gentium, qui apostolis primi successerunt. nusquam enim legimus, vbi aliquis ex istis iurisdictionem ab episcopo Rom. acceperit. Timotheus 7 Ephesum missus est, nec aliunde episcopalem accepit dignitatem, quàm à Deo [8] cum impositione manuum Pauli & reliquorum episcoporum. Titum 9 etiam Paulus Cretensibus, multosq; alios episcopos aliis ecclesiis præfecit; quos absur-

7 1. Tim. 1.

8 1. Tim. 4.

9 Tit. 1.

absurdum est putare à Petro, vel ab episcopo aliquo Rom. iurisdictionem accepisse. manuum certè impositionem acceperunt ab hominibus; potestatem verò à Deo. Episcopi deniq; Asiatici Angeli dicti sunt à [1] Spiritu sancto. at absurdum est cogitare angelos ab hominibus potestatem ius dicendi accepisse.

[1] *Apocalyp.* 1. & 2.

Probatur *sextò* ex praxi primæ Christi ecclesiæ. nusquam enim legimus eam hunc morem habuisse, vt vel episcopi orientales & Africani mandatum ab episcopo Rom. postularent, vel hoc postulasse episcopos Rom. vt alii iurisdictionem à se acciperent. Imò ex actis [2] synodorum intelligimus certos terminos singulis episcopis & patriarchis constitutos, quos transilire non licuit. at si nihil potuissent reliqui episcopi sine episcopo Rom. frustra fines isti constituti fuissent. præterea, planè mirum esset, nullum pontificis Rom. alicuius mandatum reperiri, vnde constet eos iurisdictionem aliis episcopis dedisse.

[2] *Concil. Const.* 1. *c.* 2. *Ephes.* 1. *c.* 8. *synod.* 8. *c.* 26.

Probatur *postremò* variis rationibus, quæ à potestate episcopi Rom. à successione apostolica, à missione apostolorum, à potestate patriarcharum, à clauibus, & variis incommodis & absurdis sequentibus ex aduersariorum sententia ducuntur. Primò, ostendere non possunt aduersarii, vbi vel episcopus Rom. potestatem acceperit supra omnem ecclesiam; vel vbi episcopos per vniuersum orbem ordinarit, vel mandata eis dederit ius dicendi; vel vbi talem potestatem aliqui episcopi Rom. sibi concedi postularint. ostendat ergo Bellar. aut quoniam summo huic viro fortasse non est otium, ostendat aliquis ex Iebusitarum sodalitio, vbi episcopi Alexandrini, Antiocheni, Constantinopolitani, Hierosolymitani, potestatē ius dicendi ab episcopo Rom. acceperint, aut etiam postularint.

Secundò, non aliter successerunt primi episcopi Rom. Petro, quàm alii episcopi aliis apostolis. omnes enim episcopi apostolorum dicuntur successores, vt ex [3] Cypriano, [4] Hieronymo, & [5] Augustino colligere licet. hoc etiam [6] Anacletus fatetur, & ratio etiam docet. cur enim non æquè successerunt Iacobo episcopi Hierosolymitani, & *Paulo* episcopi *Colossenses*, *Thessa-*

[3] *Lib.* 4. *epist.* 9.

[4] *In epist. ad Heliodor, & in Psal.* 44.

[5] *In Psal.* 44.

[6] *C. in nouo. dist.* 21.

lonicenses, & alii in ecclesiis ab eo fundatis præsidentes, & *Ephesini Ioanni*, & *Parthorum* episcopi *Thomæ*, ac Petro episcopi Romani? Quare, aut omnes episcopi immediatè à Christo iurisdictionem habēt, & sic probatur nostra sententia: aut nulli: & sic non magis iurisdictionem habebunt alii episcopi ab episcopo Rom. quàm hic ab illis, cùm par sit in omnibus successionis
[1] Col. 1049. ratio. Respondet [1] Bellarm. *magnum esse discrimen inter successionem Petri & aliorum apostolorum. nam episcopum Rom. Petro successisse non vt apostolo, sed vt pastori ordinario. alios episcopos apostolis non successisse, quia erant extraordinarii, & quasi delegati pastores.* Sed mirum est, si tantum sit discrimen, quantum iste prædicat, nullum hoc veterum animaduertisse. multò autem magis mirandum est, istum hoc nobis discrimen, quod tam magnum est, probare non posse. Cypria-
[2] De simpl. prælat. nus & [2] *Apostolos omnes pares facit*, & *ab episcopis æqualiter eis successum* [3] dicit. vtrumque etiam fatetur
[3] Lib. 4. ep. 9. [4] Anacletus. Secundum confirmatur ab Augustino
[4] C in nouo. dist. 21 & Hieronymo, & omnibus veteribus. [5] Ambrosius disertè *omnes sacerdotes & claues, & ouium Christi regi-*
[5] De dignit. sacerd. c. 1. & 2. *men in Petro, & cum Petro æqualiter accepisse* dicit. Hoc denique scripturæ clarè demonstrant. vnam enim omnium Apostolorum fuisse [6] vocationem & [7] mis-
[6] Luc. 6. sionem ostendunt. falsum est ergo quod dicit, *magnum*
[7] Matth. 28. & Marc. 16. *fuisse discrimen inter successionem Petri, & aliorum Apostolorum.*

Falsum est etiam, *reliquos Apostolos præter Petrum extraordinarios fuisse pastores:* quomodo enim ille sit ordinarius, isti extraordinarii, cum omnes vna lege missi sint, & paria mandata acceperint, & eis pariter successum sit? Est etiam nouum. nullus enim veterum ita loquutus est. Præterea falsum est, Apostolos præter Petrum omnes fuisse quasi delegatos pastores. neque enim delegati subdelegare possunt. nec eis succeditur, nec plenam habent iurisdictionē, nec ex lege, sed tantùm ex particulari mandato habent omnem suam potestatem. At Apostoli episcopos constituerunt, & successores sui muneris post se reliquerūt, & plenissimam habuere iurisdictionem, & ex perpetua Christi lege potesta-

potestatem acceperunt, & Christus se cum eis vsque ad finem seculi futurum promisit: quod præstari non potuit, nisi reliquissent post se successores.

Falsum est autem & ridiculum quod dicit [1] Bellar. *episcopos Apostolis succedere aut tanquam episcopis, & non tanquam Apostolis & pastoribus ordinariis, aut per quandam similitudinem & proportionem.* patres enim omnes episcopos dicunt Apostolis successisse æqualiter, & pariter claues & potestatem regendæ ecclesiæ accepisse. nec vllum norunt officium in Apostolis præter Apostolicum. Christus denique non minus se dicit futurum cum successoribus reliquorum Apostolorum; quàm cum successoribus Petri. quis autem non rideat episcopos dici successores Apostolorum similitudinarios?

[1] *Bellar. col.* 1049.

Nec obstat, *quod cæteri episcopi non habent authoritatem scribendi libros Canonicos, nec donum miraculorum & linguarum.* nam hæc nec episcopi habēt Rom. quos tamen aduersarii verè Petro successisse putant. omnia certè habent, quæ vel episcopi Rom. aliquando habuerunt, vel quæ in Apostolorum requiruntur successoribus. omnesque æquo iure cum episcopo Rom. potestatem prædicandi, & sacramenta administrandi, & ecclesias fundandi habuerunt.

Non obstat præterea, *quod simul essent in ecclesia Apostoli & episcopi.* nam viuente adhuc Ioanne aliquot episcopi Rom. mortui sunt, quos tamen Apostolorum vocant successores: & *Petrus, Linus,* & *Cletus* simul episcopatu Romæ functi [2] dicuntur. Præterea, non ita volumus episcopos Apostolis successisse, vt omnibus simul Apostolis omnes episcopi; sed vt singuli singulis successerint. Sic Philippo in Gallia successere Gallorum episcopi; Andreæ in Achaia, episcopi Achæorum; Paulo in Græcia & Asia episcopi Thessalonicenses, Corinthiaci, Colossenses, Galatæ.

[2] *Præfat. Ruffin. recog. Clementis*

Falsum est denique quod dicit, 72. *discipulis presbyteros per similitudinem successisse*, si Anacleto credimus. dicit enim ille presbyteros eis verè successisse. Sed quicquid est de Anacleto, episcopos verè Apostolis successisse certū est. nam in hoc multi consen-

tiunt patres, & nos argumentis euicimus. Quærat ergo Bellar. aliquas alias latebras. nam hinc planissimè extrusus est: omnesq; vident, quicquid ille de ordinaria Petri in Pastorali munere potestate, & de extraornaria, & quasi delegata reliquorum Apostolorum iurisdictione commentus est, hoc nihil aliud esse, quàm hominis delirantis, & de causa desperantis futile somnium.

Tertiò, vt omnes Apostoli quoad apostolicum officium & munus pastorale æquales erant Petro, & pariter [1] electi sunt, & pariter [2] claues acceperunt, & pariter [3] missi sunt, & paria [4] habuerunt mandata; sic omnes alii episcopi episcopis Rom. quoad episcopalem iurisdictionem æquales erant. atque adeo hæc sibi inuicem respondent, vt nec aduersarii proportionem hanc negaturi videantur. Si ergo nullam Apostoli à Petro iurisdictionem acceperunt, cur alii episcopi ab episcopis Rom. iurisdictionem accipiant, nulla causa excogitari potest. at illud probatur, quia apostolatus *non ab homine* [5] *est, nec per hominem*: & quia disertè [6] Paulus dicit, reliquos Apostolos *nihil sibi contulisse*. cur ergo non sit eadem ratio episcoporum cæterorum ad episcopum Romanum? & cur magis episcopus Rom. cõtulerit iurisdictionem aliis episcopis, quàm Petrus Apostolis, cum ex hac proportione pendeat magna ex parte Papatus?

[1] *Luc.* 6.
[2] *Ioan.* 20.
[3] *Matth.* 28. *& Marc.* 16.
[4] *Ibidem, & Ioan.* 20.
[5] *Gal.* 1.
[6] *Gal.* 2.

[7] Turrecremata vi huius argumenti victus, fatetur reliquos apostolos à *Petro* iurisdictionem accepisse episcopalem: & Bellarm. aliquando reliquos apostolos à Petro dicit *ordinatos fuisse episcopos.* sed illud huius libri capite 23. retractauit, non satis videns quid incõmodi inde sequatur. succurrite ergo cæteri Iebusitæ, & huic vulneri medicam adhibete manum. nam Bellar. vester hîc se satis explicare non potuit.

[7] *Lib. summæ* 2. *c.* 54.
[8] *Lib.* 1. *de pont. Rom. c.* 23.

Quartò, si omnem iurisdictionem accipere debent omnes episcopi à pontifice Rom. tum certum est episcopum Constantinopolitanum, Hierosolymitanum, Antiochenum, Alexandrinum, & episcopos Asiaticos, Afros & Græcos, nullam omnino habuisse iurisdictionem. nullam enim illi ab episcopo Rom. accepisse leguntur.

guntur. Præterea, inde sequeretur, non habuisse ecclesiam Cōstantinopolitanam paria cū ecclesia Rom. priuilegia, &, quod absurdum est, nihil valuisse synodi Chalcedonensis de hac re decretum. omnia denique conciliorum de finibus prouinciarum decreta nihil operarentur, & esset episcopus Rom. liber & solutus ab omnibus ecclesiasticis legibus. At hoc, si perfrictæ & ferreæ frontis monachos exceperis, nullus dixerit: nemo sanè, qui non omnibus conciliorum actis fidem abrogarit, crediderit.

Respondet [1] Bellarm. miserè, & dicit *non opus esse vt pontifex Rom. immediatè creet episcopos: & satis esse, si per patriarchas & archiepiscopos illud faceret. initio enim Petrum constituisse patriarcham Alexandrinum & Antiochenum, qui ea potestate accepta toti ferè Africæ & Asiæ præerant.* Sed nihil hoc aliud est, quàm causam cedere. nam primò, de episcopo Constantinopolitano & Hierosolymitano nihil habet quod respondeat. deinde, planè fatetur episcopum Rom. nullam iurisdictionem dedisse episcopis Asiaticis, aut Africanis. nam hos dicit episcopo Alexandrino & Antiocheno fuisse subiectos: quos si Petro successisse velit, tum pares erunt episcopo Rom. qui non alium habuit authorem quàm Petrum. Postremò, quam episcopo Rom. deberi potestatem iactat, eam hic aliis cedit, & nihil affert, quod pro seipso faciat.

[1] *Col. 1051.*

Quintò, omnes episcopi claues à Christo immediatè acceperunt. ipse enim solus dat potestatē ligandi & soluendi, aperiendi & claudendi. & propterea [2] Ambrosius *cunctos sacerdotes in beato Petro claues accepisse* dicit. & [3] Leo *ad omnes ecclesiæ principes decreti constitutionem de clauibus transiisse existimat.* Nec obstat, quod episcopi ab hominibus ordinantur. homines enim designant ad ecclesiæ ministerium eos, qui episcopatum desiderant; sed Deus est qui dat potestatem. nemo enim aperire aut claudere potest cælos, nisi qui à Deo hanc potestatem accepit.

[2] *De dignit. sacerdot. c. 1.*
[3] *In Matt. 16*

Sextò, duæ tantùm sunt claues, vt aiunt aduersarii, nempe ordo, & iurisdictio. quarum posterior ex priore pendet. at non ordinat omnes episcopos pontifex

Rom. hoc. n. Canones vetant, quos diximus: & experientia nũquam factum esse docet. quomodo ergo ab ipso verum est episcopos iurisdictionem accepisse?

Septimò, omnes qui potestatem ordinariã habent à lege, non opus habent eam ab homine postulare. at iurisdictionem suam habent episcopi partim à Christi institutione, partim ab ecclesiasticis constitutionibus. Spiritualis & interna potestas à Christo solo manat: externa partim à Christo, partim ab ecclesiæ constitutionibus & moribus.

Octauò, si omnis episcoporum iurisdictio ab episcopo Rom. fluat; tum summa potestas ecclesiæ penes vnum erit. at nos validissimis argumentis eam penes plures esse euicimus.

Nonò, si omnis à pontifice Rom. deriuata sit episcoporum iurisdictio; tum in interregno dum vacat episcopatus Rom. nulli fierent episcopi. Præterea, sublato pontifice Rom. interiret, aut saltem periclitaretur ecclesia. neque enim sine iurisdictione, illa consistere potest. Respondet [1] Bellar. *multum interesse inter caput naturale, & caput mysticum*. sed ratio ista non tantùm à capitis similitudine, sed etiam à iurisdictionis origine, & sede ducta est. Præterea, nec corpus mysticum sine capite, nec ecclesia sine episcopis consistere potest.

[1] Col. 1051.

Decimò, si omnes episcopi ab homine haberent suam authoritatem; vnde eam haberet pontifex Romanus? Si respondeant, à Deo, ostendant, cur iste magis à Christo iurisdictionem acceperit, quàm reliqui omnes, quos patres vnà cum Petro claues accepisse dicunt; magis, inquam, quàm episcopus Antiochenus & Alexandrinus, quos [2] Bellarm. à Petro dicit ordinatos fuisse.

[2] Ibidem.

Vndecimò, si à pontifice Rom. iurisdictionem acceperint episcopi; tum non Christi essent legati, sed pontificis Romani. nec possent illi authoritate Christi quenquam excommunicare, sed authoritate pontificis Rom. mandatarius enim fines mandati excedere non debet, nec habet plus iurisdictionis, quàm Dominus, à quo causam habet, illi contulit.

Duode-

Duodecimò, non possent Papam vllo casu deponere episcopi. nullus enim delegatus potest contra delegantem procedere, aut ei officium abrogare.

Decimotertiò, non possent absq; mandato pontificis iurisdictione vti: quod non modò nouum est, sed etiam antehac inauditum.

Postremò, solus pontifex esset ordinarius, & omnes alii episcopi delegati: quod nec canonistæ facilè ferunt: episcopos enim iudices esse ordinarios [1] docent. 1 *De offic. iudic. ordin.*

Certum est ergo pontificem Rom. nullo iure inuasisse hanc episcopos constituendi, & exautorandi potestatem; & non sine magna iniuria & clero & populo suam in eligendis episcopis eripuisse libertatem. vnde & graues sequutæ sunt quandoque virorum bonorum querelæ, & totius ecclesiasticæ disciplinæ perturbatio. *Murmur*, inquit [2] Bernardus, *loquor & querimoniam ecclesiarum: truncari se aiunt & demembrari.* & postea: *subtrahuntur abbates episcopis, episcopi archiepiscopis, archiepiscopi patriarchis siue primatibus. bona ne species hæc? mirum si excusari queat vel opus. sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed iustitiæ fortè non item.* 2 *De cōsider. lib. 3.*

Petrus de [3] Alliaco multa grauamina aliis ecclesiis per collationes beneficiorum & electiones dignitatū à pontifice Rō. inferri significat. Robertus [4] Grosthed episcopus Lincolniensis prouisionibus Papalib quantum potuit restitit, & hanc Papæ tyrannidem vsque ad mortem detestatus est. 3 *De reform. eccl.* 4 *Matth. Paris. p. 848. in Henr. 3.*

[5] Nicolaus de Clemanglis dixit *pontificem Rom. ceteras ecclesias exspoliasse, vniuersa ingurgitando.* 5 *Super materia cōcilii.*

Libertam electionem per Papæ prouisiones sublatā queritur [6] Albertus Crantzius. *In eam*, inquit ille, *Papa manus iniecit per illa tempora, & creuit illa facultas per immensum, vt satis sit per Germaniam res tolerabilis, sed in Francia & Anglia immoderata.* Idem [7] dicit, *Romanam ecclesiam omnia ecclesiarum iura ad se traxisse.* 6 *Metrop. lib 7. c. 45.* 7 *Ibidem.*

Galli de infinita hac pontificis Rom. ambitione qui ius in omnes ecclesias sibi vendicabat, graues edidere querelas. Sed quid dico, Galli? communis fuit ea orbis querela. *Detestanda cupiditatis insatiabilitatem in-*

ra humana & sanctorum patrum decreta violare per reseruationes & exspectatiuas, dicit [1] vniuersitas *Parisiensis*.

Dum ipse iurisdictionem omnibus episcopis conferre iactat, *vnus curtisanus*, vt ait [2] Germanus quidã, *ineptus & barbarus ad psallendum & sacrificandum non magis aptus, quàm onager, imò asinus, &c. plura potest acquirere beneficia quàm doctus.*

[3] Adrianus sextus *prouisiones apostolicas histrionibus & stabulariis potius quàm viris doctis fieri solitas fatetur.* Propterea [4] synodus Basileensis, *quia grauia inde viderat successisse scandala*, Papales istas prouisiones & reseruationes funditus sustulit, & decreuit, vt *electiones in ecclesiis fierent iuxta iuris communis dispositionem.* quod satis indicat hæc omnia pontificem Rom. contra canones, & iura ecclesiæ fecisse. ea tamen Bellarm. strenuus pontificalis tyrannidis defensor legitimè facta dicit, & quod nunquam factum est, nec fieri debuit, Papam omnibus episcopis iurisdictionem contulisse argumentis probare conatur. videamus ergo hominis acumen.

[1] In appellat. à Leone 10. apud Orthuin. Grat.
[2] In appendice ad grauam. Germ.
[3] In mandatis ad Cheregat. legatũ.
[4] Sess. 23.

Ad argumenta Bellarmini contra superiorem conclusionem respondetur, CAP. IX.

ORdinariam iurisdictionem episcoporum à Papa immediatè descendere, probari dicit [5] Bellar. primò *ex figura veteris testamenti. nam Deum ex spiritu Mosis* [6] *abstulisse, & dedisse* 70. *senioribus, vt ipsi vnà cum Mose populum regerent.* Respondeo, nullam firmam duci posse à figuris veteris testamenti probationem, nisi in nouo habeant fundamentum. cessarunt.n. vmbræ veniente corpore; & figuræ, exhibita veritate. Præterea, vt hanc admittamus figuram; nihil tamen ea causæ Bellarmini conducit. Moses enim non erat post Aaronis consecrationem summus sacerdos, sed summus princeps. vnde si hæc figura quadraret, sequeretur à summo principe debere episcopos iurisdictionẽ accipere. *Secundò*, non habet põtifex Rom. in ecclesia eum locum, quẽ habuit Moses in populo Hebræorum. non est legislator, nõ est summus princeps, nõ est propheta, non accepit deniq; leges suas decretalinas à Deo. quid ergò est?

[5] Lib. 4 de pont. Rom. c. 24.
[6] Numer. 11.

go est? si verũ fateri volumus, est pseudopropheta, tyrannus, Christi aduersarius, & à patre mendacii leges suas habuit. *Tertiò*, quod hîc datum est 70. senioribus, à Deo datũ est. vnde etiam aptè colligere licet, episcopos si 70. senioribus similes sint, à Deo habuisse iurisdictionem ordinariam. *Postremò*, non loquitur Moses de iurisdictione, sed de dono prophetiæ, & aliis Spiritus sancti donis. at pontifex *Rom.* non habet aliquod huiusmodi donum, nec sua dona spiritualia, si quæ haberet, aliis impartiri potest.

Secundum Bellar. argumẽtum est, *quia forma regiminis ecclesiastici monarchica est, propterea omnem authoritatem ab vno deriuari.* Sed neque antecedens verum est, nec consequens satis firmum. nos enim ostendimus regimen vniuersalis ecclesiæ externum esse Aristocratiæ similius quàm *Regno*. Verùm vt esset regimen ecclesiæ monarchicum; non tamen sequitur, vel pontificem *Rom.* esse eius monarcham, vel episcopos ab illo potestatem habere. *Non primum*, quia Christus solus verè [1] *summus est pastor*, & totius ecclesiæ monarcha, & rex. *Non secundum*, quia in omni monarchia legitima, quæ ex legibus pendet, sunt inferiores magistratus, qui ex legibus habent authoritatis suæ firmamentũ. & in particularib. ecclesiis vbi summa potestas est penes episcopum, presbyteri à Deo habẽt suas claues: & dicit [2] Bellar. *apostolos immediatè à Christo iurisdictionem accepisse*, licèt Petrum velit esse ecclesiæ monarcham.

Tertium suum argumentum à quatuor similitudinibus ducit [3] Bellar. *Nam quia sedes Petri comparatur à Cypriano*, vt ipse asserit, *capiti, radici, fonti, & soli*; idcirco concludit, *omnem iurisdictionem ecclesiæ deriuari à põtifice Rom.* Sed primò debile est hoc imperium quod in Cypriani vnius authoritate, quam nec ipsi aduersarii vbique agnoscunt & recipiunt, positum est. deinde multò debilius, quia nec illud Cyprianus defendit. [4] Cyprianus enim vbi loquitur de radice, capite, fonte, & sole, intelligit non sedem Petri, sed ecclesiam. *Ecclesiam*, inquit Cyprianus, *vnam esse quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quemodo*

1 *Hebr* 13. & 1. *Pet.* 2.

2 *Lib.* 4. *de pont. Rom.* c. 23.

3 *Col.* 1047.

4 *De simpl. prelator.*

solis multi radii, sed vnum lumen, & rami arboris multi, sed vnum robur, & licèt multi riui de fonte defluant, vnitas tamen seruatur in origine. & postea, *sic & ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur.* quis verò non absurdè comparet sedem pontificalem lumini quod vbique diffunditur, aut soli qui vbique lucet, aut fonti vnde omnes riui veritatis defluant? sed inopia argumentorum istos ad tales redigit ineptias.

Quartum argumentum malè connectitur. non enim sequitur, *propterea Deum non dedisse episcopis vllam potestatem, quia non habent æqualem iurisdictionem*, vt colligit Bellar. nam omnes reges à Deo [1] sunt: tamen alii latiùs, alii angustiùs regnant. [2] Apostoli etiam & pastores à Christo dati sunt ecclesiæ: illi tamen in vniuersum mundum missi sunt; isti autem definitas habēt regiones & ciuitates, in quibus præsideant. solet denique Deus dona sua largiore mensura quibusdam distribuere. *Præterea*, nec hoc argumentum quicquam valet, *episcopos non habere parem iurisdictionem, quia angustiores habent, aut latiores suarum diœceseôn fines.* nam omnes reges summam habent potestatem, licèt latiùs nonnulli dominentur, quàm alii. & episcopi pariter accepere claues, licèt nonnulli fines habeant suæ diœceseos latiores. [3] Hieronymus omnium episcoporum æqualem facit iurisdictionem, & episcopum Eugubinum non veretur Romano æquare. *Postremò*, falsum est, diœceseôn episcopaliū terminos à pontifice Rom. primùm positos fuisse, vt asserit [4] Bellar. nam Apostolus Paulus oppidatim [5] cōstituit presbyteros in ecclesiis Asiaticis; & Titus in Creta [6] relictus est, vt idem ille faceret. Postea de finibus prouinciarum episcopalium multæ leges à [7] synodis latæ sunt. nonnunquam imperatores fines episcoporum definiuerunt, & terminarūt, vt ex constitutione [8] Iustiniani de finib. primæ Iustinianæ liquet. præscriptio denique absq; vllo pontificis Rom. decreto ad fines diœcesium constituendas satis valuit.

Quintum argumentum est, *episcoporū iurisdictionem posse*

[1] Rom. 13.
[2] Ephes. 4.
[3] In epist. ad Euagrium.
[4] Col. 1047.
[5] Act. 14.
[6] Tit. 1.
[7] Concil. Nicen. c. 5. & 6. concil. Constant. 1. c. 2. 8. c. 26. cōcil. Ephesin. c. 8.
[8] Nouel. 131.

posse à pontifice Rom. tolli & mutari, & propterea eam à Deo non esse. Sed *antecedens* verum non est: nec vlla lege Diuina, aut ecclesiastica hoc pontifici Rom. delatum est, vt vel episcopos deponeret, vel fines episcoporum mutaret. omnis enim hæc potestas antiquitus ad synodum pertinebat. Neque obstat, quod Bernardus ita censuisse videtur in quadam [1] epistola. Ille enim loquitur secundùm sui seculi mores, quando antiquata prisca ecclesiæ disciplina pontifex Rom. libertatem populi Christiani oppresserat. *Consequens* verò inualidum est. nam etsi synodus episcopos deponere, & legibus iurisdictionem eorum diffinire posset; non tamen sequitur pastores & episcopos à Deo non esse. nam à Deo est omnis potestas: illa tamen in variis rebusp. pro legibus & moribus populorum sæpe mutatur. pontifices etiam Rom. asserunt se imperatori regnũ abrogare posse, etsi nemini dubium sit à Deo esse imperium. Presbyteris deniq; & diaconis istis vel illis omnis potestas abrogari potest; licèt illa à Deo ad omne presbyterorũ & diaconorũ collegiũ profecta sit. Nec obstat, quod characterẽ aduersarii manere dicũt. nam nihil aliud est character sacerdotalis, quàm scholasticorũ commentum; quo tamen manente omnem potestatem sacerdotibus abrogari posse concedunt.

[1] *Epist. 131. ad Mediolanenses.*

Sextum [2] Bellar. argumentum ita formatur: *Si iure Diuino habent suam iurisdictionem episcopi, debẽt aliquod Dei verbum proferre. at hoc non possunt. verba n. Domini ad Apostolos dicta illis non conueniunt.* Quod sanè si aduersus pontificem Rom. retorqueatur, a seipso videbit sui pontificis causam iugulatam. neq; enim vllũ proferre potest Christi mandatum, vnde constet eum tam amplam habere iurisdictionem, nec verba Christi ad *Petrum*, sine summa impudentia ad pontificẽ Rom. detorqueri possunt; vt nos iam antea argumẽtis validissimis cõfirmauimus. At de episcoporũ iurisdictione & potestate verbũ habemus Dei luculentum. [3] *Christus enim in altum ascendens*, inquit Apostolus, *alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores.* Per Pastores autem dubium non est, quin intelligat episcopos: nam ita vulgò interpretan-

[2] *Col. 1048.*

[3] *Ephes. 4.*

1 Ambrosius & Theophylact. & alii in Ephes. 4. 2 *Act. 20.* 3 *Apoc. 1. &* 2. 4 *Matth. 28.*

tur [1] patres Apostolus etiam episcopos *à Spiritu sancto constitutos* [2] *dicit ad regendam ecclesiam Dei.* at absurdum est episcopos constitutos esse nudos & titulares, vt cōstituuntur à pontifice Rom. sine omni iurisdictione. ne sanè æquum est aut consentaneum, cum angeli [3] vocentur, missos esse sine mandatis, aut authoritate. Postremò, Christus [4] *se futurum cum Apostolis dixit vsque ad consummationē seculi*; quod non potest impleri, nisi verba hæc Christi ad apostolos dicta, ad omnes pios episcopos, qui apostolis vicaria ordinatione, vt loquitur Cyprianus, successerunt, propriè pertineant.

5 *Epist. 91. & 93. inter ep. August.* 6 *Serm. 3. de assumpt. sua. & epist. 89.*

Septimum argumentum ab authoritate [5] Innocētii primi, & [6] *Leonis* primi ducitur. Sed leues sunt illi testes in propria causa loquentes. Præterea, Innocentii epistolæ illæ suspectæ sunt, vt rectè annotauit Erasmus, & dictionis incompositæ & ineptæ figura indicat. Nihil denique habent *Innocentius & Leo*, quod ad hanc causam aptè accōmodari possit. Innocentius dicit *episcopatum, & totam huius nominis authoritatem à Petro emersisse.* Sed aliud est à Petro, aliud à pontifice Rom. emergere: & non semper vnde nominis episcopalis authoritas emersit, inde omnis iurisdictio manat. sic.n. omnes episcopi Petri essent successores, & ab illo authoritatē haberēt. Dicit etiā *omnes fratres & coepiscopos suos ad Petrum debere recurrere.* Sed multæ sunt causæ, cur homines ad viros claros confugiant, præter iurisdictionē. petunt enim nonnunquam consilium, nonnunquā auxilium. Ne ipse quidē Innocentius ausus est dicere omnes suos fratres & coepiscopos à se iurisdictionē habere. Ipse deniq; sub Petri nomine suam cupiditatem occultans, quę ad episcopum Rom. referri cupiebat, ea ad Petrum referēda dicit: quasi verò omnia quæ vel homines impuri & flagitiosi, vel pii episcopi designant, Petro ascribenda essent.

7 *Serm. 3. de assumpt. sua.*

[7] *Leo per Petrum cæteris apostolis datum dicit, quicquid Christus eis non negauit.* Sed neque ita se habent reliqui episcopi ad pontificem Rom. vt apostoli ad Petrum: neque iurisdictionem acceperunt apostoli à Petro. *Non primum*, quia apostolorum vnū erat collegiū: episcopi autē suas singuli prouincias procurant. *Non secun-*

secundum, quia omnes apostoli à Christo immediatè apostolatum habuerunt, & [2] Bellarm. negat *eos iurisdictionem habuisse à Petro.* Epistola autem Leonis 89. multis nominibus suspecta videtur. nam maiores eius author præ se fert Spiritus, quàm vel illa tempora vel episcopatus Roman. & Leonis humilitas patiebatur. Præterea, non sapit Leonis stilum nec prudentiam, & quædam aliena & parum congrua continet: vt illud, exempli gratia, de Petri assumptione in Dei vnitatem. Verùm vt hanc aduersariis exceptionem remittamus; nihil aliud dicit Leo, *quàm sacramentum prædicationis Euãgelicæ in Petro principaliter esse locatum, vt ab ipso vndique in totam ecclesiam diffunderetur.* Inde ergo constat & *Leonem* loqui non de iurisdictione, sed de verbi prædicatione: & hoc contra pontifices Roman. plurimum facere. neque enim ab ipsis in totum orbem diffunditur prædicatio euangelica, nec solent ipsi populo Rom. cuius se vocant episcopos, euangelium prædicare. imò nihil illis dant aut prædicant, nisi malum.

[2] *Lib. 4. de pont. Rom. c. 23.*

At inquit Bellarm. *loquitur Leo de modo ordinario, quo Deus episcopis confert dona sua, ac dicit ordinariè conferri per Petrum.* Respondeo, nihil hoc vel pro causa ista, vel pro pontifice Rom. facere. Non illud, quia loquitur Leo de prædicatione euangelii, & non de iurisdictione. Non istud, quia planè cæci sunt, qui videre non possunt magnum esse inter Petrum, & pontificem Rom. discrimen. Videant ergo aduersarii cuiusmodi causam foueant, cum nec suos pontifices in ea secundos habeant.

Vltimum argumentum de fæce sentinæ cæremoniarum papalium haustum est. nam inde concludit Bellarm. iurisdictionem à pontifice Rom. ad omnes episcopos manare, *quia ipse consecrans eos committit eis administrationem in temporalibus & spiritualibus, ac eos præficit in patres & pastores ecclesiæ.* Sed neque hoc sufficit Bellarmino, etiamsi concederemus pontificem rectè facere. probant enim tantùm verba ista, pontificem Rom. ita affari solere eos, quos ipse creat. nos autem vel omnes vel plurimos episcopos ab eo antiqui-

tus creati aut ordinari solitos negamus. Præterea, si omnia quæ narrantur, rectè dicta existimet; cur non totius mundi principatum ad Diabolum pertinere putet, quia ipse de montis cacumine mundi regna prospectans dixit, *hæc omnia tibi dabo?* Dico ergo, non esse spectandum, quid tyranni & prædones de rebus alienis loquantur, sed quid iuris in eis habeant. Nos multos iam annos scimus pontificem Rom. non modò episcoporum omnium, sed etiam principum Christianorum ius inuasisse. Scimus, inquam, & dolemus: etsi ipsi, quibus iniuria hæc maximè infertur, nec molestè ferant, nec sentiant. Dixit olim apud nos [1] Rustandus Papæ legatus, *omnes ecclesias esse Domini Papæ*, & [2] Panormitanus in concilio Basileensi dixit pontificem Rom. *esse dominũ ecclesiæ*. Pontifices deniq; Rom. hoc sibi sumunt, & [3] asserunt se *esse toti ecclesiæ præpositos*. Sed non quid ipsi & eorum parasiti loquantur, attendendum est; sed quid ius, & ratio, & lex postulet. Nemo sanè adeo desperatam causam vnquam defendit, quin si in propria causa ei credatur, facilè eam obtineat. Abbas ille Panormitanus à patribus concilii Basileensis grauiter reprehensus est, quòd pontifici Rom. tãtum detulisset. & omnes, qui vel talia de pontifice Rom. prædicant, vel sibi tantum arrogant, meritò reprehendendi videntur.

[1] *Matth. Paris in Henr. 3. p. 891.*
[2] *Æneas Syl. de gest. concil. Basil.*
[3] *C. ad regimen. extr. de prebend. & c. extr. de empt. & vẽdit.*

Pontificem Rom. nec directè, nec alio quouis modo habere debere temporalem principatum.

CAP. X.

QVod in ecclesiæ vniuersalis administratione nihil habeat iuris põtifex Rom. satis iam antea demonstratum est. Sequitur de temporali ipsius (vt vocant) dominio disputatio: quam nos eo alacriùs ingredimur, quia paululum nobis viæ ad finem totius huius de pontifice Rom. controuersiæ superest. Nam si non plus habeat in rebus temporalibus, quàm ecclesiasticis iuris; quid superest, nisi vt tanquã sal insipidus foras cum ex ecclesia, tum ex omni Christiana rep. & pontifex iste, & omnis eius authoritas proiiciatur? Adeste ergo animis, & quid de temporali pontificis regno,

gno, quod non adeo longo tempore obtinuit, sentiendum sit, animaduertite.

Dicit [1] Turrecremata pontificem Rom. dici posse regem. *Non est*, inquit ille, *inconueniens reputandum papam dici regem ecclesiæ.* Sed de hoc regno non agimus hoc in loco. Sunt etiam alii, qui existimant ratione sui vicariatus pontificem Rom. habere in toto terrarum orbe plenam iurisdictionem non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus. Nicolaus Papa [2] dicit, *quod Christus æternæ vitæ clauigero terreni simul & cælestis imperii iura cõmisit*; vnde glossa colligit, *Papam habere vtrumq; gladium*, spiritualem scilicet, & temporalem. Bonifacius octauus [3] dicit *vtrumq; gladium esse in potestate ecclesiæ*: & imperatorem pontifici esse subiectum. *Oportet*, inquit ille, *gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subiici.* vnde aiunt ipsum tempore Iubilæi prodiisse chlamydatum instar imperatoris, & proclamari fecisse, *Ecce duo gladii hîc.* [1] Thomas Aquinas dicit, *quod spirituali potestati secularis in Papa cõiungitur, & quod vtriusq; potestatis apicem teneat.* nec dubitarunt isti, quin directè habuerit pontifex temporale dominium.

[1] Lib.2.summæ c. 4. ad solut.2. argu. ad replic.

[2] Dist.22.c. omnes.

[3] C. vnam sanctam. extra de maier. & obed.

[1] In fine 2. lib. super sent.

Bellarminum verò aliquantũ huius sententiæ puduit, & propterea, [2] dicit, *licèt pontifex, vt pontifex, non habeat vllam merè temporalẽ potestatem directè: tamen habere in ordine ad bonum spirituale, summam potestatẽ disponendi de temporalibus rebus omniũ Christianorum*; & posse ipsum *reges Christianos deponere, & regna mutare, & vni auferre, & alteri conferre.* nec [3] dubitat, quin idem in vrbe Roma, & territorio ipsi subiecto sit summus princeps politicus, & rex, idq; directè, & hanc potestatem ipsum iustè possidere putat.

[2] Lib.5. de pont. Rom. cap.6.

[3] Lib.5. de pont. Rom. c.9.

Aduersus istum itaque, quoniam superiorem sententiam non videntur aduersarii defensuri, ostendendum est *primò*, nec *directè* nec *indirectè* ipsum habere in toto orbe potestatem temporalem; *deinde*, ipsum non posse reges vel principes vel deponere, vel excommunicare, eo scilicet modo quo facit. Demonstrabimus postea ipsum nec simul posse esse regem & episcopum, nec regnum seu principatum, quem habet in Italia,

iustè possidere. atq; hæc nos facilè confecturos speramus. Nam ecclesiasticam pontificis iurisdictionem, quam tamē nos euertimus, aliqua ex parte multi probarunt, pauci his postremis ecclesiæ tēporibus reprehenderunt. at temporalem potestatem, nisi vel specie pietatis decepti, vel armis & vi subacti nulli admiserunt,[4] multi omnibus temporibus oppugnarūt, laudarunt pauci. adeo vt eam etiam secūdo populo pontificio non sit difficile vituperare, & refutare.

[4] *Imperatores Rom. Hērici, Friderici, reges Galliæ Philippus Augustus, & Pulcher Angliæ reges Ioannes, & Henric. 8.*

Nam Christus nostri dogmatis author, & cuius pōtifex Rom. se vicarium esse iactat, noluit fieri rex terrenus, aut indirectè regum sceptra aliò transferre, *Regnum*,[5] inquit, *meum non est de hoc mundo.* &, *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis. nunc autem regnum meum non est hinc.* vnde [6] Cyrillus: *principatus eius nō est mundanus. nullos enim milites conscripsit: non est vsus satellitibus, arma ad se defendendum non parauit.* Similiter Christum loquentem introducit [7] Augustinus: *Audite*, inquit, *omnia regna terrena. non impedio dominationem vestram in hoc mundo, regnum enim meum non est de hoc mundo.* At si vel indirectè regnum seu potestatē temporalem habuisset; aliquam parasset defensionem, & gladium suum temporalem distrinxisset.

[5] *Ioan.* 18.
[6] *Lib.* 12. *in Ioan. c.* 10.
[7] *Tractat.* 105. *in Ioan.*

Præterea, Christus cum regnum ei à populo delatum [8] esset, fugit, & se occultauit. *Fugit*, inquit [9] Lyra, *ne fides catholica potentiæ humanæ ascriberetur, sicut lex Mahometi.* At pontifices Rom. nō fugiunt, nisi vbi pugnando victi discedunt: nempe vt se instar Mahometi dogmata sua gladio defendere ostendant. Postea verò, cum studiosè interrogarent [1] Apostoli, *vtrum regnum Israeli restituturus esset*; respondet ille de prædicatione euangelii, vt regnum Christi non terrenum esse, sed spirituale cogitarent, animumq; à rebus secularibus retrahentes, ad prædicationem euangelii, & propagationem regni spiritualis adiicerent. Quod si ergo nec Christus, qui rex erat regum, voluit fieri rex, aut gladium temporalem vel indirectè attingere; non debet eius vicarius subdititius regnū affectare. Si ipse noluit reges armis subigere, aut regna aliò transferre;

[8] *Ioan.* 6.
[9] *Ibidem in gloss.*
[1] *Act.* 1.

non

non est quod pontifex Rom.arma tractet, & in regnis turbandis & mutandis tantum laboret. Si Christus totius mundi Dominus noluit principatum aliquem acquirere temporalem, vt inde quasi ex arce euangelium profectum humana potentia propagaretur; non debet qui se pro eius vicario gerit, arma, milites, arces, castra, bella meditari. neque enim debet vicarius aliquid sibi arrogare plus, quã Dominus suus habuit. Si autem parêre noluerit pontifex Rom. & instar regis gentium regnum temporale affectare perrexerit; nouerit se Iulii Cæsaris, aut Neronis, potiùs quàm Christi esse vicarium.

Secundò, Christus [1] noluit hæreditatem partiri inter fratres, licet rogatus, vt demonstraret se non habere potestatẽ iudiciorũ terrenorum. *Quis*, inquit ille, *constituit me iudicem, aut diuisorem inter vos?* at pontifex Rom. nõ modò inter fratres, sed etiã inter summos reges se interponit iudicem; idemque de rebus omnibus etiam summo iure iudicat; regna etiam suâ sententiâ dat, aufert, minuit, mutat. Aut ergo nõ est Christi vicarius, aut ista pro iure Christi vicarii non agit. Respondet [2] Bellar. *Dominum in hoc mũdo suscepisse personam pontificis, non principis temporalis, & illis verbis monuisse simplices pontifices; ne se misceant alienis negotiis.* non ergo pontifex Rom. Christi est vicarius, dum gladium distringit, & se reb. alienis immiscet. Christus. n. nec indirectè se in regnis transferendis, aut mutandis interposuit, aut per sententiã suã eos regno excidisse declarauit. Pręterea, non est simplex episcopus, sed duplex, & versipellis pontifex, Christique dissimilimus. Respondet ergo postea, &, vt ipse ait, *melius: admoneri hoc loco pontifices & principes, ne minutis & vilibus officiis ita occupentur, vt omittere cogantur maiora. neque enim deposuisse Mosem personam principis politici, & seruasse solum ecclesiastici, sed constituisse minores iudices, qui satisfacerent populo in rebus leuioribus.* Sed neque hæc responsio bona est. nos enim à ratione iudiciorum argumentamur, & idcirco negamus pontificem, qui se dicit Christi vicarium, debere esse iudicem, quia Christus noluit esse iudex. & sanè, si rebus minimis noluit

[1] *Luc. 12.*

[2] *Lib. 5. de pont. Rom. c. 10.*

Christus ab officio suo auocari; certum est multo magis eum maximam negotiorum molem suscipere noluisse, ne magis in officio impediretur. Quod autē ad Mosis exemplum attinet, illud prorsus alienum est ab hac causa. nam pontifex Rom. se dicit Christi vicariū, & nō Mosis, idemq; se Aaronis sacerdotium dicit suscepisse, & nō Mosis. Prętérea, Moses ex mandato Dei constitutus est iudex, & summus populi Hebræorum princeps. pontifex autē Rom. nec legem Dei proferre potest, nec mandatum. Imò eius se dicit successorem, qui nec princeps terren⁹, nec iudex esse voluit. Postremò, Moses iure principatus politici iudicia tractauit: at pontifex Rom. iure vicariatus sui indirectè, vt ait Bellar. vt nos dicimus, iniustè & contra recti regulam, se in omnibus secularibus negotiis intromittit. Bernardus idcircò Eugeniū [1] reprehendit, quod Iustiniani leges nimium in eius palatio perstreperēt. *Tu ergo,* inquit ille, *pastor & episcopus animarum, qua mente, obsecro, sustines coram te, semper silere illam* (legem Domini) *garrire istas* (leges Iustiniani.) Nunc autem nō tantùm iudicia tractant pōtifices Rom. sed de rebus secularib. maximis consultant; ad legem Dei legendam, & cognoscendam non vacant.

[1] *Lib. 1. de consid.*

Tertiò, non licet pontifici Rom. quod Christus interdixit Petro, & reliquis apostolis. ipse enim licèt multa proferat sui pontificatus documenta; nihil tamē habet augustius & maius, quàm quod se Petri successorem appellat. At principatus terrenus Petro interdictus est; adeo quidem, vt nec eum indirectè ipsi attingere liceret. *Reges gentium,* inquit [2] Christus, *dominantur eis: vos autem non sic.* quid ergo fiet pontifici Rom. qui non modò dominatur instar regum gentiū, sed etiā acerbius imperat, & superbiùs se effert, quàm reges gentium?

[2] *Matth. 20.*

Respondet [3] Bellar. *Christū instituere meros principes ecclesiasticos.* Quasi verò quādo procedit deauratus, &, vt aiunt, in pōtificalibus, pontifex se nō gerat vt principem ecclesiasticū; & non tunc se monstret, vt regem gentium. Prętérea, pontifici, vt pontifici, tribuunt indirectè principatum supra vniuersum mūdum. at hoc

[3] *Col. 1078.*

superat etiam regum gentilium fastum & tyrānidem. neq; vnquam vel Moses, vel Melchizedec, vel Heli, vel Iudas Machabæus tantum sibi arrogauit, quantum pontifex Rom.

Respondet ergo 4 secundò, *non prohiberi episcopis dominatum regium, sed tyrannicum. damnari enim non, qui regio more imperat, sed qui κατακυριεύει.* Sed verba Christi dominatum instar regum gentium prohibent. distinguit enim apostolos & reges, & non vult suos apostolos instar regū dominari. reges autem gentiū multi iustissimi erant, & clementissimi, vt Cyrus, Agesilaus, Numa Pompilius, Marcus Aurelius Antoninus, & huiusmodi alii. Verùm vt tyrannorum tantùm fastus, & dominatio apostolis, & eorum successoribus interdictus esset; cāderet tamen pontificum Rom. principatus, qui & crudelissimos & superbissimos tyrānos longo internallo post se reliquisse videntur. ex eis enim pauci pedes suos osculandos præbuerunt, & diuinos sibi honores nulli ferè exhiberi postularūt: isti autem omnes in humeris hominum feruntur sublimes, & pedes suos præbent osculandos, & diuinos sibi arrogant honores, licèt sint impurissimi & sæuissimi tyranni, vt nos postea dicemus. [6] *Col. 1075.*

Quartò, non magis licet pontifici gladio vti, quàm Petro. ab hoc enim ille se ius suum habere iactat. at Petrus non habuit potestatem gladii temporalis. à Christo enim [1] *iussus est gladium in locum suum recondere*; & reprehēsus, quod gladio seruum pontificis percussisset. in visione etiam [2] admonitus, *vt mactaret & ederet*, intellexit hanc mactationē spiritualiter esse faciendam. certè si gladium habuisset vel directè, vel indirectè, nūquam ille oues Christi, & se ipsum à crudelissimo tyrāno occidi passus esset. nec sanè æquū erat, si superior erat secundùm indirectam iurisdictionē, vt isti dicunt, vt hæc tam acerba pateretur. Pontifices Rom. nunc longè aliter suū gladium rotare didicerūt, quàm Petrus. At dicent fortasse aduersarii, *pontifices Rom. non habere gladiū vt pontifices, sed vt principes politicos.* Quasi verò Bonifacius 8. vt pontifex non dixerit, *se duos gladios habere:* & non omnes ex iure Petri tem- [1] *Matth. 26.* [2] *Act. 10.*

porale dominium sibi vendicent. inde enim fundos suos vocant *dominium Petri* : & Adrianus quartus omnes insulas ad ius sancti Petri pertinere dicit. *Sane omnes insulas*, (inquit [3] Adrianus,) *quib. sol iustitia Christus illuxit, &c. ad ius sancti Petri, & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ (quod tua nobilitas recognoscit) dignoscitur pertinere.* Arithpertus Longobardorũ rex alpes Cottias beato Petro donasse [4] dicitur. Constantini etiam [5] donatio Petro oblata est, vt aiunt. Verùm vt nõ directè habeant gladium temporalem vt pontifices; indirectè tamen non negabunt se habere. at Petrus nec indirectè habuit: vnde constat pontifices Rom. nullo iure habere gladium suum temporalem.

[3] *Matt. Parus in liter. Adriani ad Henricum secundum.*
[4] *Platina in Ioan. 7.*
[5] *C. Constãtinus, dist. 96.*

Quintò, qui vel directè, vel indirectè habent gladii summam potestatem; illi nec respondere tenentur in iudicio, nec tributum soluere. hoc enim ad summam pertinet potestatem, nulli in istis rebus subesse. At episcopi Rom. antiquitus coram imperatoribus respondebant, & tributũ ex Christi & apostoli præcepto soluebant. Imò Christus coram Pilato respondere, & tributum soluere voluit; & Petrus etiam tributũ soluit, & coram imperatore comparuit. Paulus verò Cæsarem appellauit, & ab illo iudicatus est. neq; existimare debemus hæc Christũ & Apostolos vltrò fecisse, cum nullo iure ad obedientiam hanc tenerentur; ipsi enim vbiq; obedientiam suaserunt, & nusquam principibus resistendum esse docuerunt. Imò nulla exceptione fori se aduersus principum authoritatem defenderunt. nihil est ergo, quod pontifices Rom. sibi vendicẽt potestatem disponendi de temporalibus omnium Christianorum, nisi vt se Christo & Petro dissimilimos ostendant.

[1] *Rom. 13.*

Sextò, apostolus [1] Paulus omnem animam potestatibus sublimioribus subiectam esse debere docet. Quæ autem essent istæ potestates, postea explicat, vbi ius gladii illis tribuit, & tributum eis soluẽdum esse monet. hac autem lege non est dubium, quin apostoli tenerẽtur: nam ita exponit Chrysostomus, vt antè dictũ est. & hoc ex verbis apostoli colligitur, qui de omni anima loquitur, & ad omnes Christianos verba fecit.

Si autem

Si autem apostoli subesse debebant, & tributum illis soluere, qui ius gladii habuerunt, hoc est, regibus & principibus politicis; tum non habebant illi gladium temporalem, nec summam in rebus temporalibus vel directè, vel indirectè potestatem. si autem eam nō habuerunt apostoli; non debent pontifices Rom. eam vllo iure sibi vendicare.

Septimò, non debent apostolorum successores rebus illis se implicare, quæ euangelii prædicationem & officium episcopale impediunt. *Nemo enim militans Deo*, [2] inquit Paulus, *implicat se negotiis secularibus*. Præterea, [2] 2. *Tim.* 2.
[3] negāt apostoli *æquum esse, vt relinquerēt verbum Dei, & ministrarent mensis*. at pontifices Rom. dum regnum [3] *Act.* 6.
administrare, & summam omnium temporalium totius mundi procurationē ad se pertinere crediderunt, verbi prædicationem, & opus episcopale missum fecerūt. Respondet [4] Bellar. *vetari nimiam solicitudinem circa res corporales, & non regimen politicum*. Sed pariter [4] *Col.* 1081.
facit, ac si nihil responderet. Nam si nimia cura & solicitudo circa res temporales, quarū cura alioqui necessaria est, vetatur; multò magis nimia solicitudo circa res alienas, & rerum politicarum administrationē prohibetur. & si apostoli noluerunt mensis ministrare, quia impediebat hæc curatio mensarum apostolatus officium; & si Aaroni demandatum est sacerdotium, quia vnus Moses nō potuit tot negotiis sufficere; tum non est putandum totius mundi procurationem pontifici Rom. indirectè datam esse: præsertim verò cum milites se ab aliis negotiis extricare soleant, quo liberiùs militiæ vacent. In Latino quidem interprete est *militans Deo*, licèt in Græco desit hoc vocabulum, Deo. sed ad rem nihil interest.

Ad locum act. 6. de ministerio mensarum [5] respondet Bellarm. *apostolos non ita omisisse curam ministrandi mensis, quin præsiderent in temporalibus toti ecclesiæ.* [6] *solicitos enim fuisse de colligendis eleemosynis, & mittendis in Hierusalem.* Sed admodum ridiculè facit, si pontificis [5] *Col.* 1072. [6] *Galat.* 2.
Rom. in toto orbe præsidentiam, & indirectum, vt vocat, dominium ex collectione eleemosynarum probari, aut ecclesiam eo tempore temporalia possedisse pu-

tet. Præterea, ad argumentum nostrum nihil respondet. nam etsi pauperum essent memores; eorum tamẽ curam in diaconos reiecerunt, ne in verbi prędicatione impedirẽtur. at pontifices Rom. nõ modò regnum in Italia administrant, sed etiam omniũ temporalium totius mundi procurationem ad se pertinere contendunt: vnde factum est, vt abiecta verbi prædicatione, & neglecto opere episcopali, in rerum secularium solicitudine sordescãt, & cõsenescant. nec eos vel Christi mandatum de prædicatione euangelii, nec apostolorum exemplum, qui multò minora impedimenta excusserunt, quicquam commouit.

Octauum argumẽtum nostrum ab Aaronis & sacerdotum veteris testamenti exemplo sumitur. nam si nõ habuerunt illi potestatem vllo casu disponẽdi de temporalibus principum; nec erant vel belli, vel pacis arbitri; nec leges de rebus temporalibus cõdere potuerunt; tum multò magis harum rerum procuratio episcopis noui testamenti interdicta est. Illos enim aliquando legimus summæ reip. præfuisse: at istos nunquam. omnium verò temporalium dispositionem nõ habuisse inde cõstat, quia nunquam reges idololatras deposuisse, aut aliquid eis abstulisse legũtur. Imò Moses Aaroni ius dixit, & nõ contrà; & de Abiatharo Salomon iudicabat; de illo verò licèt grauissimè lapsus esset, nullus sacerdos iudicium suum interposuit.

Nonum argumentũ ab exemplo veterum episcoporum Rom. qui longè optimi erant, ducitur. leges enim illi acceperunt ab imperatoribus, & corũ iussionibus, vt dictum est, paruerunt. arma vero tractasse, & bella gessisse nusquam leguntur, precibusq; illi, non armis hostes submouerunt. atq; ea fuit episcoporum Rom. vsq; ad Ioannem vndecimum conditio. *Theodorici regis temporibus*, inquit [1] Theodoricus Niemensis, non habuit Papa gladium temporalem. sed neq; diu pòst. nam [2] Ioannes vndecimus, qui circa annum Domini 930. pontificatui præfuit, nõ suis viribus, sed Alberici Marchionis, & Herruscorum, & ciuium Rom. armis Saracenos fudit. Atq; hic primꝰ arma materialia tractasse videtur. sed & dignũ exitum sortitus est. captus enim

[1] *De schism. lib.* 3. *c.* 8.
[2] *Platin. in Ioan.* 11.

enim à *Guidonis* militibus, ceruicali in os iniecto [3] suffocatus est. Serò etiã Romanis imperare cœperũt. *Parum ante me natum*, [4] inquit Laurentius Valla, *per inauditum genus fraudis Roma papale accepit imperium, seu tyrãnidem potiùs, cum diu libera fuisset.* temporib. Bonifacii noni & Innocẽtii septimi demum Papa vrbis temporale dominiũ adeptus est. *Eodẽ anno*, inquit Paulus [5] Langius, *Innocentio Papa septimo Romani ciues claues ciuitatis cum ramis palmarum obtulerunt, & omne dominium vrbis Romæ etiam temporale illi concesserunt, sed minùs iustè, minusq; laudabiliter. quoniam illa temporalium affluentia officit haud parum spiritualibus, nec Petri successor ipse papa eiusmodi periculosum temporale dominiũ sumpsisse debuerat.* Idem dicit, *ab antiquo Romam semper fuisse vrbem regalem, & imperialem.* Huius rei initium cõmemorat [6] Theodoricus Niemensis. *Bonifacius nonus*, inquit ille, *in decimo anno sui põtificatus Romæ in alto & basso temporale dominiũ habuit, & quamdiu vixit tenuit manu forti, quod contigit ex dissensione ciuium Rom.* atq; ita serò in Italia & vrbe Roma pontifices Rom. imperium adepti sunt, idq; non iure vllo, sed armis & fraudibus, de totius orbis indirecto dominio, licèt garrire cœperunt canonistæ temporibus Bonifacii 8. *qui carceres pro clericis transgressoribus primus* [7] *inuenit*; nihil tamen habẽt pontifices Rom. quod proferant. imò vix per somniũ tale aliquid se habere viderunt. Quod ergo non habuerunt optimi quiq; episcopi, nec ad se vllo modo pertinere crediderunt, quis istos posteriores pontifices iure habuisse credat?

[3] *Ibidem.*

[4] *Contra falsam donationem Constantini.*

[5] *Chronic. Citizense Pauli Langii p.* 849.

[6] *De schism. lib.* 2. *c.* 13.

[7] *Paulus Langius chron. Citizense.*

Decimum argumentum est, quia mala fide acquisiuerunt temporale dominium; idcirco illos illud iniustè possidere. malę enim fidei possessor quamdiu est in mala fide, nullo tempore præscribit. Bonifacius 9. imperium vrbis Romæ fraude ciuibus extorsit, vi tenuit; vt ex Valla & Theodorico Niemẽsi constat. Italiæ aliquot ciuitates & regiones, partim armorum potẽtia, partim vulpinis fraudib. variis temporib. occuparũt. ex [1] Constantini & [2] Ludouici pii ementitis donationib. multò plura sibi vendicant. ius autem disponendi de omnium Christianorũ temporalibus nec legitimo

[1] *c. Constantinus. dist.* 96.

[2] *c. ego Ludouic. dist.* 63.

titulo habent, nec vnquam iustè possederunt, de titulo & iure suo nihil habent quod proferant. imò nec iustè aliquādo illud temporale suum dominium possedisse videntur.

Vndecimò, aut ius non habent pontifices Rom. de temporalibus Christianorum disponendi, aut peccarunt omnes imperatores & principes Christiani, qui armis eorum ius impediuerunt. Peccarunt, inquam, Henricus 4. & 5. & Fridericus 1. & 2. aliiq; imperatores, qui pontificum sententiis restiterunt, & armis eos oppugnarūt. peccarunt etiam principes, qui ius suum regium, & ciuium libertatem aduersus eorum impetum defenderunt: nec debuit vel Philippus Pulcher Bonifacio 8. regnum Galliæ, vel Ioannes regnum Angliæ Innocentio 3. negare. Peccauit præterea Carolus 5. qui Clementem 7. in arce vrbis Romę obsedit, & cepit, & in leges suas eum adegit. Peccauit etiam Philippus rex Hispaniæ, qui Paulo 4. bellū intulit; omnesq; Italiæ principes grauiter deliquerunt, qui huic bellæ pontificum dispositioni de rebus temporalibus non consenserunt. at hoc nemo vnquam sanus dixerit: & certè valde absurdum est cogitare.

Postremò, gladii hæc potestas, & temporale dominium siue directum siue indirectum, serò tandem vsurpatum, optimo cuique semper displicuit. *Apostolis*, inquit [3] Bernardus, *interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vsurpare aude aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum.* Et alio in loco: *Non monstrabunt*, inquit, *vbi quispiam Apostolorum aliquando iudex sederit hominum, aut diuisor terminorum, aut distributor terrarum. stetisse deniq; lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego.* atque non tantùm directum hæc dominium tollunt, sed etiam indirectum. quomodo enim possunt de regnis iudicare, & ea à dominis ad alios transferre, si nec de aliquibus temporalibus iudicare possint?

[3] *Lib. 2. de considerat.*

Respondet ad primum locum [4] Bellar. *Bernardum loqui de pontifice, secundum id quod habet ex Christi institutione.* sed hoc eius causam euertit. inde enim constat ex Christi institutione, vel aduersarii confessione non

[4] *Col. 1080.*

habere ipsum gladium temporalem, vel indirectum dominium omnium temporalium. Præterea, nõ rectè assequitur Bernardi sententiam. constat enim ipsum sensisse nullo modo pontifici Rom. competere temporalem dominatum. cum enim Apostolorũ successoribus prorsus dicit interdictum esse. neq; vel hoc vel illo nomine vsurpari ab eis posse concedit.

[5] Gregorius primus anathema dixit *episcopo, qui fundo alicui titulum imponeret.* vnde constat non potuisse pontificem Rom. more [6] imperatorum titulos imponere fundis caducis, aut ad ecclesiam spectantibus. At si non potuêre de vno fundo episcopi iudicare; nõ est verisimile eos de omnium Christianorum temporalibus potestatem habuisse iudicandi. Respondet Bellar. *ecclesiam tunc non habuisse politicum principatum.* At aliter existimauit [7] Bonifacius 8 qui à Christo duos pontifici Rom. datos gladios diffiniuit. præterea, de indirecto dominio nihil respõdet. Postremò, nec testimonio Gregorii satisfacit. nam si rectè existimauit episcopum rem tantulam ad temporale dominium spectantem non debere tractare; certè existimauit eum nõ debere titulum apponere temporalibus totius orbis Christiani, aut ea sibi aliquo titulo vendicare.

[5] *Lib. 4. epist. 44.*

[6] *Cod. de bonis vacant. l. 3. & nouell. 30. de procon. Cappad.*

[7] *c. vnam sanctam. de maior. & obed.*

[8] Scripsit ad Philippum Pulchrum Bonifacius octauus in hunc modum: *Scire te volumus, quod in spiritualibus & temporalibus nobis subes, & aliud credentes fatuos putamus.* ei autem Philippus sic respondit: *Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse: secus credentes fatuos reputamus, & dementes.* Idẽ Bonifacium reprehendit, quod se *Cæsarem & [9] Dominum mundi* diceret.

Nobiles Galliæ interrogati à [10] Philippo Pulchro, quem *Dominum agnoscerent*, responderunt, *quod omnia sua bona à manu & potestate regia penderent.*

[8] *Ex chron. Britan. armor. & Nicol. Gill.*

[9] *Ioan. Mar. Belga de schism. c. 18.*

[10] *Ibid.*

Per inauditum genus fraudis, inquit [1] Laurẽtius Valla, *Roma papale accepit iugum, seu tyrannidem potiùs, cum diu libera fuisset.* Idem disputat, *non debere pontifices Roman. habere terrenum imperium, & imperatorem debere sua repetere.* *Heu miseri imperatores*, inquit [2] Iacobus Petrus de Ferrariis, *& principes seculares, qui hac & alia*

[1] *Contra donat. Cõstantini.*

[2] *In forma resp. rei conuent. nu. 10.*

sustinetis, & vos seruos pontificum facitis. & mundum per eos infinitis modis vsurpari videtis, nec de remedio cogitatis.

3 In Aulico. 3 Alanus Chartierus dicit, *ecclesiam Dei factam esse speluncam latronum, dum pontifices, omisso ministerio & officio ecclesiastico, omnes occupationes quærerent seculares.*

1 Chronic. Citizense. p. 849. Paulus [1] Langius ex dominio temporali dicit pontifices Roman. *sibi labores & dolores cumulasse*: idemque primis temporibus eos hoc dominium habuisse negat.

2 Matth. Paris in Ioanne p. 267. Grauissimè autem tulerunt Angli, quod rex Ioannes hoc regnum, quantum in se erat, pontifici fecisset tributarium. & [2] dixerunt *quod non pertinet ad papam ordinatio rerum laicarum, cum Petro apostolo & eius successoribus, non nisi ecclesiasticarum rerum dispositio à Domino sit collata. Vt quid,* inquiunt illi, *ad nos se extēdit Romanorum insatiata cupiditas? quid episcopis apostolicis, & militia nostra? ecce successores Constantini, & non Petri. nō imitantur Petrum in meritis vel operibus, nec assimilandi sunt in potestate. iustus enim est Deus in meritorum recompensatione. proh pudor! marcidi ribaldi, qui de armis vel liberalitate minimè norunt, iam toti mundo propter excōmunicationes suas volunt dominari; ignobiles vsurarii, & simoniales.*

3 Tract. nemoris vnio. 6. c. 33. 3 Theodoricus Niemensis *turbatis imperii rebus* dicit pontifices Rom. creuisse, eorumque vsurpationes liberè reprehendit. *Videmus,* inquit, *quod quasi imperiale decus, siue alterum ex duobus luminaribus magnis, quæ lucent in firmamento cœli, sublatum est, quasi scilicet luna per huiusmodi vsurpationes potissimè sacerdotum, qui sicut sacerdotes Iudæorum ad eam deuenerunt dementiam, peccatis suis exigentibus in passione filii Dei, quod in eorum & totius Iudaici populi confusionem veraciter dicere possent, Regem non habemus nisi Cæsarem; quod eodem modo iamdiu timui & timeo, quod nostri sacerdotes catholici cum Romana ecclesia dicere possint, Regem non habemus nisi pontificem.*

4 De benefic. & minist. eccles. lib. 1. c. 4. *Gladii ius & imperium,* inquit [4] Duarenus, *non habent sacerdotes, sed magistratus ciuilis. vt clarè testatur*

Christus, cùm ait, regnum meum non est de hoc mundo: & reges gentium dominantur eis, vos autem non sic. nam & Petrus præcipit eis, vt pascant gregem non dominantes inde Hieronymus ad Nepotianum: episcopi, inquit, sciant se sacerdotes esse, non dominos.

5 Aduersarii denique fatentur *regem in temporalibus superiorem non agnoscere*: & Bellarminus velut imperatoriæ dignitatis studiosus curiosè 6 disputat *papã nec totius mundi, nec totius orbis Christiani esse dominum; nec vllam habere temporalem iurisdictionem directè.* At si non habet rex superiorem in temporalibus, magnam iniuriam ei faciunt, qui ei regnum eripere conantur. si nõ sit Papa dominus mundi, nec Christiani orbis, nec vllam habet temporalem iurisdictionem directè; tum nec de temporalibus disponere potest omnium Christianorum, nec reges potest de regno deiicere, nec de rebus temporalibus iudicare debet. quæ tamẽ omnia Bellar. largitor satis benignus, vbi de alieno dandum est, pontifici Rom. tribuit. Vtrum rectè, necne, hoc sequenti capite videbimus.

5 *c. solita. de maiorit. & obedient.*
6 *Lib. 5. de pont. Rom. c. 2. 3. & 4.*

Ad argumenta Bellarmini, quibus probare conatur papam habere temporalem potestatem indirectè, respondetur, CAP XI.

VT apud Plautum 1 Tranio, sic in hac causa Bellar. cum multa turbasset, & miscuisset, pergit turbare porrò. omnia sanè agit confusè, turbidè, & inconstanter. Antea disputauerat *pontificem Rom. nec dominum 2 esse totius mundi, nec orbis Christiani, nec vllam habere iurisdictionem temporalem directè.* hîc tamen 3 asserit, *etsi pontifex, vt pontifex, non habeat vllam merè temporalem potestatem; tamen habere, in ordine ad bonum spirituale, summam potestatem disponendi de temporalibus omnium Christianorum.* Quod nihil aliud est, quàm si diceret, pontificem Rom. non esse dominum totius mundi, & tamen quodammodo esse, & eum non habere temporalem potestatem, & tamen habere. Qua enim in re potiùs cõsistit dominium totius mundi, quod pontifici Rom. negat Bellar. quàm vt disponere possit de omnibus regnis & imperiis? &

1 *In Mostellaria.*
2 *Lib. 5. de pont. Rom. c. 2. 3. & 4.*
3 *Lib. 5. c. 6. col. 1062.*

quod amplius aut augustius cogitari potest imperium temporale, quàm vt de bonis totius mundi temporalibus disponere, vt principes deponere, regna mutare, leges principum antiquare, & de eis iudicare possit? at hæc omnia ✝ Bellarm. pontifici Rom. tribuit. imò dum *pontificiam potestatem arti equestri, & imperatoriam arti frenusfactoriæ*; vel vt postea facit, illam *animæ*, *hanc corpori* comparat: soli pontifici omnem potestatem tribuere, eamque principibus Christianis eripere videtur. ars enim frenisfactoria est propter artem equestrem: & hæc illi singula præscribit. Similiter anima corpori præest, & corpus sine anima nihil aliud est, quàm cadauer ignobile, & immobile. certum est ergo ipsum regibus & principibus pontificem suum in omnibus præponere, licèt hoc apertè enuntiare propter summam rei turpitudinem, nõ audeat. Quod autem hoc non fecit, non tam voluntas, quàm quod hoc difficile esse probatu vidisset, impedimento fuit. idcirco etiam exempla sua & rationes confusè, & perturbatè proponit, & quod in controuersia est, nõ concludit. quædam enim de potestate clauium, quædam de ecclesiæ totius potestate, quædam de regibus, quædam de priuatis, quędam de excommunicatione principum, quædam de depositione eorundem, quædam deniq; de bello & pace, quædam verò de legibus & iudiciis loquuntur. nulla autem ratio aut exemplũ concludit, pontifici Rom. dispositionem temporalium omnium Christianorũ vel indirectè competere; quod tamen ipse probandum susceperat. Hinc constat Bellar. dum statum quæstionis explicãdum suscepit; maluisse tamen eum inuolutum relinquere. nos ad argumenta ipsius malè distincta, secundùm ordinem ab ipso propositum, respondebimus.

✝ Col. 1064.

Prima ratio ita formatur: *Potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali: ergo princeps spiritualis potest imperare principibus temporalibus.* Respondeo, consequens infirmum esse, & propè ridiculum. nam in quouis ecclesię pastore & ministro est spiritualis quędam potestas; nemo tamẽ inde concludere potest, quemuis ecclesiæ pastorem & ministrũ esse quouis summo principe superio-

periorem. neque enim concedunt aduersarii quemuis sacrificum esse pontifice Rom. quem volunt etiam esse principem politicum, superiorem.

Deinde, malè à qualitatibus ad subiecta procedit argumentando. nam etsi iustitia præstet fortitudini, & religio virtutibus politicis; non tamen sequitur viros iustos, & religiosos posse viros fortes & politicos de regno deturbare.

Præterea, de spirituali & ciuili potestate distinguendum est. quædam est enim spiritualis potestas, quam à Christo habent omnes ecclesiæ pastores legitimè & ritè vocati, eaque in verbi prædicatione, & sacramentorum administratione posita est. quædam verò est spiritualis, vt vocant, seu potiùs ecclesiastica potestas, quæ in externa iurisdictione posita est, & versatur partim circa leges ferendas, partim circa iudicia, partim circa legum & iudiciorum executionem, partim circa ministrorum electionem & officium, partim circa ritus & cæremonias. Quod ergo ad verbi prædicationem & sacramentorum attinet administrationem, potestas spiritualis excellentior est, quàm rerum secularium procuratio: & propterea summi principes legitimis pastoribus auscultare & obedire tenentur, dum verbum Dei prædicant, & sacramenta administrant. Quod autem ad externam ecclesiæ administrationem attinet, ea præcipuè ad principes Christianos spectat. illorum enim est leges constituere de rebus externis, & quæcunque in ecclesia facienda sunt, vt legitimè fiant præcipere. Hoc fecêre Dauid, Salomon, Hezechias, & Iosias in veteri testamento. hoc etiam fecêre Constantinus, Theodosius, Martianus, & alii pii imperatores in nouo. In istis ergo parêre tenentur pastores principibus.

Nec obstat, quod [1] spiritualia potiora sint, quàm temporalia, & tantum eis præstent, quantum anima corpori; vel denique quod temporalia ordinentur ad spiritualia. nam potestas, quam Christiani & pii principes habêt in ecclesia Christi, ecclesiastica est & spiritualis; & potestas pontificum Rom. quam sibi in deponendis principibus arrogant, temporalis est.

[1] *Nazianzenus in orat. ad populum timore perculs.*

Argumentum ergo Bellarm. non valet; idq; *primò*, quia non omnes qui aliqua in re præstant, sunt simpliciter præstantiores. *Deinde*, quia non omnes qui honore superiores sunt, possunt inferioribus leges dare, & eos deponere, & eis officium suum abrogare. *Tertiò*, quia malè proceditur argumentando à qualitatis alicuius excellentia, ad subiecti præstantiam. *Quartò*, quia magistratus Christiani potestas excluditur ex ecclesia, cum ecclesiastica sit & spiritualis non minùs, quàm pontificis Rom. *Postremò*, quia hoc argumẽtum non minùs cuiusuis episcopi & pastoris ecclesiæ potestatem supra principes probat, quàm pontificis Romani. In eis enim multò magis eminet spiritualis potestas, quàm in pontifice Rom. at neque aduersarii volunt quemuis pastorem posse reges deponere, leges ferre, & de temporalibus omnium Christianorum disponere; neque æquum est hanc potestatem cuiuis tribuere.

Nec obstat, *quod finis temporalis subordinatur spirituali.* nam magistratus Christianus ad finem etiam spiritualem ordinatur, nempe vt sit [2] *nutritius ecclesiæ*; &, *vt tranquillam & quietam vitam hic agamus in omni pietate.*

[2] *Isai.* 49.
[3] 1. *Tim.* 2.

Non obstat secundò, *quod magistratus & clerici vnã faciunt ecclesiam.* non enim propterea sequitur, omnes ab vno põtifice pendère, sed potiùs ab vno Christo, & quoad res externas vel à principum & regũ imperio, vel à generali omnium Christianorũ concilio.

Non obstat tertiò, *quod princeps tenetur impedimenta profectus spiritualis* tollere. nam hoc facere tenetur, non ex imperio alicuius pontificuli, sed quia Christus ita præcepit: & fidei sanctissima causa hoc postulat.

Secunda ratio est, *quia nisi pontifex posset reges deponere, & de temporalib. disponere; tum possent mali principes hæreticos fouere, & fideles aduersus eorum iniurias non haberent remedium; sed illud non videtur ferendum, & hoc valde iniquum est.* Respõdeo, istam rationem multò validiùs contra pontificis Rom. quàm principum potestatem valere. nam si nulla resp. perfecta sit, nisi

vbi principes hæresim fouentes deponi possunt; tum sequitur synagogam pontificiam pessimè esse cõstitutam, quia asserunt nunc Iebusitæ põtificem Rom. à nullo deponi posse, nisi ipse velit. imò [1] negant aduersarii quenquã ei debere dicere, *Domine cur ita facis,* etsi multa animarum millia cateruatim secum ad inferos trahat. Aduersus nos certè ratio ista nihil concludit. nam vt pontifex Rom. non possit principes deponere, quod nec per mille & amplius annos aut tentasse aut optasse videtur; superest tamen & in conciliis generalibus, & in aliis principibus Christianis, & in consensu piorum spes: maximè verò in Christi prouidentia, qui religionem Christianam nunquam funditus labefactari sinet. * Quomodo autem intelligenda sint verba Bonifacii octaui *in capite vnam sanctam. de maiorit. & obedient.* frustra hîc [2] disputatur. nam siue duos habuerit gladios pontifex Rom. siue secus; non tamen propterea sequitur eum posse principes deponere. nec hoc voluit Bernardus, vbi [3] dixit *sacerdotis imperio gladium principis extrahendum esse.* imò potiùs contrarium sensit. non enim voluit gladium hunc extrahi à pontifice, sed à principe; idque pro ecclesia, & non contra ecclesiam. Præterea, loquutus est Bernardus secundùm sui temporis mores, quando iam cõfirmata erat pontificis Rom. in ecclesia tyrãnis. [4] Caluinus autem non hæc verba, sed illa quæ contra dominatum pontificis loquutus est Bernardus, ipsam veritatem quodammodo loquutam dicit.

[1] *In c. si Papa. dist.* 40.

[2] *Col.* 1066.

[3] *Lib.4. de considerat. ad Eugen.*

[4] *Instit. lib.* 4.c.11.§.11.

Tertiò dicit, *non licere Christianis tolerare regem infidelem, aut hæreticum, si ille conetur pertrahere suos subditos ad suam hæresim vel infidelitatem; & hoc pertinere ad pontificem iudicare, an rex ita faciat: & propterea ad ipsum etiam pertinere iudicare, vtrum sit deponendus, vel non sit deponendus.* Sed malè hoc formatur argumentum, vt ex terminorum constat multitudine. Deinde, non concludit quod in quæstione ponitur. agitur enim hîc, vtrum omnium temporalium dispositio ad pontificem Rom. pertineat. Bellarm. autem concludit pontificem Rom. iudicare posse, an princeps deponendus sit, necne. hoc autem quiuis sacerdos verè

catholicus, imò & homo priuatus iudicare potest, si velit; licèt nec principem propterea vel deponere, vel de temporalibus omnium Christianorum disponere possit. Tertiò, quædam hîc falsa sumit. falsum est enim *non licere Christianis tolerare regem infidelem, aut hæreticum*. idque probatur primò Christi, & sanctissimorum martyrum exemplo; deinde, authoritate Petri & Pauli, qui magistratibus infidelibus parendum esse docuerunt. neque tamen eo nomine exposuerunt Christianam religionem periculo. Imò sanguine & tolerantia Christianorum religio creuit, & propagata est.

[1] *Col. 1067.* Quod ergo respondet [1] Bellar. *ideo primos Christianos non deposuisse tyrannos, & hæreticos, quia vires eis deerant temporales*; & falsum est, & impium. Impium est dicere aut Christo vires defuisse, aut apostolos qui tot miracula operati sunt, nihil potuisse contra tyrannos & hæreticos, si voluissent: & falsum, apostolos obedientiam suasisse, & tamen rebellionem permisisse. [2] Tertullianus dicit Christianos nihil tentasse aduersus infideles, etsi vires eis non defuissent. Temporibus deniq; Constantii, & Iuliani, & Valentis, satis viribus & numero valuêre Christiani. sed fas non erat aduersus magistratum insurgere.

[2] *Ad Scapulam.*

At inquit Bellar. *Paulus Corinthios iubet iudices constituere*. Quasi verò cum imperio magistratus pugnet, iudices & arbitros rerum priuatarum cōstituere. Falsum est etiam quod dicit, *regnante Edouardo & Elizabetha, regnum Angliæ à fide defecisse*. non enim à fide, sed à perfidia & hæresi synagogæ Rom. quam Iebusitæ, sacrifici & huiusmodi impuri homines summa impudentia defendere conantur, discessimus. Interim verò miseri Itali & Hispani in tenebris ambulant, & in sordib. volutantur, & turpissimo domino seruiunt: & tamen præ stupore nihil sentiunt.

Illud autem falsissimum est, pertinere ad pontificem Rom. iudicare de hæresi, & de depositione principum. quis enim hominem trihæreticum de hæresi, & mancipium & seruulum de summis regibus ferat iudicantem?

Postre-

Postremò, falsum est quod dicit, *coniugem fidelem liberum esse ab obligatione manendi cum coniuge infideli.* disertè enim Paulus eius contrarium dicit: *Si qua mulier fidelis*, inquit [1] Paulus, *habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa; non dimittat virum suum.* [1] 1.Cor.7.

Consequentia deniq; huius rationis nulla est. nam vt non deberent Christiani tolerare magistratus infideles & hæreticos; meliùs tamen illud iudicarent domi episcopi & ordines regni, vbi testes haberi possent, & causæ omnes probationes liquidiores essent, quam qui longè hinc habitat pontifex Rom. quem omnes pro tyranno, & hæretico habent, & quem constat nullam nostri, vel religionis Christianæ curam habere, nisi vt propter veram religionem omnium piorum sanguinem exugat.

Contra nos ergo ratio hæc infirma est. at si aduersus Bellar. retorqueatur, altiùs videtur pōtificis Rom. viscera penetratura. nam si hominem infidelem & hæreticum tolerare non debent Christiani; tum pontificem Roman. nullus pius tolerare debet. cum enim multiplicis impietatis & hæresis conuictum tenemus: & hoc totus fere Christianus orbis iudicauit. tu autem Deus, qui huius impietates & scelera vides, nō tantùm iudicabis, sed etiam punies, populumque Christianum ab huius tyrannide liberabis.

Quartò concludit, [2] *principes, quando fiunt hæretici, aut religioni obsunt, ab ecclesia iudicari & deponi posse, quia cum hoc pacto expresso vel tacito recepti sunt in ecclesiam, vt sceptra sua Christo subiicerent, & pollicerentur se Christi fidem seruaturos, etiam sub pœna regni perdendi.* Sed longe aliud est, Christo sceptra submittere; aliud, pontifici Rom. se subiicere. Ad illud obligantur omnes principes totius mundi; ad hoc, nulli. Præterea, aliud est ecclesiæ iudicium, aliud pontificis Romani. hic enim nec ecclesia est, nec ecclesiæ amicus, aut alumnus. Dico insuper nullum Christianum ad baptismum admitti cum conditione perdendi res suas, si quando malè de fide sentiret. nam si hoc ita esset, tum essent sacerdotes sectæ pontificiæ ditissimi. Ad locum illum [3] Lucæ respondeo, debere omnes Chri- [2] Col. 1068. [3] Luc. 14.

stianos proponere apud se, vt patrem, matrē, vxorem, liberos, & vitam suā amittant potiùs quàm Christum. non tamen actu res suas amittere tenentur: nec debēt alii eas eripere. nusquam enim hæreticos, aut apostatas legimus res suas propter hæresim aut impietatem amisisse, vt exemplo Constantii & Iuliani apostatæ probatur.

Dico postremò, non esse pontificis vel de regni iure, vel de rege iudicare. multò ergò minus penes ipsum est, regem a iure suo excludere. Quare, licèt hæc vera essent; nihil tamen lucri inde ad pontificem Rom. perueniret; damnum autem passurus videtur præsentaneum. nam si omnes hæretici, apostatæ & infideles statim amittunt dominiū rerum temporalium, idque ex pacto tacito, aut expresso; actum esset de omni pontificis dominio temporali, & alius illi quærendus esset, extra montis Vaticani palatium, habitandi locus.

Vltima ratio est Delphicus ille gladius de quo sæpe dixi; quo Bellarminus ad omnes pontificis Rom. vsurpationes probandas subinde abutitur. nam *quia Petro dictum est, Pasce oues meas; & illi data est omnis facultas ad tuendum gregem necessaria; & quia pastores arcent lupos, includunt arietes, dant pabula ouibus; hanc triplicem potestatē Petro datam concludit.* Sed nihil hæc ad pontificem Rom. qui nec arietes cornupetas includit, nec pascit Christi oues, nec lupos noxios arcet. nihil, inquam, hæc ad pontificē, qui omni lupo crudelior, & ariete petulātior; & multos annos oues Christi deglubit, laniat, deuorat. Prętęrea, nihil hæc ad causam hāc. nunquam enim Petrus legitur de rebus temporalibus principum disposuisse, aut regnum cuiquam abstulisse, aut subditos sacramento soluisse. ne pastores quidē veri hæc vnquam fecisse leguntur. Imò nec eos ista facere potuisse, ex hac similitudine probatur. parum enim valēt argumēta à similitudine ducta, nisi in Scripturis habeant fundamētum. Conclusio etiam ista, vt aliæ fere omnes, aberrat à proposito. debuit .n. Bellar. concludere pontificē Rom. habere potestatem temporalem indirectè, & posse eum disponere de temporalibus omnium Christianorum. hęc autē ratio osten-

dit Petrum de principe posse disponere; & nihil concludit, quo minùs eius temporalia semper secundùm leges regni maneant disponenda, & non secundùm voluntatem Petri, multò minùs pro libidine pontificis Rom.

Ad exempla Bellar. multò facilius responderi potest. nam nec probant exempla, vbi digrediuntur à lege aut regula, nec talia sunt ipsius exempla, vt non appareant magnæ inter eá & pôtificis Rom casum dissimilitudines. Vzzias rex, cuius exemplo regum depositiones pontificis Rom. sententia factas probare conatur [1] Bellar. *nec eiectus est è templo, nec regnandi authoritate priuatus*, vt dicit ille. Voluit quidem ille sacerdotis officiũ [2] vsurpare; & idcirco *summus sacerdos, & cum eo sacerdotes* 80. *viri robusti steterunt contra eum, & dixerunt ei, non est tuũ, Vzzia, suffire Iehoua, sed sacerdotum filiorũ Aaron: egredere de sanctuario.* deinde cum rex non parêret, Deus eum lepra percussit, *& tum compulsus est egredi, quia percusserat eum Iehoua.* non est autem propterea regnãdi authoritate priuatus, sed, vt dicit Scriptura, *habitauit in domo libera, & Iotham ius dixit pro eo.* non dicit, regnauit pro eo, sed *ius dixit pro eo.* postea verò mortuo Vzzia, vt intelligamus eum regem fuisse vsque ad mortem, adduntur ista: *& dormiuit Vzzias, & sepelierunt eum, & regnauit Iotham filius eius pro eo.* Non ergo ex hoc exemplo probari potest pontificem Rom. posse reges deponere. Nam *primò*, non potest ea omnia facere, quæ potuit summus sacerdos veteris testamenti. non potest enim leprosos è castris, aut hominum communione eiicere. imò non potest omnem spiritualem lepram eodem modo punire. omne enim peccatum est animi lepra. at si omnes peccatores possent vel regno priuari, vel ex hominum societate exterminari, nullus esset negotii exitus. Præterea, non ita erant omnia figurata in veteri testamento, vt eadẽ sigillatim cõplenda essent in nouo. Apostolus enim 1.Cor.10. vnde aduersarii argumentum suum pro figuris istis ducunt, loquitur tantùm de rebus moralib. & non de Mosaicæ legis cæremoniis: idemque pœnas populi veteris propter pec-

[1] *De pontif. Rõ.lib.*5. *c.*8.

[2] 2. *Paralip. c.*26.

cata, tanquam exemplum, seu figuram ante oculos Corinthiorum proponit.

Secundò, non solus summus sacerdos, sed octuaginta alii sacerdotes Vzziam è templo expulerunt. at isti soli pontifici Rom. dant potestatem regno reges priuādi. Prętérea, rex licèt eiectus esset è templo, regnum tamen non amisit. Iotham enim non nisi ipso mortuo regnare cœpit. At pontifex Rom. regib. Christianis & regnum & vitam eripere conatur.

Tertiò, vt rex iste à Deo percussus, à legitimo sacerdote è templo eiectus esset; non tamen licet pontifici Rom. reges à Deo diuinitus institutos deponere, cum non sint à Deo percussi, nec ipse vllam habeat ea in re potestatem, aut authoritatem.

Postremò, non sequitur pontificem Rom. licèt par sit summo sacerdoti Iudæorum, posse de reb. principum temporalibus disponere. nam Vzziæ successit ex lege filius Iotham, & summus sacerdos non potuit vel Vzziam deponere, vel regnum eius aliò transferre.

[1] 2. Paralip. c. 23. *Ioiada* etiam *vnà cum centurionibus & præfectis exercitus Athaliam de regni solio, quod iniustè occupauerat*, [1] *deiecit & interfecit; & regnū regi Ioas restituit*. sed omnia hæc aliena sunt à causa Bellarm. nam Ioiada vnà cum regni ordinibus Athaliam; quæ regnum iniustè inuaserat, ex regni lege deiecit. at pontifex Rom. solus, & citra & contra ordinum regni consensum reges deiicit, & contra eos sæpe sententiā profert iniquissimam.

[2] Ibidem. Ille regnum regis superioris filio restituit. *Ecce*, [2] inquit Ioiada, *filius regis regnabit, sicut loquutus est Dominus super filios Dauid*. At pontifex Rom. regnum se cui vult, deferre posse iactat, nec ea in re Domini voluntatem attendit. Ioiada summus erat sacerdos populi Hebræorum, idque ex lege Dei; hic summus est regni Antichristi architectus, & caput, & disciplinæ ecclesiasticæ à Deo constitutæ perturbator. non probat ergo hoc exemplum posse pontificem Rom. reges deponere nedum posse eum de rebus temporalibus omnium Christianorum disponere. contrà verò probat, posse ipsum deponi & interfici. est enim verè sacerdos Baal, & idololatriæ summus minister. at populus

lus Dei [1] interfecit *Matthan* sacerdotē *Baal* ante aras. [1] *Ibidem.*

Ambrosius imperatorem Theodosium à sacra synaxi prohibuit, & cum eo communicare noluit: non autem more pontificum Rom. solenniter excommunicauit & diris deuouit. hoc etiam quiuis pius episcopus propter similem causam facere potuit. Imò hoc in volūtate singulorum Christianorum positum est, vtrum cum aliquo communicare voluerint, necne. ideoque sæpe intelligimus ecclesiam Antiochenam, Constantinopolitanam, Alexādrinam à communione suorum episcoporum abstinuisse: nec voluit ecclesia Rom. cū *Liberio* Arriano restituto communicare. non tamen potest quiuis episcopus reges deponere, & de bonis Christianorum omnium, imò nec de bonis sui gregis disponere. Prętérea, nec cogitandum est, Ambrosium vel imperatorem peremptoriè citasse, vel causam iudicialiter, & pro tribunali cognouisse & iudicasse. hoc ergo exemplum non quadrat. Parum etiam valet quod ad rationem hanc nutantem suffulciendam affert Bellar. vbi dicit, *Ambrosium præcepisse imperatori, vt legem ferret, vt deinceps executio sententiæ imperatoriæ ad triginta dies suspenderetur.* nihil enim habet Theodoretus de præcepto Ambrosii. contrà vero [2] dicit, Ambrosium *hortatum esse, & imperatorem præcepisse*: quod pro nostris partibus militat. Gregorii [3] priuilegium, vbi minatur *se reges, principes, & quoscunque alios, qui decretum illud suum violare attentarent, honore suo priuaturum*, à falsariis confictum est. neq; enim ea tum erat Gregorii potentia, vt hoc posset; nec loquendi superbia, vt hoc ediceret. Ipse etiam Bellarm. [4] fatetur *ecclesiam tunc non habuisse temporalia.* quomodo autē tātam rem sine armorum violentia præstare potuit? solent deniq; monachi multa falsa priuilegia, & instrumenta conficta proferre.

[2] *Lib. 5. hist. c. 17.*

[3] *Habetur in fine ep. Greg. in aliquib. exemplar.*

[4] *Lib. 5. de pōt. Rō. c. 10.*

[5] Gregorius 2. *Leoni à se excommunicato tributa vetuit solui ab Italis*, vt fatetur Bellar. Idem etiam societatem iniit cum Francis aduersus imperatorem, vt dicit Zonaras. sed nō laudem ista, sed detestationem merentur, nec probant ius pontificis, sed ipsius potiùs rebellionem, perfidiam, & idololatriam. Quo enim iure

[5] *Zonaras in Leone Isauro.*

potuit ille legitimo principi tributa negare, cùm ea [1] Paulus tyrannis & ethnicis solui mandet? quo exemplo fultus potuit imperatorem propter imaginum idololatricum cultum abrogatum excommunicare?

[1] Rom. 13.

[2] Col. 1070. At inquit [2] Bellar. *Laudant eum hoc nomine Zonaras, & Cedrenus, & omnes alii historici, qui horum temporum res gestas conscripserunt.* Sed Bellar. nec omnes nec multos legisse aut inspexisse videtur. nam Zonaras non laudat; Cedrenus huius facti non meminit. nec vllum adlium authorem fidedignum proferre potest, qui laudarit. Præterea, hæc non ex historicorum testimonio, qui laudant plerumque indignos, & quos ipsi amarũt, licèt malos; sed ex diuinis tabulis iudicanda sunt. Hoc denique exemplum ostendit pontifices Rom. eo tempore nec hoc sibi sumpsisse, vt imperatores deponerent, nec ius esse putasse. Gregorius enim ille *Leonem* anathemate obstrinxit, deponendum nec verbo quidem vno significauit: tantum abest vt deposuerit.

[3] Regino de anno 749. Zacharias *non deposuit* [3] *Childericum, nec Pipinum eius loco posuit*, vt Bellarm. malè narrat. omnes enim historici, qui rem gestam accuratè narrant, hoc ab ordinibus regni factum dicunt. adulatores autem pontificum hoc Zachariæ pontifici Rom. tribuunt, quia illis assensum præbuit, & factum eorum cõfirmauit. At hoc quiuis episcopus, imò & minutus sacrificus facere potuit, licèt de temporalib. omnium Christianorum non posset disponere. Præterea, hoc Zacharias malo exemplo fecit. neq; enim regib. quos Deus vnxit, & leges & populi approbarunt, temerè abrogandum est imperium: nec solent pii episcopi populi tumultibus & motibus aduersus principes legitimos consentire. De regno certè Galliæ certum est Zachariam nõ disposuisse. hoc enim regni ordines, & viri principes Pipino detulerunt; & Zacharias, si contra Pipinum stetisset, operam & oleum perdidisset.

Leo 3. non aliter transtulit imperiũ à Græcis ad Germanos, quàm quiuis alius è populo Romano. *Debellato Desiderio*, inquit Regino, *Carolus coronatus est, & factus est Roma in conuentu, ex senatus & procerum decreto,* patri-

patritius Rom. eique data est potestas instituendi episcopos, & archiepiscopos, eligendi Papam, & constituendi sedem Apostolicam. [1] Sigebertus dicit *Romanos vno cõsensu Carolum per manus* Leonis *coronasse.* Et sanè non multum potuit *Leo* in regno transferendo præstare, cum & ante ipsum, & postea Carolum regnum Italiæ filiis suis dedisse constet. [2] Platina dicit, Leonem *populi Romani scito & precibus Carolum diademate donasse* Similiter etiam episcopi Constantinopolitani diademate caput imperatorib. Græcis redimire soliti [3] sunt: quos tamen nemo dicit regnum eis dedisse.

1 *De an.* 801.
2 *In Leon.* 3.
3 *Zonaras,*

Transferre autem imperium verè *Leo* non potuit: idque *primò*, quia non habuit imperium. nemo autem dare potest, quod nõ habet. *Secundò,* quia armis priùs Carolus Italos debellarat, & imperium acquisierat. quis autem non stultè faceret, qui rem propriam domino daret? *Tertiò*, quia Carolus antea filium suum [4] regem Italiæ declararat. & postremò, quia antea Adrianus Leonis prædecessor *Carolo claues Petri & vexillum vrbis* [5] *transmiserat.* omnia ergo illa testimonia, quibus probat [6] Bellar. imperii translationem à *Leone* factam ad Germanos, vno verbo deleutur. dicitur enim transtulisse consentiendo, approbando, senatusque & populi Rom. decretum declarando, promulgãdo & exequendo: quod Walthramus Naumbergensis disertè ostendit. *Romani,* [7] inquit ille, *qui ab imperatore iam animo desciuerant propter tardum illius & infructuosum auxilium contra tyrannos, accepta occasionis opportunitate, quia mulier excæcato imperatore Constantino filio suo imperabat, vno omnium consensu Carolo Magno imperatorias laudes acclamauerunt, eumque per manus Leonis Papæ coronauerunt.* ei etiam [8] Sigebertus suffragatur, aliique multi. At inquit [9] Bellarm. *populus Rom. nunquã ferè habuit imperatoris creandi potestatem.* at veriùs hoc de suo pontifice dicere potuit. de populo autem Rom. dubiũ non est, quin in eo stante rep. summa fuerit potestas: & hoc imperatores olim agnouerunt, & verũ est. Præterea, nulla ratio afferri potest in contrarium. cur enim non potuit senatus populusque Rom. ab aliis desertus quod suum erat alteri deferre?

4 *Regino de anno* 81.
5 *Regino.*
6 *Libr. de translat. imperii.*
7 *De inuest. episcop.*
8 *De an.* 801.
9 *Col.* 1072.

[1] *Col.* 1071. [1] Dicit etiam *imperatores, qui fuerunt à tempore Caroli Magni pontifici debere suum imperium.* at ipsi nihil debēt pontifici, nisi malum. ab ipso enim crebrò oppugnati, & tandem Româ expulsi nihil habent nunc imperatoris Rom. præter nomen. vrbem & Italiam eis eripuit pontifex Rom. & homo ingratus hanc illis gratiam retulit. ab illis, inquam, opibus cumulatus aduersus ipsos calcaneum eleuauit.

Gregorius quintus electores imperatoris constituere non potuit. nam ius illud primò hæreditariū erat: post ea lege [2] Caroli factū est electiuum: quoniam autem iam rerū potiente pontifice accessit ipsius confirmatio, idcirco nonnulli hoc illi acceptum ferunt: & inde fabulæ huius origo primùm manauit, & postea assentatorum crebris testimoniis ad plures peruenit.

[2] *In consuet. Saxonia.*

Postremis verò his temporib. Gregorius 7. contra Henricum 4. Innocentius 3. contra Othonem, Gregorius 9. & Innocentius 4. contra Fridericum 2. Clemens 6. & Ioannes 22. contra Ludouicum Bauarum virus omne suum euomuit, & manibus & pedibus, vt aiunt, eum deponere tentauit.

Sed nihil quisquam eorum profecit. eorum enim sententias, minas & fulmina imperatores contempsere: copias rebellium fuderunt: ius suum fortiter aduersus pontifices propugnarunt.

Præterea, Deus hanc eorum insolentiam sibi displicere ostendit. sedes enim *Gregorio septimo*, quando ad sententiam pronuntiandam contra Henricum quartum surrexit, discissa & confracta est: postea que ipse in exilio dolore contabuit. Innocentius quartus in latere diuinitus percussus & extinctus est. Gregorius 9. & Innocentius 3. mœrore confecti obierunt. Clemēs 6. veneno extinctus est.

Pœnituit etiam Gregorium 7. facti sui. *Cōfessus est Deo,* inquit [3] Sigebertus, *& sancto Petro, & toti ecclesiæ, se valde peccasse in pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat, & suadente diabolo, contra humanum genus odium & iram concitasse.*

[3] *An.* 1085.

Omnes deniq; pii & boni ciues hanc Paparum aduersus reges & imperatores insaniam detestati sunt.

Ipse

Ipse Papa, inquit Petrus [1] de Ferrariis, *in ipsum imperatorẽ nititur superioritatem habere; quod ridiculum est dicere, & abominabile audire.* Angli audientes se excommunicatos, quòd Ioanni qui regnum suum Papæ tributarium fecisset, repugnantes essent: *& regi & Papæ*, vt inquit [2] Matthæus Paris, *male dixerũt.* Bonifacium 8. Philippus Pulcher *fatuum* vocauit, *quod sibi regem in temporalibus subesse dixisset.* Gregorii noni excommunicationibus nullus fidem adhibuit *propter eius sedis simoniam & insatiabilem cupiditatẽ*, vt significat [3] Matthæus Paris. [4] Richardus Cornubiæ comes *cum audisset Papam regi Henrico donasse regnum Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ; risit, & dixit eum similiter facere, ac si diceret, Do tibi lunam, ascende & apprehende eam.* Debuit ergo Bellarm. si causam suam obtinere voluisset, legibus potiùs quàm pontificum sceleratissimorum & superbissimorum exemplis pugnare. hæc enim potiùs odium merentur, quàm fidem.

[1] *In practic. in form. act. confess.*
[2] *In Ioanne.*
[3] *In Henr. 3.*
[4] *Ibidem.*

Pontificem Rom. non posse imperatorem aut regem aliquem Christianum excommunicationis suæ legibus subiicere. CAP. XII.

DE excommunicatione & depositione principum confusè disputat Bellarm. quia quos pontifices Rom. nunc excommunicant, eos etiam de regno deiicere solent. At longum erat antiquitus inter exclusionem à sacris, & depositionẽ interuallũ, vt ex Theodosii exemplo, cui Ambrosius sacra interdixisse fertur, satis liquet. Nos, euersa superiore Bellar. disputatione, & de excõmunicatione & depositione principum seorsim agendum censuimus. in istis enim nerui totius regni pontificii consistunt: & neruis istis excisis, omnis eius potestas euanescit.

Verùm vt melius intelligatur qua de re agatur; *primò* exponendum videtur, & quid per excommunicationem nos, & quid aduersarii intelligant. Antiquitus certè excommunicatio nihil aliud erat, quàm exclusio à sacris, & societate Christianorum. Eius figura in lege erat leprosorum è castris eiectio. vsum autem

docuere apoſtoli, qui homines [1] impios, & [2] ſceleratos Satanæ tradidêre. epiſcopi etiam huiuſmodi homines à ſacris arcuerunt. atque ita olim per excommunicationem vincula omnia abrumpebātur, quibus fideles inter ſe coniungebantur: manebant tamē excommunicatis ciuium & gentium iura integra.

Nunc autem excommunicationis antiquæ formulam & naturam pontifices Rom. prorſus immutarunt. quos enim illi [3] excommunicant, eis obedientiā ſubditorum, ſolatium amicorum, ciuium ſocietatem, & communia humanitatis iura adimunt. Imò, negant filios parentibus, vxores maritis, ſubditos regibus excommunicatis obſtrictos teneri. neque tantum viuis ciuium & hominum cōmunia iura tollunt, ſed etiā defunctos ſepultura prohibent. Præterea perfidiam in pactis, & periuria aduerſus principes & amicos, & contumaciam liberorum aduerſus parentes, & cædes & ſcelera ſuadent. contractus denique & teſtamenta diſſoluunt. at iſta cenſuram eccleſiaſticam antiquitus non ſequebantur. Verè ergo dicimus excommunicationes Papales nullas eſſe, & iniquas: idq; *primò*, quia nullum habent pontifices Rom. ius excommunicandi. Hoc autem probatur, quia ius illud ex poteſtate clauium pendet. claues autem quibus regnum cælorum aperitur & clauditur nullus habet, niſi cui eas Chriſtus dedit. at Chriſtus eas non dedit pontifici Rom. dedit enim eas [4] apoſtolis & apoſtolorum legitimis & veris ſucceſſoribus. [5] Auguſtinus dicit eas in Petro datas eſſe eccleſiæ. *Eccleſia*, inquit Auguſtinus, *claues regni cælorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt.* At nos multis oſtendimus pontificem Rom. non eſſe Petri, aut alicuius apoſtoli ſucceſſorem. quod breuiter ex eo etiam demonſtratur, quia nec paſcit oues, vt Petrus, nec in doctrina permanet Petri, nec mores colit Petri. [6] Gregorius dicit *iis ſolis datas eſſe claues ligandi & ſoluendi, qui apoſtolorum exempla ſimul cum doctrina tenent.* Similiter etiam [7] apud Lombardum Origenes: *Hæc poteſtas,* [8] inquit, *ſoli Petro conceſſa eſt, & imitatoribus Petri.* Præterea, claues à verbi prædicatione non ſeparantur. datæ ſunt enim apoſtolis

tantùm

[1] 1. Tim. 1.
[2] 1. Cor. 5.
[3] Hæc omnia probātur ex Bullis Pauli 3. aduerſus Henricum 8. Angliæ regē: Pii quinti, & Sixti quinti aduerſus Elizabetham, regē Nauarræ & principem Condæum. & ex legib. Papalib. de excōmunicatione extr. de ſent. excom. per totum.
[4] Ioa. 20. & Matth. 18.
[5] In Pſ. 108. & de agon. Chriſt. c. 30.
[6] Sup. Euāg.
[7] Magiſt. ſent. lib. 4. diſt. 19. §. 2.
[8] Lib. 4 ſent. diſt. 19. & 24. q. 1. manet.

tantùm, qui missi sunt prædicatum omni creaturæ. & non aliter habent authoritatem, quàm à verbo Dei. At verbum Dei non tractat pontifex Romanus, nec secundùm verbi authoritatem, sed secundùm proprias suas decretales aperit & claudit: imò furiosè pios persequitur & execratur.

Secundò probatur pontificis Rom. excommunicationes nullas esse & iniquas, quia excommunicatus est, & multorum grauissimorum criminum conuictus.[1] excommunicatus autem, vt ipsi fatentur, non potest alios excommunicare. neq; debet criminosus de aliorum criminib.[2] iudicare. Quin autem excommunicatus sit, & grauissimorum criminum reus & conuictus, negari non potest. nos enim ostendimus eum esse hæreticum; & res ipsa docet. Simoniam pontificis totus mundus agnoscit. Est etiam falsarius, & non tantùm scriptis veterum, sed etiam sacris Scripturis manus attulit. Incendia insuper per totum orbem iamdiu excitauit. At canones tales excommunicatos pronuntiant, & ipsi non[3] negant.

Certum est etiam ipsum aliorum criminum grauissimorum teneri. nam cædes multorum innocentissimorum hominum per Angliam, Galliam, Belgium, Germaniam, & alias regiones sępe instaurauit. sicarios & veneficos ad tollendam serenissimam Angliæ reginam Elizabetham conduxit & submisit. cædem nefariam Henrici 3. Gallorum regis probauit. rebellionem nuper coniuratorum in Gallia contra Henricum 3. & 4. ipse excitauit. Similiter ad defectionem alios populos per emissarios suos solicitauit. periuria denique & perfidiam subditorum aduersus principes laudat. atque hæc publica sunt. Si autem interiorem & domesticam vitam spectes; non dubium est, quin sit flagitiosissimus. ex vno[4] Ioanne 23. quales sint reliqui omnes, coniecturam facere licet.

Tertiò, certum est *excommunicatum à non suo iudice, non ligari.* nam hoc pontificii iuris[5] interpretes cōcedunt: & ratio docet. At nos ostendimus pontificem non esse iudicem populi Christiani: & certum est episcopos primos Rō. suburbicas tantū ecclesias curasse.

[1] *c. audiuimus. & c. apertè 24. q. 1.*

[2] *l. neganda. Cod. de his qui accus. nō possunt: & l. si quireus, ff. de publ. iud. & ibi doct.*

[3] *C. ad abolendā, de hæreticis. & tit. de excomm. per tot. & c. dura. de crimine falsi, & c. tua nos. de incend.*

[4] *Articuli contr. Ioan.* 23. *in appendic. concilii Constant.*

[5] *C. ad nostrā. de consuetud. cum suis concordant. in gloss. & extra de foro compe tent. per tot.*

neque sanè ante annum Domini millesimum, supra summos principes pontifex Rom. aliquod sibi ius arrogasse videtur.

1 *Matth.* 18. Quartò, Christus ecclesiam non audientes haberi tantùm [1] iubet *velut ethnicos & publicanos*: non autem soluit ciuiū, aut naturæ iura. At pontifex Rom. eos qui se nō audiunt, & ciuium, & gentium, & naturæ iure priuat. neq;.n. ratos habet eorum cōtractus, nec ab eis testamenta fieri sinit, nec sepulturæ ius eis cōcedit: imò subditos aduersus principes, & contrà concitat; & filios aduersus parentes armat, & iura omnia humana & Diuina suis anathematismis turbat.

2 *Leuit.* 19. Deus periuria vetuit. *Non periurabis*, inquit [2] Dominus, *in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui.* hoc etiam
3 *Numer.* 30. Moses docuit. *Iste*, inquit [3] Moses, *est sermo, quem præcepit Dominus: si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum.* Ab ethnicis etiam iuramenta religiose seruata
4 *Paul.* 3. *in Bulla contr. Henr.* 8. *Gregor.* 14. *in monitor.* sunt: *μήτ' ἐπιορκήσῃς*, inquit [4] Phocylides, *μήτ' ἄγνως, μήτε ἑκόντι.* At pontifex Rom. iuramenta principibus data seruari vetat, & religiosè seruantibus anathema dicit. Asserit quidem se dispensare posse cum periurio, & habere potestatem iusiurandum irritum facere. sed quàm nihil possit, dies tandem Domini reuelabit, & hoc ipse & omnes ipsi adhærentes proditores patriæ, & rebelles sentient: nonnulli sanè nunc sentiunt.

5 *In prouerb.* Impiorum est, fœdus solenniter ictum, & pacta conuenta violare. *Malo* inquit [5] Seneca, *successum mihi deesse, quàm fidem.* pontifex autē Rom. anathematismis suis ad fœdera, & contractus, & pacta violanda impellit, & eos, qui nolunt se scelere obstringere, excommunicat.

6 *Deut.* 21. Filius proteruus & contumax olim lapidibus obruebatur ex lege [6] Mosis. iste autem per anathematismos suos filiis contumaciam & rebellionem aduer-
7 *Exod.* 20. sus parentes excommunicatos suadet. Deus [7] mandat, *vt parentes honoremus* isti contra mandant, ne quos ipsi proscribunt, honoremus.

8 *Rom.* 13. [8] Apostolus Paulus omnem animam hortatur, vt se sublimioribus potestatibus subiiciat; & Petrus regem hono-

honorandum esse monet. atque hæc illi de ethnicis præceperunt. At pontifices Rom. contrà deterrent subditos ab obedientia & honore regibus Christianis præstando; & tributa eis pendenda negant, quando in excommunicationem incidunt. *Gregorius*, inquit [4] Zonaras, *imperatorem synodico anathemate obstrinxit, & vectigalia quæ ad id vsq; tempus imperio inde pendebantur inhibuit, icto cum Francis fœdere.* [5] Paulus tertius, *soluit subditos à sacramento Henrico octauo Angliæ regi dato, & monet ne deinde ei vlla in re obediant.* obedientes verò minis terret. [6] *Serui Dominis carnalibus obedire iubentur cum timore & tremore.* At [7] Paulus tertius monet *fautores, consultores, complices, & subditos Henrici 8. ne ipsi assistentiam præbeant, aut ei obediant*; & vinculum obedientiæ inter seruos & Dominos abrumpit.

[4] *In Leone Isauro.*
[5] *Sander. de schis. lib. 1.*
[6] *Ephes. 6.*
[7] *Sanderus vbi supra.*

Dauid [8] benedixit viris *Iabesh Gilead*, qui corpora Saul & filiorum sepelierunt. at Papa Rom. excommunicatos sepeliri non vult, & effodit quandoq; iam sepultos: eosq; coruis prædam futuros insepultos proiici cupit.

[8] *2. Reg. 2.*

Pacta & contractus ex iure gentium descendunt; neque quicquam cogitari potest iniquius, quàm vt pactis conuentis nō stetur. at Paulus [9] ille tertius fœdera inita cum Henrico 8. Angliæ rege irrita facit, & nulla.

[9] *Sanderus de schism. lib. 1.*

Libertas est iuris naturalis; & bona ciuium partim ex iure naturali, partim ex ciuili possidentur. at excōmunicatos [1] Paulus tertius in seruitutem tradit, & bona eorum occupantibus concedit.

[1] *Ibidem.*

Testamenta iure gentium rata habentur. at pontifex excommunicatis ius eripit testandi, & testamenta iam facta irrita facit. Rex Nauarræ, qui partes Ludouici duodecimi sequutus est, à Iulio secundo *multatur regno & omnibus fortunis*, vt inquit [2] Antonius Nebrissensis: *non modò ipse, sed vxor, & filii, cum omni posteritate sua, & in Hispanum omne ius regnandi transfertur.* At ethnici & publicani ita non tractabantur vel à Iudæis, vel à Christianis. Constat ergo excommunicationes papales esse contra legem Christi, & iura etiam gentium, & naturæ.

[2] *Lib. 1. de bello Nauarrens. c. 3.*

Quintò, sacerdotes Iudæorum nusquam leguntur vel subditos à sacramentis fidelitatis, quæ principibus excommunicatis dederant, soluisse, vel pacta conuenta cum huiusmodi hominibus inita fecisse irrita, vel testamenta eorum nulla esse pronuntiasse, vel aliquas huiusmodi excommunicationes cōtra principes fulminasse, quales contra Henricum 8. Angliæ regem Paulus tertius, vel contra Elizabetham reginam serenissimam impius ille Pius Quintus, vel contra regem Nauarræ & principem Condæum Sixtus quintus pronuntiauit. Cōstat ergo excommunicationes pontificum contra principes cum more veteris populi Dei pugnare.

Sextò, pugnant excommunicationes papales cum praxi ecclesiæ apostolicæ. nusquam enim legitur Petrus vel aliquis Apostolus ad hunc modum aliquem excommunicasse, vel regem, vel priuatum.

Septimò, pugnant pontificum Romanorum recentiorum excommunicationes cum censuris veterum episcoporum Rom. veteres enim episcopi à sacris tantùm arcebant excommunicatos: iura illis ciuitatis, & humanitatis non eripuere.

Octauò, pugnant excommunicationes istæ cum natura apostolicæ censuræ. hæc enim medicinalis est: illæ autem exitiales. [1] Apostolus Corinthium Satanæ tradidit, *vt anima eius salua esset*. pontificis autem Romani excommunicationes nihil aliud spirant, quàm odium & malitiam, & animarum exitium.

[1] 1. Corin. 5.

Nonò, pugnant cum statutis & regulis patrum antiquorum. Illi enim tantùm anathema dixerunt excommunicatis: non autem vel parentibus liberorum, vel maritis vxorum obsequia eripuerunt. Præterea, nec testamenta, aut contractus legitimos irritos pronuntiarunt. imò filios, vxores & seruos cum excommunicatis communicantes, à vinculo anathematis [2] excipiunt. illi denique tantùm hæreticis, impiis, sceleratissimisque hominibus; isti optimo cuique anathema dicunt, longeque aliter quam patres ecclesiæ sanctissimi censent, & pronuntiant.

[2] 11. q. 3. cap. quoniam.

Decimò, infinita mala ex hac pontificum Rom. in excom-

excommunicandis regibus licentia in remp. Christianam redundarunt. Quamprimùm excommunicatus est Henricus quartus imperator, statim Germania & Italia bellorum incendiis cōflagrare cœpit. Ex Henrici quinti, & duorum Fridericorum excommunicationibus, sectæ, schismata, cædes, direptiones, incendia, vastitates sequutæ sunt. Ex istis dissensionibus captata occasione, Turcæ in Christianorum prouincias irruptione facta magnam cladem eis intulerunt. Recentia adhùc sunt Galliæ & Angliæ vulnera, quæ pontificum Rom. superbia eis per excommunicationes principum inflixit.

Bonifacius nonus Sigismundum Hungariæ regem excommunicauit, & deposuit: *vnde*, vt inquit [3] Theodoricus à Niem, *clades hominum innumerabilium, ac ecclesiasticorum & piorum locorum, & monasteriorum enormis destructio, incendia ciuitatum, oppidorum, villarū & castrorum, necnon infinita alia mala, quæ guerra secum producunt, diu vigentia subsequebantur, quia nō sine multorum dispendio reges deponuntur.*

[3] *De schism. lib. 2. c.* 18.

Reges verò quid certi habent, vbi pontifici Rom. potestas conceditur ipsos excommunicandi? facilè enim aduersus eos causam reperit, vbi in illos sæuire statuit. [4] Ioannes rex Angliæ, quòd Stephanum Langtonum, à papa sibi in archiepiscopum Cantuariensem obtrusum, admittere noluit, magnum discrimen adiit. Fridericus secundus, quod aduersus Saracenos iubente pontifice expeditionem suscipere noluisset à Gregorio nono anathemate [5] percussus est. Philippus Pulcher à Bonifacio 8. diris deuotus est, quòd ipsius in temporalibus potestatē negasset. Neq; vllam habuit causam Iulius secundus cur Ludouicum 12. regem Galliæ deuoueret, & Satanæ traderet, nisi quòd, ipso iubente, de Italia & iure suo decedere nollet. interim verò vrbes affliguntur, vastantur agri, vexatur populus, religio labefactatur.

[4] *Matt. Paris in Ioanne.*

[5] *Matth. Paris in Henr.* 3.

Postremò, has pontificum Rom. excommunicationes plurimi reprehenderunt, velut nouas & iniustas. *Lego & relego*, inquit [6] Otho Frisingensis, *Romanorum regum & imperatorum gesta, & nusquam inuenio*

[6] *Chron. lib.* 6. *cap.* 35.

quenquam eorum ante hunc à pontifice Rom. excommunicatum. loquitur ille de Henrico quarto.

7 *In Henr. 2.* *Dixit rex Franciæ,* inquit 7 Matthæus Paris, *ad ecclesiam minimè pertinere, in regem aliquem, maximè Francorum, per sententiam suam animaduertere.* per ecclesiam autem, pro more loquendi pontificio, intelligit pontificem Rom. Quod Gregorius septimus, excommunicato Hērico quarto, subditos à fidelitatis sacramēto absoluisset, hoc patres 8 synodi Brixinēsis dixerunt *hæresim sapere.*

8 *Beno Cardinalis.*

9 *In vita Gregorii 7.* *Imperatorem Henricum quartum* (inquit 9 Beno Cardinalis de Gregorio 7. verba faciēs,) *tanquam à suis destitutum anathematis gladio feriendum decernit. cuius rei nouitate eò vehementiùs indignatione motus suscepit imperium, quòd nunquam ante hæc tempora huiusmodi sententiam in principem Rom. promulgatam cognouerat.* Idcirco ab episcopis coadunatis dicit eum *velut pseudomonachum, & hæreticum fuisse exufflatum.*

1 *In chronic. de ann.* 1088. *Pace bonorum omnium,* inquit 1 Sigebertus, *dixerim, hæc sola nouitas, non dicam hæresis necdum in mundo emerserat, vt sacerdotes illius, qui dixit regi, apostata; & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum; quod malis regibus nullam debeat subiectionem, & licèt eis sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur; qui contra regem senserint; imò, qui regi paruerit pro excommunicato habeatur, qui contra regem fecerit, à noxa periurii & iniustitiæ absoluatur.*

2 *De temporib. Greg. 7.* *Pernitiosissima,* inquit 2 Auentinus, *seditio, &, vt pace bonorum dixerim, hæresis pestilentissima est, principibus à Deo datis non esse parendum, verùm eos fraude, vi, quouis modo esse tollendos, docere. periuria, homicidia, ciuilia bella, cædes, perfidiam, pietatem vocant.* Idem 3 dicit, *pontificem temere abuti clauibus, & causam præbere contemptui religionis, dum imperatorem excommunicat.*

3 *Ibidem.*

4 *De reform. eccl. consid. 2.* *Causa dispositiua schismatis Græcorum,* inquit 4 Petrus de Alliaco, *inter alias vna fuit propter grauamina ecclesiæ Rom. in exactionibus, excommunicationibus, & statutis,* ideò dicit, *gladium ecclesiæ factum contemptibilem.*

Romæ, inquiunt [5] Germani, *cæterisq; in locis per ecclesiasticos iudices multi Christianorum ob causas profanas, ob pecuniæ denique ac turpis quæstus amorem excommunicantur.* Inde dicunt *infirmorum conscientias aggrauari*, & petunt à pontifice, *ne vllus excommunicetur, nisi conuictus de crimine hæresis.*

[5] *Grauam Germ. c.54.*

Contradicentes lucro suo excommunicabant, inquit [6] Huttenus: ideoque pontifices Rom. *non pastores, sed lupos; non custodes, sed proditores & fures* esse dicit.

[6] *Apud Orthuin. Grat.*

Ludouicus duodecimus rex Galliæ à Iulio secundo excōmunicatus est. sed adeo hominem, & minas eius contempsit, vt vinculi non multùm curaret solutionem. Postea ad bellum profecturus nummos cum hac inscriptione procudi fecit, *perdam Babylonē.* neq; enim vlla re magis pontifex Rom. se Antichristum esse declarauit; quàm quòd aduersus principes Christianos se tam insolenter gesserit.

Per istas excommunicationes creuit pontificum Rom. potentia, adeò quidem, *vt qui primis temporibus ab imperatoribus confirmati sunt*, vt inquit [7] Machiauellus, *postea ipsos imperatores confirmarint.*

[7] *Lib 1. hist. Florent. ad Clem. 7.*

At, inquit [8] Bellarm. *Theodosium propter cædem factam Thessalonicæ excommunicauit Ambrosius.* Sed nihil magis euertit causam aduersariorum, quàm hoc exemplum. Ambrosius enim imperatorem *tantùm ab ecclesia arcuit, & à sacramentorum communione seclusit*, vt inquit [9] Sozomenus, non deposuit, non soluit sacramento fidelitatis subditos, non concitauit aduersus ipsum milites: nihil denique eorum fecit, quæ isti solent. quæ ostendunt multùm interesse inter excommunicationem Ambrosii, & recentiorum pontificum Romanorum.

[8] *Lib. 5 de pont. Rom. cap. 8.*

[9] *Lib. 7. hist. c. 24.*

[1] Asserit præterea *Leonem Isaurum à Gregorio secundo excommunicatum fuisse.* sed neque Gregorius iste rectè aut piè fecit; nec tanta improbitate tamen vsus est, quanta recentiores pontifices Rom. solent. neque enim Græcos contra imperatorem concitauit, nec vitæ eius insidiatus est, quod ego ex historicis intelligere potui.

[1] *Vbi supra.*

[2] Alanus noster *aut Numerianum, aut Philippum ob*

[2] *Aduer. Institiam Brit.*

regii pueri cadem à Babyla martyre excommunicatum, & à Fabiano pontifice Romano ad pœnitentiam adductum fuisse scribit. Sed nec ipse certus est; quis iste fuerit imperator; nec magnam fidem hæc narratio meretur. nam tempore Babylæ nullus fuit Christianus imperator, & de Philippo *tenuis tantùm erat fama, illum Christianus fuisse*, vt ex [3] Nicephoro colligitur. omnes enim historici consentiunt, Constantinum primùm fuisse imperatorem Christianum. Verùm vt admittamus hunc imperatorem nescio quem à Babyla *fuisse manu repulsum, & à sacris exclusum*, vt dicit [4] Chrysostomus; & Fabianum *non admisisse Philippum ad preces Christianorum*: multò tamen minus hoc est, quàm quod fecit aduersus Henricum VIII. Paulus tertius, & quod vulgò nunc faciunt pontifices Romani. nusquam enim illi leguntur aut ad defectionem solicitasse imperatorum subditos, aut ad cædem & pestem eorum subornasse sicarios, & veneficos.

[3] *Lib. 5. hist. c. 25.*

[4] *Contra gentiles, siue de vita Babylæ.*

Arcadium etiam ab Innocentio, propter iniurias Ioanni Chrysostomo illatas, ab Innocentio primo dicunt aliqui excõmunicatum fuisse. Sed præter [5] Nicephorum, scriptorem alioqui non adeo magna fide dignum, nullus author antiquus hoc scripsit. Neq; sanè verisimile videtur. omnes enim narrant Innocentium nihil Chrysostomo opitulari potuisse, licèt multum eo nomine imperatori supplicarit. Verùm vt hæc ita gesta fuerint; nihil tamen Innocentius seruauit eorũ, quæ nunc in excommunicationibus papalibus solennia sunt. non ademit illi regnum, non posuit eius vitæ insidias, non soluit fœdera contracta cum sociis, non fecit irritum ipsius testamentum, non prohibuit corporis sepulturam.

[5] *Lib. 13. c. 34.*

Ad reliquas Bellar. rationes iam antea responsum est hoc superest ergo solùm, vt omnes principes Christianos, qui suam operam ad iniquissimas pontificis Rom. excommunicationes exequẽdas locarunt, hortèr & moneam; ne se diutiùs huius hominis scelerati ministros præbeant. satis enim iam sanguinis Christiani fusum est; & homo iste peccati nulla pœna piorum

rum satiari potest. sed Deus pœnas huius sanguinis iniustè effusi, & ab ipso, & ab eius ministris repetet.

Non habere pontificem Rom reges deponendi potestatem.
CAP XIII.

QVamuis homines facinorosos & audaces ad scelera perpetranda sæpe libido, sæpe auaritia incitet; facta tamen & perpetrata non raro inficiantur propter pudorem. verecundia enim [1] afficiuntur, quorum malefacta patent. At pontifices Rom. licèt aduersus reges & principes Christianos plurima malè fecerint, & faciant; eorumq; vt colla, sic maiestatem pedibus proteruè & insolenter conculcarint; nihil tamen occultant, aut negant. imò in istis maximè exultant, & gloriantur. Deniq; ne quis pontificum superbiam & crudelitatem ignoret, quæ aduersus illos superbè & crudeliter fecerunt, ea in tabulis & parietibus aulę suę depingi curarunt. atque ita factum est quod dicit [2] Plato, *Vt audacia in eis impudentiam pepererit. Quantum* [3] *sol luna, tantum scilicet se imperatoribus præstare,* dicunt omnesq; suas molitiones & bella suscepta aduersus imperatores, iustè gesta esse defendunt. hanc ipsorum impudentiam si frangere non licet, at saltem retundere solidis argumentis aggredimur, vos interim aduersariorum audaciam & stuporem animaduertite.

[1] *Aristot. rhet. 2.*

[2] *Lib. 5. de legibus.*

[3] *c. solitæ. de maiorit. & obed.*

[4] Bellarminus *reges & imperatores ab ecclesia iudicari, & à principatu deponi posse* dicit. puduit fortasse eum *à pontifice* dicere; sed per ecclesiam tamen nullum alium intellexit. [5] Dicit enim postea pontificem Roman. *per commodas rationes debere eos cogere ad hæreticos & schismaticos puniendos.* per commodas autem rationes intelligit rebellionem subditorum, bella, cædes principum, veneficia, insidias. huiusmodi enim commodis rationibus pontifices Romani vti solent. Hoc Alanus, quem ex famelico parasito, famelicum fecerunt cardinalem, apertè eloquutus est. [6] dicit enim *reges excommunicatos armis è regno exturbandos, & quouismodo trucidandos & tollendos esse.* Atque hæc se sentire pontifices Rom. factis suis satis demonstrarunt.

[4] *Lib. 5. de pont. Rom. c. 7. in 4. rat.*

[5] *Ibid.*

[6] *Cap. 5. aduersus insitiam Britannia.*

7 Beno Cardin. in vit. Gregorii 7. *8 Matt. Paris in Hen. 3.*

Nam 7 Gregorius 7. per sicarium vitæ imperatoris Henrici 4. insidiatus est: & [8] Innocentius 4. per Manfredum Fridericum 2. per veneficium, Conradum imperatorem sustulit. Nuper etiam Henricum 3. Galliæ regem, bello coniurati oppugnarunt, & cum sic nihil proficeret, per nefarium Dominicanum eũdem crudelissimè interfecerũt. Per sicarium etiam principem Auraniensem; per veneficos Casimirum, & Christianum Saxoniæ ducem sustulerunt. Aduersus Elizabetham serenissimam Angliæ reginam, & arma, & dolos, & venena tentarunt. sed Deus malum hoc auertit, & in caput aduersariorum conuertit. Similiter etiam multa contra Henricum 4. Galliç regem machinati sunt. Quis ergo satis eorum scelera detestetur? 9 Spiritus sanctus eos non dubitat *impios dicere, qui dominationem spernunt, & maiestatem blasphemant.* Antiqui etiam canones [1] *clericum deponendum, & laicum à communione remouendum pronuntiant, qui imperatorem vel contumelia afficeret.* Isti autem non tantùm contumelia afficiunt, sed planè dominationem spernunt, & maiestatem blasphemant. homines, inquam, stolidi & inepti, & non nauci, reges se deponere posse iactant. atq; hoc aduersus Elizabetham Angliæ reginam homo impurus, sordidus, impius, qui ex mendicantium fraterculorum lustris ad coronam triplicem euectus erat, & se Pium 5. dixit, tentare non reformidauit. Sixtus etiam Quintus fraterculus furiosus, aduersus regem Nauarræ & principem Condæum fulmen suum trisulcum, seu tristultum potiùs, eiaculatus est. neque quisquam est adeo minutus & contemptus pontificulus, qui non putet se vel reges summos de solio deturbare posse. Quam ipsorum insaniam miror orbem Christianum aut antea tam diu ferre potuisse, aut nunc aliquos vlteriùs pati. Nam vt multa habeant Papistę absurda & noxia dogmata; nihil tamen defendunt magis absurdũ aut noxium, quam hoc de depositione principum: quod ex subiectis probatur argumentis.

9 Epist. Iudæ. *1 Canon. apost. 83.*

Primò, nec ipse Christus Iesus rex noster principes politicos de gradu deiicere voluit, licèt regno suo plurimùm

timùm aduersarentur. Meruit quidem Herodes: & ipse audiens regem Iudæis natum esse, hoc valdè metuit. sed longè alterius generis erat Christi regnum, & de regno terreno nullam ille Herodi litem intendit. In eam sententiam [2] Augustinus Christum ita loquentem introducit: *Audite omnia regna terrena, non impedio dominationem vestram in hoc mundo: regnum meum nō est de hoc mundo.* Quod ergo pontifices Rom. impediunt dominationem regum, & eis regna auferunt, ostēdunt se Antichristos esse potiùs, quàm Christi vicarios.

[2] *Tractat. 105. in Ioan.*

Secundò, Christus noluit hæreditatem diuidere inter fratres. *Homo*, inquit [3] ille, *quis me constituit iudicē, aut diuisorem inter vos?* At si nec priuatorum hominū negotia componere, nec vnius hæreditatem diuidere voluit, multò minùs regni iura publica iudicare, & ipsum regnum aliquibus adimere, aut dare, ad ipsius officium pertinuit. quo ergo iure inuadunt hoc officium pontifices Romani? Respondet [4] *Turrecremata* primò, *noluisse ipsum de tam paruis iudicare.* Quasi verò, qui parua voluit, maiora sui officii impedimenta vitare noluerit. Respondet ergo secundò, [5] *Christū noluisse esse diuisorem, quia hoc ad Diabolum pertinet, diuisorem esse inter communitatem.* Bellè sanè, & appositè. nam pōtifex Rom. qui in se hoc munus regni diuidundi, & diuisiones in populo faciendi assumit, ostendit se ea in re Diaboli potiùs quàm Christi vicarium. interim verò stat nostrum argumentum, non posse ipsum totum auferre, qui nec partes facere potest.

[3] *Luc. 12.*
[4] *Lib. summa 2. c. 116.*
[5] *Ibidem.*

Tertiò, ad regem & imperatorem hoc maximè pertinet, posse reges deponere, & regna transferre. illi enim maximè sunt reges, qui summam habent potestatem. At pontifex, vt pontifex, non dicit se regem esse & imperatorem. imò Christus noluit rex fieri, & negauit *regnum suum esse de hoc mundo.* quo ergo iure pontifices Rom. hanc sibi arrogant potestatem supra reges? Respōdet [1] Turrecremata, *Christum regē esse.* Pulchrè sanè. nam turpe est vicarium esse regem, vbi Dominus rex esse noluit. sed Christus tamen negauit se regnum habere mundanum. quis ergo non potiùs Christo

[1] *Vbi supra.*

credat? quis, inquam, non potiùs Christo credat, qui est Veritas, quàm parasitis pontificis, qui ex mendaciis toti conflati videntur?

Quartò, Christus Petro dedit claues, non regni alicuius terreni, sed regni cœlorum. *Tibi*, inquit, *dabo claues regni cœlorũ*. At nõ potest, nec debet pontifex Rom. plus sibi arrogare, quàm Petrus habuit. Respondet

2 *Ibidem.* 2 Turrecremata, *ad claues regni cœlorum pertinere disponere de rebus temporalibus*. At hoc impudentissimè dicitur. nam si hoc ita sit, tũ omnes legitimi pastores, quibus in Petro claues datę sunt, reges deponere possunt; & reges summi erũt omnium hominum infimi & cõtemptissimi. nam non minùs habent claues regni cœlorum episcopi & presbyteri, quàm pontifices Rom. Præterea, si Petrus hoc existimasset ad apostolicum suum officium pertinere; tum ille Neroni truculẽtissimo & sæuissimo tyranno imperium abrogasset. quî enim minùs potuit Neronem, quàm Ananiam & Saphyram occidere, si de rebus temporalibus iudicium ad se pertinere putasset?

Quintò, Christus apostolis suis vetuit hoc summũ

3 *Luc.* 22. imperium. *Reges gentium*, inquit [3] Christus, *dominantur eis, vos autem non sic.* nulla autem maior inter gẽtes fuit potestas, quàm vt aliquis summis regibus regna adimeret. hoc enim aut imperatorium est, aut supra

4 *Apud Senecam in lib. de clemẽtia.* imperatorum facultatẽ. *Ego*, [4] inquit Nero, *ex omnibus mortalibus placui, electusq; sum, qui in terris deorum vice fungerer*, &c. *quos reges mancipia fieri quorumq; capiti regium circundari decus oporteat, quæ ruant vrbes, quæ oriantur, mea iurisdictio est.* Planè ergo se tyrãnos ostendant, & Neronis similes oportet, si in reges talem potestatem sibi arrogent: aut sanè tyrannos, aut in terris

5 *Luc.* 1. deos, hoc est Antichristos. Dei enim [5] est, *potentes de sede sua deponere*: Antichristi est se Deum in terris dicere, & sibi in reges potestatem sumere.

Sextò, apostoli regibus impiis, & tyrannis obedie-

6 *Rom.* 13. & 1. *Pet.* 2. bant. [6] docebant etiam alios Christianos, vt hoc idem facerent. neq; dubium est, quin principes politicos in-

7 *Matth.* 17. & 22. telligerẽt, cum de gladio & tributo loquantur. [7] Christus etiam suo exemplo regibus impiis tributum, & o-

mnia

mnia quæ Cæsaris essent, soluenda esse ostendit. Si autem regibus imperium abrogari posset; tum aut Christus, aut apostoli aliquam huiusmodi exceptionē aliquo in loco addidissent. qui ergo regna principib. adimenda censent, & subditos aduersus eos concitant, & pestem & perniciem eis machinantur; aduersus Christi & apostolorum leges docent & faciunt, & se Antichristi discipulos & milites esse ostendunt.

Septimò, Petro non est datus gladius temporalis. imò cum eo vltrò vti vellet, Christus eum [1] monuit, *vt gladium illum in locum suum converteret*. Aduersarii etiam veritate victi, fatentur non habere suos pontifices gladium temporalem directè, at sine gladio temporali princeps nullus deponi potest. non enim frustra est ei datus gladius; nec gladium ei à Deo datum quisquam eripere potest, nisi qui à Deo hoc nomine potestatem habet; nec pontifex Rom. adhuc vllum de hac re mandatum ostendit. Imò Iulius secundus ostēdit hoc ad claues nō pertinere, sed ad gladios. Ideo in bellum profecturus, clauibus in Tyberim coniectis, gladio se accinxit, & armis rem gessit. Similiter reliqui pontifices milites cōducunt, arma parāt, stipendiarios suos sub signis in aciem ad reges deponēdos mittunt. At longè aliter fecit Petrus; & reliqui apostoli aliis armis aliaq; militia vsi sunt. quod certè satis ostendit pontifices Roman. ab apostolorum exemplis longè discessisse.

[1] *Matth.26.*

Octauò, episcopi Rom. per mille & ampliùs annos nullum imperatorem aut regem deposuisse leguntur. Ioannes Trithemius de imperatore Henrico quarto verba faciens: *Is à Gregorio septimo*, [2] inquit, *excommunicatus, & ab imperio synodali episcoporum decreto fuit depositus, quamuis non curaret. ipse autem primus est inter omnes imperatores per papam depositus.* Hoc etiam ex pōtificum Rom. constat annalibus. nam licèt omnia sedulò inuestigent, nullum tamen exemplum alicuius regis depositi ante istum reperiunt. deficientes quidem ab imperatoribus Græcis pontifices Italiæ magnam partem secum ad rebellionem [3] attraxerunt: sed illi tamen semper regnarunt.

[2] *In chron. Hirsaug. c. 4.*

[3] *Zonaras in Leone Isauro.*

Childerici autem depoſitio facta eſt authoritate ordinum regni Galliæ, licèt à Zacharia confirmata eſſet, & approbata, vt antea dictum eſt. Quod ſi ergo per tot annos nullus epiſcopus Rom. regibus diadema deripere conatus ſit, aut illud fieri poſſe docuerit, certum eſt hoc eſſe dogma nouum, & contra fidem eccleſiæ Rom. antiquiſſimæ.

4 *Col.* 1067. Reſpondet Bellarm. [4] *defuiſſe vires temporales Chriſtianis primis eccleſiæ temporibus, & propterea noluiſſe eos illud tentare, quod perficere non poſſent.* At oſtendere debuit hoc licuiſſe. deinde docere debuit, ideo non depoſuiſſe Chriſtianos tyrannos, quia vires deerant. Nos enim oſtendimus vires eis non defuiſſe, ſi hoc experiri voluiſſent. nam tempore Conſtantii *primò*, & *deinde* Iuliani, & *Valentis*, eccleſiæ ſtatus & multitudine hominum, & opibus maximè florebat. imò ante tempora Conſtantini viribus pollebant Chriſtiani, ſi oppuguandos principes ſtatuiſſent. *Ita nos magis orамus*, inquit [1] Tertullianus, *pro ſalute imperatoris, ab eo eam poſtulantes, qui præſtare poteſt. & vtique ex diſciplina patientiæ Diuinæ agere nos ſatis manifeſtum, eſſe vobis poteſt, cum tanta hominum multitudo, pars pene maior ciuitatis cuiuſque in ſilentio & modeſtia agimus, ſinguli fortè noti magis quàm omnes, nec aliunde noſcibiles, quàm de emendatione vitiorum priſtinorum. abſit enim vt indignè feramus ea nos pati, quæ optamus; aut vltionem à nobis aliquam machinemur, quam à Deo exſpectamus.* Vtrumque docet, & Chriſtianos ſcilicet potuiſſe, & tamē noluiſſe aduerſus principes & perſequutores ſuos inſurgere. inde etiam conſtat primos Chriſtianos oraſſe pro ſalute imperatoris. Pontifices ergo Rom. qui imperatores & reges execrantur, & eis anathema dicunt, & militaribus copiis regnum è manibus eorum extorquent & excutiunt, à priſca eccleſiæ diſciplina longè diſceſſerunt.

1 *Ad Scapulam.*

Nonò, nemini licet regna trāsferre, reges deponere, & de eis iudicare, niſi qui ſe publicis adminiſtrationibus immiſcere poteſt. At antiqui canones epiſcopos omnes ab adminiſtrationibus politicis remouerunt. vetuêre, inquam, [2] canones apoſtolici *epiſcopū & preſbyterum*

2 *Can.* 80.

byterum se publicis administrationibus immiscere. contrà verò, iubet eos *vacare, & commodos se præbere vsibus ecclesiasticis.* & rationem reddunt, *quia nemo potest duobus dominis seruire.*

Decimò, Christus ita sacerdotiũ & regnum distinxit, vt nec sacerdotes à principibus ordinari & deponi, nec reges à sacerdotibus constitui, & regno exui velit. atque hoc non tantùm Apostoli, & eorum successores, sed etiam omnes pii principes, quamdiu integra & incorrupta mansit ecclesiastica disciplina, obseruarũt. Iustinianus vtraq; & à Deo esse, & inter se distincta esse significat. *Maxima,*[1] inquit, *in hominibus sunt dona Dei à superna collata clementia, sacerdotium & imperium, & illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens.*

[1] *Coll. 1. nouel. 6. quomodo oporteat episcopos.*

Similiter synodi Macrensis patres, *Duo sunt,* inquiunt, *quibus hic mundus regitur, authoritas sacra pontificũ, & regia potestas. solus enim Dominus noster Iesus Christus verè fieri potuit rex & sacerdos. post incarnationem verò & resurrectionem, atq; ascensionem eius in cœlum, nec rex pontificis dignitatem, nec pontifex regiam potestatem sibi vsurpare præsumpsit.* Quod etiam Nicolaus primus verum esse agnouit.

Cum ad verum ventum est, inquit [2] Nicolaus, *vltrà sibi nec imperator iura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium vsurpauit: quoniam idem mediator Dei & hominum homo Iesus Christus actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusq; discreuit.* Cum ergo officia hæc ita inter se distincta sunt, & diuisa; cur magis eripiat pontifex imperatori sceptrũ, quàm imperator sacerdoti ecclesiæ claues?

[2] *In epist. ad Michael. & c. cum ad verum. dist. 96.*

Respondet [3] Bellar. *noluisse Nicolaum, vt idem sit imperator totius orbis, & pontifex summus simul.* Sed nihil hoc ad nostrum argumentum. nam non tantùm hoc dicit, sed etiam officia imperatoris & põtificis ita distinguit, vt noluerit alterum super alterum præeminẽtiam prætendere. & vt nihil aliud diceret, quàm quod fatetur Bellarm. tamen rectè concluditur, non posse pontificem Rom. imperatorem deponere, quia non potest esse totius orbis imperator. ille enim verè est

[3] *Lib. 5. de pont. Rom. c. 10. col. 1081.*

totius orbis imperator, qui & imperiũ potest tribuere cui vult, & sacris etiam præesse.

Vndecimò, non potest pontifex Romanus auferre, quod non potest dare: at dare non potest imperium, nam illud à Deo esse [4] docet Apostolus: & hoc [5] leges affirmant; & [6] Innocentius & [7] aduersarii etiam ipsi cõsentiunt. Cum ergo eiusdem sit dare & auferre; ostendant aduersarii, quomodo possit auferre, quod non potest dare, cum eiusdem sit destituere, & instituere.

[4] *Rom.* 13.
[5] *L. maxima. col.* 1. *Tit.* 6.
[6] *C. solitæ. extr. de Maior. & obed.*
[7] *Bell. de pont. Rom. lib.* 5. *c.* 3.

Duodecimò, nihil esset in imperio firmitatis & roboris, si illud pontifex Rom. auferre posset. facile enim semper erit pontifici causam aduersus imperatorem comminisci, quietus ne sit. Gregorius 7. Henrico 4. Alexander 3. Friderico 1. Gregorius 9. & Innocẽtius 4. hæresim & varia crimina falsissima Friderico 2. imposuerunt. Iulius 2. aduersus Ludouicum 12. qui propter amorem in suos pater patriæ dictus est, causam tamẽ reperit, vt eum Italiâ pelleret. Regi Nauarreno hoc solum obfuit, quod aduersus regem Galliæ pugnare nollet. In omnes deniq; aduersarios illi causas bellandi facilè reperiunt. Videte ergo principes Christiani, quibus Antichristi adhuc fraudes & scelera nota non sunt, quanto cum periculo huic pontifici tantam potestatem permittitis.

Decimotertiò, si reges & imperatores à põtifice deponi possent, tum nõ essent illi summi principes: imò nec reges, nec imperatores meritò dici possent. quomodo enim illi summi sint, imò quomodo illi dicãtur reges & imperatores, qui superiorem habẽt, & ex alterius nutu pendent? at summos esse cõstat, & post Deũ proximos. *Colimus*, inquit [1] Tertullianus, *imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominẽ à Deo secũdum, & quicquid est à Deo consequutum, solo Deo minorem.* Eleutherius in [2] literis suis ad Lucium Britanniæ regem, ipsum appellat *vicarium Dei.* [3] Ambrosius ex tributo soluto ostendit *Petrum imperatori fuisse subiectum.* at si Petrus, certè omnes eius legitimi successores subiecti sunt.

[1] *Ad Scapulam.*
[2] *Inter leges sancti Edvvardi.*
[3] 11. *q.* 1. *c. si tributum. & c. magnum.*

[4] Glossa super illud Psalmi, *Tibi soli peccaui*: dicit

[4] *In Psal.* 50.

quod

quod rex est omnibus superior, & à Deo tantùm puniẽdus: quod & Cassiodorus affirmat. Hoc etiam legibus cõfirmatur. *Nullum genus rerum est,* inquit [5] imperator, *quod non sit penitus quærendum authoritate imperatoris. is enim à Deo recipit communem gubernationem, & principalitatem super omnes homines.* [5] *Auth.* 133.

Idem etiam pontifices ipsi, & aduersarii nonnunquam fatentur. *Potestas,* inquit [1] Gregorius ad Mauritium imperatorem, *super omnes homines dominorũ meorum pietati cœlitus data est.* Similiter lib. 3. epist. 61. ad eundem Mauritium: *Ecce, inquit, per me seruum vltimum suum & vestrum respondebit Christus: sacerdotes meos manui tuæ cõmisi. &c. ego quidem iussioni vestræ subiectus legem vestram per diuersas terrarum partes transmitti feci.* & in epist. 64. eiusdem libri: *Christus,* inquit, *dominari imperatorem, non solùm militibus, sed etiam sacerdotibus concessit.* [1] *Lib.* 2. *epist.* 61.

Leo [2] quartus se imperatoris Ludouici iudicio submittit. *Nos,* inquit, *si incompetenter aliquid egimus, & in subditos iustæ legis tramitem non conseruauimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio. In veteri lege sacerdotes, qui reges inungebant, indubitanter regibus subdebantur,* inquit [3] Heruæus. [2] 2. *q.* 7. *nos si.* [3] *Heruæus de potestat. papæ. c.* 18.

[4] Glossa dicit, *quod imperator est Dominus totius mũdi, & quod iura communia hoc docent.* [4] *In c. vnam sanctam. de Maior. & obed.*

[5] Robertus Holcot de imperatore verba faciẽs: *Hic est,* inquit, *rex regum, cui omnes subditæ sunt nationes.* & ipsi Romani ante aliquot annos ad imperatorem Cõradum scribentes, *Excellentissimo, & præclarissimo vrbis & orbis totius domino.* literas [6] inscribunt. [5] *Lect.* 199. *in sapient.* [6] *Otho Frisingensis.*

Glossa denique Authenticæ 123. dicit, *quod papa temporalibus se immiscere non debet.*

Probatur denique, quia ab imperatorum decretis res ecclesiæ olim pendebant, vt ait [7] Socrates: & quia põtifices Rom. eorum legibus antiquitus parebant. *Iubemus,* inquit [8] Iustinianus, *beatissimos archiepiscopos & patriarchas, hoc est, antiquæ Romæ, & Constantinopolis, &c.* & quia episcopos Rom. antiquitus & coram se sisti, & iudicari compulerũt. Honorius imperator inter duos episcopos iudicans, falso episcopo deposito, [7] *Lib.* 5. *in proœm.* [8] *Nouel.* 131.

9 Lib. 4. summæ part. 1. c. 9.
1 Ibidem.
2 Liberat. breuiar.
3 Turrecrem. vbi supra.
4 De temporib. Greg. 7.

verum restituit, vt inquit 9 Turrecremata. 1 Theodoricus Italiæ rex secundũ Symmachum iudicans schisma sustulit. 2 Syluerio proditionis damnato ab imperatore Vigilius papa factus est 3 Otho primus Ioannẽ 12. deposuit, & in eius locum Leonẽ substituit. Henricus secundus imperator, tribus papis eiectis, Clementem quẽdam in pontificis Rom. cathedra collocauit. Rectè ergo Auentinus: *Sanctissimi patres*, 4 inquit, *Cæsares in terris à Deo secundos, ante omnes mortales primos venerabantur, dominosq; suos vocare solebant.* Si ergo summa sit imperatorum & regum secundùm Deum in terris potestas; summam per iniuriam & scelus pontifices Rom. eos deponere conati sunt.

5 De schism. lib. 2. c. 18.
6 In hist. Boiorum.
7 Author vitæ Henr. 4.

Decimoquintò, maxima detrimenta & ecclesiæ & resp. Christianæ ex infausta põtificum Rom præsumptione acceperunt, si quando reges Christianos deponere tentarunt. *Non sine multorum* 5 *dispendio*, inquit Theodoricus Niemensis, *reges deponuntur.* 6 Auentinus illas calamitates enumerãs, quæ ex Hẽrici quarti depositione originẽ habuerunt, ita incipit: *Scripturus iam reip. Christianæ, occidentalis ecclesiæ, Romaniq; imperii bella, cædes, homicidia, parricidia, simultates, odia stupra, furta, peculatus, sacrilegia, dissidia, seditiones plusquam ciuiles, plus quam domesticas, præfandum operæpretium duxi.* Alius etiam istorum temporum historiam scribẽs: *Ad factiones*, 7 inquit, *ad fraudes, ad scelera peruentum est.* Dum furore & ambitione percitus Innocentius tertius Ioannem regem Angliæ proscripsit, maximas hoc regnum clades & domi & foris accepit. per ciuilis belli occasionem Normannia è manibus Anglorũ rapta est. in Anglia fertilissimæ regiones ad summam vastitatem redactę sunt. Sed quid nos antiqua commemoremus, cum recẽtia vulnera, quæ Christianus orbis ex hoc vno mali fonte accepit, oculos à scelere pontificũ Rom. auertere non sinant? ex hoc vno fonte, dum reges deponere moliũtur pontifices Romani, omnia illa incendia, seditiones, cædes, bella, calamitates, quibus periit ferè Christiana resp. religio labefactata est, profluxerunt. quis non ergo hanc superbiam papalem summè detestetur, & eam reprimendam putet?

Postremò,

Postremò, multi viri insignes, & ex aduersa etiam factione nonnulli, hanc pontificum Rom. insolentiam, qui sibi potestatem reges deponendi arrogant, condemnarunt. *Videntur sacerdotes*, inquit [1] Otho Frisingensis, *per omnia culpandi, qui regnum suo gladio quem ipsi ex regum habent gratia, ferire conantur.* Idem ante Henricum quartum [2] dicit *nullum se legisse imperatorem, aut regem à pontifice Rom. regno priuatum.* inde ille *tot mala schismata, animarum, & corporum pericula exorta* [3] *dicit, vt illa tempora densissimis Ægypti tenebris comparari posse* putet.

[1] *In prolog. in lib. 7. hist.*
[2] *Lib. 6. c. 35.*
[3] *Lib. 6. c. 36.*

[4] Sigisbertus Gemblacensis *non tantùm errorem, sed etiam hæresim esse dicit, quod Papa audet absoluere subditos à iuramento imperatoris, aut aliorum politicorum dominorum.* [5] Auentinus hoc argumento probat *eos impiè sentire, qui imperatoribus non modò non esse parendum docent, verumetiam eos fraude, vi, quouis modo tollendos asserunt.*

[4] *De anno 1088.*
[5] *De tēporib. Gregor. 7.*

Sicut vobis rescripsimus, inquit [6] Carolus, *& nunc iterum vobis scribere non piguit; sed exigente causa necessarium est, quia reges Francorum ex regio genere nati, non episcoporum vicedomini, sed terræ Domini hactenus fuimus computati.* Ex eiusdem [7] literis constat pōtifices Romanos nihil mandasse regibus Francorum, sed tantùm humiliter supplicasse. Theodoricus Niemensis [1] dicit *imperium principaliter à Deo pendere, & eos fatuè & adulatoriè loqui, qui dicunt, quòd pontifex Rom. habet duos gladios*

[6] *In synodo apud Dunisiacum.*
[7] *In epist. ad Adrian.*
[1] *De schism. lib. 3. c. 7.*

Scire debes, inquit [2] Petrus de Ferrariis, *tu ignare laïce, quod imperator habuit aliquando vtrunque gladium, temporalem scilicet & spiritualem.* Idem [3] dicit *ridiculum esse dicere, & abominabile audire, quod Papa habet superioritatem in imperatorem.*

[2] *In form. libel. quo agitur ex subsit. § ex suo corpore.*
[3] *In form. act. confess. in practica.*

Cùm Bonifacius octauus ius in regno Galliæ sibi concedi postularet, respondit Philippus [4] Pulcher, *se in temporalibus superiorem non agnoscere, & fatuos esse, qui aliter sentirent.*

[4] *Hist. Britan. Armor.*

Gladii ius & imperium, inquit [5] Duarenus, *non habent sacerdotes, sed magistratus ciuilis, vt clarè testatur Christus cum ait, Regnum meum non est de hoc mun-*

[5] *Lib. de sacr. minist. & benefi. 1. c. 4.*

do; &, Reges gentium dominantur eis, vos autem non sic.

[1] *In 4. sent. dist. 20. q. 2.* [2] *Lib. 6. tit. 16. in gloss.* [3] *De potestate Papæ.* [4] *De potestate Papæ. c. 19.* [5] *De pontif. Rom. li. 5. c. 1.*

Quod dicit Ioannes [1] Maior, *pontificem Rom. esse supra regem in temporalibus*; & quod [2] alii dicunt, *Papam totius mundi obtinere potestatem*; & quod scribit Ioannes de [3] Palude, *solum Papam esse verum dominum temporalium*; & quod dicit [4] Heruæus, *omnem potestatem seculare immediatè datam esse Papæ*; quod deniq; docent Aluarus Pelagius, Augustinus Triumphus, & Hostiensis *Papam habere plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, & in eo residere omne dominiū*; hoc vulgò nunc reprehendunt; & [5] Bellar. licèt valde cupiat, non tamen audet illud defendere.

[6] *In fine Duaren. de sacr. minist. & benef.* [7] *Lib. de vera obedient.* [8] *In præfat. in librum de ver. obed.* [9] *In concione habita An. 1535 Febr. 17.*

Ecclesiæ Gallicæ libertates, regisq; dignitatem aduersus pontificis Rom. ambitionem & cupiditatem pulchrè defendit senatus [6] Parisiensis.

[7] Stephanus etiam Gardinerus, si lupus & mercenarius episcopus dici possit, episcopus Wintoniensis, regiam summā potestatem tam in reb. ecclesiasticis, quàm politicis, aduersus pontificis Rom. quā prætendit supra reges, authoritatem defendit. Huic etiam subscripsit [8] Bonnerus, aliiq; totius Angliæ viri doctissimi. publicè deniq; pro concione dixit, & argumentis plurimis probauit [9] Tonstallus, nullā habere pontificem Rom. supra reges Christianos potestatem.

Huc spectant deniq; illa omnia, quæ regem non habere in terris superiorem ostendunt; quæ nos in argumento huius capitis 13. fuse exposuimus.

Atque hæc argumenta apud eos valent, qui pontificem Rom. adhuc non satis norunt, nec eum Antichristum esse credunt. apud nos autem multò plura nō minus valent, quàm superiora. Nam cum multis indiciis & argumentis constet ipsum non esse vel Petri successore, vel legitimum episcopum; sed contrà, furem, mercenarium, lupum, latronem, bonorum hostem, pestem reip. Christianæ, hominem peccati, & Antichristum; certissimum est ipsum nec supra reges, nec supra vllum ecclesiæ membrum vllam habere debere potestatem.

[1] *Lib. 5. de pōt. Rom. c. 7.*

Quæ autem contrà disputantur à [1] Bellar. parum valent.

valent. ex scripturis nihil habet, vnde omnis petitur armatura virorum fortium. rationes autē ipsius, quas ipse ex Sanderi, & Alani, & huiusmodi proditorum & transfugarum, aliorumque sophistarum commentationib. hausit [1] dissipatæ iacent. exempla etiam ipsius [2] alienissima esse docuimus. omnem denique disputationem capitis septimi & octaui libri quinti de pontifice Rom. vbi ostendere conatur ipsum potestatem habere disponendi de temporalibus omnium Christianorum, & vbi hanc etiam de regibus deponendis controuersiam attigit, minutatim concidimus. Quid ergo superest, nisi vt reliquas Alani ratiunculas à Bellarmino omissas persequamur; ne quisquam sit adeo iniquus, qui sibi in hac causa non esse satisfactum queratur.

[1] *Supra c. 11.*
[2] *Ibidem.*

Dicit ergo [3] Alanus, *Saulem, sententia à Samuele pronuntiata, de regia dignitate cecidisse.* Sed multum interest inter Samuëlem & pontificem; inter sententiam Samuëlis & pontificis Rom. decretales. Ille eximius erat propheta; hic pseudopropheta est. Ille sententiam [4] Dei pronuntiauit aduersus Saulem regem improbum: pontifex Rom. tantùm bilem suam euomit aduersus optimos principes. Præterea, Dauid non exequutus est sententiam prophetæ, sed ad mortem vsq; Saulis exspectauit: at isti excommunicant eos, qui regibus depositis vel parent, vel auxilium præbent. Saul denique licèt Dei ipsius sententiâ regnum ipsi abrogatum esset, mansit tamen in regni possessione; nec ipsius vitæ subditi insidiati sunt. at quos isti deponunt; eos statim regno excidere, & reges esse desinere aiunt. bella denique gerunt, cælumq; terræ miscent, vt quod semel statuerunt, efficiant.

[3] *In lib. aduers. iustit. Brit. c. 5.*
[4] 1. Reg. 10. 15. 16.

Profert *deinde* exemplum [5] prophetæ, *qui Dei iudicium aduersus Hieroboam & eius posteros denuntiauit.* Sed à causa Alani hoc exemplum *δὶς διὰ πασῶν* distat. nam quod propheta iste fecit, hoc omnibus piis ecclesiæ pastoribus facere licet. omnibus enim propositæ sunt sacræ Scripturæ, vnde aduersus reges impios denuntiare licet Dei iudicia. non licet tamen eorum cuiquam vel bello reges persequi, vel regibus impe-

[5] 1. Reg. 13.

rium abrogare: quod tamen pontifices Rom. faciunt. Præterea, propheta hic à Deo missus erat, & ab ipso mandata accepit. At pontifex Rom. nec missus est ad reges deponendos, nec ex Dei mandato aduersus reges anathemata, & execrationes suas effulminat. non ergo à Deo habet, sed à diabolo, quod aduersus optimos quosq; reges furiosè debacchatur.

1 P. 118. *in margine.* [1] Asserit *etiam Eliam multos principes deposuisse.* at Scripturę nec vnum ab eo depositum memorant. Nec obstat, quod Ecclesiastici cap. 48. dicitur *reges deiecisse ad perniciem* hoc enim dicitur, quia Dei iudicia eis denuntiauit. At pontifex Rom. nec spiritum habet Eliæ, nec vt Elias, mandata habet à Deo ad reges, quos execrari solet. multos tamen ille reges Christianos gladio suo ferire, & deiicere, & pedibus conculcare conatus est.

2 3. Reg. 19. Profert *quartò* exemplum *Helizei. Eius enim gladio dicit eos interficiendos* [2] *scriptura, qui Hazaelis & Iehu gladium euaderent.* Sed malè quadrat & hoc exemplum. nam gladius Helizei gladius erat, non qualem pontifices Rom. nunc distringunt, sed spiritus. Præterea, ille propheta erat, & Dei mandata tantùm exposuit. At pontifex Rom. se sacerdoti summo Iudæorum, & non prophetis dicit successisse: idemque non ex lege Dei, sed ex decretalibus suis sententiam aduersus pios principes pronuntiat: cumq; iure nihil potest, gladiis districtis, & omni scelere eos persequitur.

3 P. 120. Quintus locus ex Deut. 17. [3] sumitur. Nam *quia dubii remittebantur ad sacerdotem, idcirco non minùs reges, quàm priuatos quosuis sacerdotum iudiciis subiectos fuisse* autumat. Sed nec verba rectè retulit, nec sententiam huius loci rectè intellexit. *Non illud,* quia dubii remittebantur, non ad vnum sacerdotem, sed *ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem*, seu summũ principem. *Non hoc,* quia non hîc statuitur sacerdotis, sed summi concilii Hierosolymitani authoritas, vt nos antea ostendimus. Non facit autem pro Alano locus iste, vel quia ad legem iudicialem pertinet; vel quia ex lege Dei tantùm concilium hoc sententiam pronuntiare tenebatur; vel quia ad ciuilia iudicia, & non merè

ecclesiastica spectat. *Postremò*, licèt omnes rerum dubii ad hoc concilium remitterentur; non tamen ipse senatus seu concilium hoc ad aliud tribunal remissum est. rex autem huius concilii pars erat.

Sextus [1] locus ex eodem capite sumptus est. inde *enim concludit reges à sacerdotibus & prophetis deponi posse, quia cum hac conditione electi sunt, vt eadem sacra & caremonias colerent.* Sed in lege Dei nullum est alicuius talis cõditionis in regis electione appositæ vestigium. *Præterea*, vt propter legitimas causas reges deponi possent; nihil tamen authoritatis hoc nomine tribuitur summo sacerdoti. *Postremò*, vt nemo eligendus esset in regem, nisi qui verè, & fideliter Deum coleret, non tamen sequitur ipsum continuò deponendum esse, si aliquis eum non ita facere iudicaret. multo enim leuiores causæ excludunt eligendum quàm deponũt electum. neque potest quisquam reges deponere nisi qui habet potestatem supra reges, hoc est, solus Deus, qui est rex regum. 1 P. 121.

Septimò dicit, *Petro claues datas esse*: & multo maiorem authoritatẽ, quàm sacerdoti in veteri Testamento. eum enim *constitutum* [2] *esse ad euellendum & destruendum*. idem denique putat existimandum de pontifice Rom. Sed meminisse debuit, claues illas regni esse cælorũ, & non alicuius regni terreni: & vim omnem earum esse spiritualem, & non ciuilem & externam. *Præterea*, ad probandam sacerdotum noui testamenti potentiam, malè ille prophetæ Hieremiæ exemplo abusus est. *Postremò*, multis nos ostendimus, pontificem Rom. nec cum Hieremia propheta, nec cum *Petro* apostolo quicquam habere commune. Petro & præpositis, quos Christus nobis præposuit, obedire tenẽmur. sed quis est pontifex Romanus? & quis eum nobis præposuit? & quis ei hanc potestatem dedit reges & reginas iugulandi, & totum orbem terrarum bellorum incendiis perturbandi? 2 *Hierem.* 1.

[3] Profert *octauò* exemplum *Petri*, qui Ananiam & Saphyram propter mendacium & furtum morte multauit; & Pauli, qui Elymam Magum excæcauit, & incestuosum Corinthium tradidit Satanæ, & Alexandrum 3 *Lib. aduers. iustit. Brit. p.* 123. & 124.

denique & Hymenæum corporalibus afflixit pœnis. Sed neq; hæc exempla satis rectè ad propositūm Alani accommodantur. omnia enim ista fecerunt apostoli per accepta à Deo miracula, & virtutes operandi facultatem. At pontifex Rom. nec apostolus est, nec hāc accepit à Deo potestatem, vt miracula faciat. gladiis enim ille & pilis rem gerit, & non miraculis. Præterea, vt omnia ista fecerint apostoli; Neronem tamen & Herodem, & huiusmodi tyrannos non deposuerunt. Postremò, longè aliud est miracula edere, & censuris ecclesiasticis nec obediētes coercere; quam reges bello persequi, & è regnis eiicere.

1 P. 125. — 1 Pugnat postea testimonio 2 Gregorii Nazianzeni: eum enim *ecclesiam & remp. vnius hominis spiritui & carni comparare.* Sed argumento huic ipse satisfacit Nazianzenus. nam vt maius esset quodammodo imperium spiritus, quàm carnis; & imperator pastori suo subiectus esset: ipse tamen in rebus temporalibus dicit pastores imperatori subditos esse. *Vt serui*, 3 inquit, *heris suis, & vxores viro, & ecclesia Christo, & discipuli magistris & pastoribus audientes esse, & obtemperare iubentur; ita nobis etiam præscribitur, vt præcellentibus potestatibus pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, vt qui pendendo tributo simus obnoxii.* Præterea, non de pontifice Rom. loquitur, vbi imperium suum spiritui comparat, & imperatorem carni; sed de seipso. at nemo dixerit eum existimasse imperatorem vel à seipso vel ab alio quouis episcopo deponi potuisse.

2 *In orat. ad ciues timore perculsos.*

3 *Ibid.*

4 2. *Paralip.* 15. — Profert etiam exemplum Asæ, qui legem tulit, *vt si quis non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur, à minimo vsque ad maximum.* Sed hoc regis confirmat; pontificis summi in rebus ecclesiasticis euertit principatum. Nam si rex legem tulit de cultu Diuino & non pontifex; certum est regem, & non pontificem, habere summam potestatem. quod etiam ex eo constat, quia 5 *Ibid.* Maacham matrem suam propter idololatriam ignominia affecit. Vtinam ergo nunc exurgeret aliquis Asa, qui meretricem Babylonicam, cuius idololatriæ & turpitudinis fœtor ad cælos ascendit, ex throno suo

capillo deriperet, & ne noceret amplius, populo Christiano caueret. Præterea, exemplum hoc Asæ à causa Alani prorsus alienum est. nihil enim ad probandam pontificis Rom. in deponendis regibus authoritatem confert: sed regum potiùs, ad quorum officium pertinebat ciues impios tollere, stabilit potestatem.

Profert denique legem Dei de interficiendis pseudoprophetis Deut. 13. Sed magno cum pontificis Rom. malo. nam si omnes interficiendi sint pseudoprophetæ, qui populum Dei à religione vera ad deos alienos sedùcunt, actum de ipso esset. ipse enim abrogato legitimo Dei cultu, & nouis introductis in ecclesiam Dei idolis, & cæremoniis populum Christianum multos iam annos suis præstigiis & falsa doctrina decepit & fascinauit. actum etiam esset de Iebusitis, qui suis præstigiis & fallaciis multos fallunt. exurgant ergo principes pii, & hos pseudoprophetas tandem pio zelo accensi pro meritis castigent. Pro pontifice Rom. nihil loci istius authoritas facit. nam vt verus esset episcopus; hanc tamen legem non tam episcopi, quàm pii principes exequi tenebantur.

Ad reliqua Bellarmini, & Alani argumenta & exempla simul omnia iam antea [1] responsum est. Cum ergo hæc sint illa huius tam insani de principib. summis deponendis & trucidandis dogmatis firmamenta; quis non eorum amentiam & stultitiã deploret, quos pontifex Rom. ad principes iugulandos, & seditiones excitandas vndique circummisit? emissarii illi se religionis zelo accensos, ista aduersus principes & resp. moliri & machinari dicere solent. At nunc constat ipsos contra religionem, & non tantùm contra religiosos principes pugnare; & pontificem Rom. qui sicarios istos conduxit, & iure diuino & humano destitui, & sceleste facere: & Deus aliquando, vt speramus, hoc toti orbi Christiano patefaciet.

[1] *Cap.* 12.

Pontificem Rom. non rectè Regio & Episcopali munere simul fungi. CAP. XIV.

EPiscopum Philadelphensem monet per Ioannem [2] Christus, *vt teneret quod habebat, ne aliùs*

[2] *Apoc.* 3.

eius coronam acciperet. Eodem modo monendi erant episcopi Rom. vt episcopale munus, quod semel susceperant, diligenter attenderent. nam dum, episcopali munere neglecto, regiam dignitatem affectarunt, tādem effectum est, vt nec verè reges, nec verè episcopi habeantur, hæc enim duo officia non posse in vno homine coniungi multa docent: quæ nos etiam superiùs attigimus, sed hìc fusiùs explicanda sunt.

[1] *Ioan.* 6. Primò, Christus ipse [1] noluit regnum delatum accipere. imò cum omnium esset dominus & rex, noluit tamē aliorum regum more regnare. Præterea, [2] noluit iudicis officio fungi, & hæreditatem partiri inter fratres. cur autem noluerit, nulla alia ratio assignari potest, nisi quod regnum & ministerium ecclesiasticum simul non posse consistere videret. Reges enim imperant, iubent, cogūt, pœnisque corporalibus non obedientes coercent: ministri euangelii monent, hortantur, rogant, & censuris ecclesiasticis emolliunt. Si rogaret Christus, & moneret tantùm, minùs hoc deceret regem; si mandaret pro imperio, videretur hoc alienum ab officio ministri euangelii. idcircò repudiato regno ministri officium retinuit. *Ego*, [3] inquit, *in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat*. Respondet [4] Bellar. Christi exemplo *admoneri pontifices, ne minutis & vilibus officiis ita occupentur, vt omittere cogantur maiora*. Sed nos ostendimus eum regnum omisisse, quod munus est maximum: & aliâs huius responsionis insulsitatem [5] redarguimus.

[2] *Luc.* 12.
[3] *Luc.* 22.
[4] *Lib.* 5. *de pont. Rom. c.* 10.
[5] *c.* 10. *in arg.* 2.

Secundò, disertè Christus vetuit apostolos regnum affectare. *Reges*, [6] inquit, *gentium dominantur eis, vos autem non sic*. at quod apostolis interdictum est, hoc ipsorum successoribus non licet. Nec causari potest [7] Bellar. *tyrannidem tantum apostolis prohibitam fuisse*. disertè enim Christus apostolis omne eiusmodi regnum prohibuit, quale apud ethnicos esset, licèt eorum aliqui mitissimè regnarent. nam postquam dixisset, *reges gentium eis dominari*, addidit prohibitionem: *vos autem non regnabitis, vt illi*. Petrus etiam omnem dominatum in clerum episcopis interdixit. *Non dominantes*, [8] inquit, *in clerum*. quomodo ergo licet regnare,

[6] *Matth.* 20. *& Luc.* 22.
[7] *Col.* 1079.
[8] 1. *Pet.* 5.

quibus

quibus nõ licet dominari? nec sanè putandum est, ea [1] Petrum aliis interdixisse, quæ sibi licita putauit. se enim eorum appellat compresbyterum, seu collegam: quod ostẽdit dominum non fuisse. Responsiones Bellar. nos [2] antea sustulimus.

Tertiò, non aliis armis vti debent pontifices Rom. quàm quibus vsi sunt apostoli. neq; enim plus illis licet, quàm apostolis; à quibus se causam habere, & quorum se successores esse iactant. At arma apostolorum carnalia non erant. *Arma militia nostra*, inquit [3] Paulus, *carnalia non sunt*. & Petrus cum gladium suum carnalem eduxisset, [4] *iussus est conuertere eum in vaginam*. Episcopalis denique mucro non carnem, sed spiritum feriebat. Si ergo arma carnalia gestare non debent, & hoc cum officio apostolico & episcopali pugnat; non est quod regum officium vsurpent, quorum proprium erat gladium gestare.

Quartò, non sunt pontifices Rom. priscis episcopis Rom. aut sapientiores, aut meliores. At certum est, illos non habuisse vel gladium, vel politicum principatum. Fatetur [5] Bellarm. temporibus Gregorii primi non habuisse ecclesiam Rom. politicum principatum. Atq; vt non fateretur, hoc & leges & historiæ simul omnes docent. nos etiam iam antea multa huius rei testimonia attulimus. [6] Paulus Langius dicit Bonifacium octauum carceres primùm pro clericis excogitasse. *Iste est*, inquit, *qui carceres pro clericis transgressoribus inuenit, similiter & eosdem degradandi modum.* alii hoc inuentum ad Eugenium tertium referunt. non esse antiquum constat, cum ante Gregorium septimum pontifices Rom. legibus imperatorum paruerint: & vt dicit [7] Petrus de Ferrariis, imperatores Rom. antiquitus *gladium vtrumque habuerint*. Duarenus, vt antè dictum est, asserit *sacerdotes gladium non habere*.

Quintò, non debent ea vsurpare pontifices Rom. quę officium ecclesiasticum impediũt. Apostoli enim ministerium mẽsarũ [8] reliquerunt, ne in verbi prædicatione impedirentur. & Apostolus [9] ostendit *eos qui Deo militant, non debere se implicare negotiis secularib.*

[1] *Ibidem.*
[2] c. 10. in 3. arg.
[3] 2. Cor. 10.
[4] Matth. 26.
[5] Lib. 5. de pont. Rom. c. 10.
[6] In Chron. Citizensi.
[7] In formul. libell. quo agitur ex subsist.
[8] Act. 6.
[9] 2. Tim. 2.

At nemo negare potest regni administrationem episcopi officium, & verbi prædicationẽ impedire: quod experientia etiam nos docuit. nam ex quo reges facti sunt pontifices Rom. sacrorum & verbi prædicandi neglecta cura, reip. tantum negotia tractare cœperũt.

1 Col. 1079. & 1080. Nugatur hoc loco [1] Bellarm. & tramas loquitur putidas. sed eas nos [2] superiùs diluimus.

2 C 10. in arg. 7.

3 Can. apost. 80. Sextò, episcopatus & regni coniunctio, Apostolorum canonibus & ecclesiæ veteris disciplinæ prorsus repugnat. *Dicimus*, [3] inquiunt canonum conditores, *quod non oporteat episcopum aut presbyterum publicis se administrationibus immiscere, sed vacare, & commodum se exhibere vsibus ecclesiasticis. animum igitur inducito, aut hoc non facere; aut deponitor. nemo enim potest duobus dominis seruire.* Decernunt [4] etiã *episcopos & presbyteros deponẽdos esse, qui militiæ vacauerint, & simul officium ecclesiasticum & seculare retinere voluerint.* Si ergo non debeat episcopus publicas administrationes suscipere, aut militiæ vacare; tum iure regnum administrare non potest. *Solus Dominus noster Iesus Christus*, inquiunt synodi Macrensis patres, *verè fieri potuit rex & sacerdos, post incarnationem verò & resurrectionem, atque ascensionem eius in cælum, nec rex pontificis dignitatem, nec pontifex regiam potestatem sibi vsurpare præsumpsit.*

4 Can. apost. 82.

Septimò, patribus hæc regni & episcopatus coniunctio prorsus ignota erat. nonnulli ea dicunt, quæ omnem sibi huiusmodi coniunctionem displicere ostendunt. *Ecclesiasticus*, inquit [5] Ambrosius, *idcirco Deo se probat, vt huic deuotus officium impleat quod spopondit, in Dei rebus solicitus, à seculari negotio alienus. non enim conuenit vnum duplicem professionem habere.*

5 In 2. Tim. 2.

6 Lib. 2. de consid. *Apostolis*, inquit [6] Bernardus ad Eugenium, *interdicitur dominatus. I ergo tu, & vsurpare aude, aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. planè ab alterutra prohiberis. si vtrumque habere voles, perdes vtrumq.* quid disertius dici potuit contra pontificum Rom. dominatum? Respondet [7] Bellar. *Bernardum sensisse pontificem, vt pontificem, hæc simul habere non posse.* At ipse apertè

7 Col. 1080.

apertè dicit, ipsum nullo modo vtrumque officium retinere potuisse; & rationes ab ipso allatæ hoc docent. Præterea nihil habet pontifex Rom. nisi vt Petri successor & pontifex.

Octauò, ipsi aduersarii quandoque veram vocem mittentes, hanc coniunctionem vtriusque potestatis in vno pontifice improbarunt. *Cum ad verum*, inquit Nicolaus primus, *ventum est, vltra sibi nec imperator iura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium vsurpauit.* vnde fatetur [1] Bellarm. *neminem posse simul esse imperatorem, & pontificem totius orbis:* & satis refellitur pontificis Rom. arrogantia, qui aliquando se totius mundi dominum esse non negat. Præterea, hinc nostra confirmatur sententia. nam si idem non possit esse pontifex & imperator; non debuit pontifex Rom. regnum vsurpare. Bonifacium 8. qui alternis diebus prodiit vt pontifex, & vt imperator, omnes historici, qui hoc narrant, rident.

Otho [2] Frisingensis gladium temporalem imperatoris esse proprium docet; idemq; pontifices qui imperatorem proprio gladio feriebant, reprehendit.

Non conuenit, inquit [3] Petrus de Ferrariis, *psalterium cum cithara, nec gladius temporalis cum ecclesiastico.*

Nonò, nullam ostendere possunt pontifices Rom. legitimum sui regni titulum. neq; enim illud ex donatione habent. (conflictæ enim sunt [4] Constãtini Magni, & [5] Ludouici donationes; & omnes historici scribunt & istos, & eorum successores post tempus illud, quo donationes hæ factæ finguntur, temporale dominium Romæ, & regalia in reliqua Italia habuisse: & pontifices Rom. demum post aliquot secula regnum inuasisse.) Neque sanè ex electione habent. non enim eliguntur in reges, sed in pontifices tantùm. Neque solent emptionem, aut alium titulum proferre. Necesse ergo est, vt sine vllo legitimo titulo, armis & fraudibus regnum illud suũ acquisiuerint. quod & Theodoricus Niemensis, & Laurentius Valla, & alii aliquot testes fidedigni apertè loquuntur.

Per vsurpationes sacerdotum, inquit [6] Theodoricus, *diminutum est imperium.* Laurentius [7] Valla dicit pon-

[1] *Col.* 1081.

[2] *In prolog. lib.*7.

[3] *In practic.*

[4] *Dist.* 96. *Constantin.*

[5] *Dist* 63. *ego Ludouicus.*

[6] *Tract. vnion* 6. *c.*33.

[7] *Contra donat. Constãtini.*

tificem *per inauditum genus fraudis dominium urbis Romæ acquisisse.* Similiter [1] Paulus Langius ex Engelberto Wusterwits: *Eodem anno,* inquit, *Innocentio Papæ Romani ciues claues ciuitatis cum ramis palmarum obtulerunt, & omne dominium vrbis Romæ etiam temporale illi concesserunt, sed minus iuste, minusque laudabiliter; quoniam temporaliũ illa affluentia haud parum officit spiritualibus. nec Petri successor ipse Papa eiusmodi periculosum temporale dominium sumpsisse debuerat. nusquã equidem legitur, priscis quod temporib. etiam post donationem Constantini, de qua cuncti curiosi canonistæ magnũ faciunt festum, quispiã summus pontifex temporale dominium vrbis Romæ gubernauerit. ast nouis temporibus, nostraq; memoria certi pontifices de illo labores, & dolores sibimet inde cumulantes, se intromittere ausi fuere. quandoquidem ab antiquo Roma vrbs semper extitit regalis & imperialis.*

[1] In Chron. Citizensi in vita Vdalric. 2.

Postremò, ex hac coniunctione pontificalis officii & regalis magna incõmoda sequuta sunt. Primò, episcopalis officii curã pontifices Rom. aut neglexerunt prorsus, aut in alios reiecerunt. neque enim a temporibus Gregorii septimi, qui vel primus, vel inter primos ex omni pontificum numero gladium temporalem tractare cœpit, vel verbum diligenter prædicasse, vel sacramenta administrasse legũtur, vt priùs. Secundò, post pontificum Rom regnum, aliorum episcoporum & ecclesiarum iura funditus perierunt. quis enim aduersus pontificem gladio armatum, & opibus affluentem mutire auderet? Tertiò, vrbis Romæ extincta est libertas, quæ tam multos annos terrarum orbi dominata est. Quartò, & Christianorum imperium afflictum est, & Turcarum vires augeri cœperunt. nam ex isto tempore labefactato imperio, hostibus externis cesserunt Christiani, & in Christianorum prouincias Turcæ irruperunt. Postremo, labefactari & corrumpi cœpit religio Christiana. omnes enim pontificis tam põpotentis sequuti sunt errores. Malo ergo auspicio põtifices Romani pontificatui adiunxerunt imperium, quorum coniunctio tot calamitatum origo & causa fuisse videtur.

Refelluntur argumenta Bellarmini, quibus ostendere conatur eundem & ecclesiasticum, & politicum principem simul esse posse, CAP. XV.

AT Bellarmino nihilominus contraria sententia probabilior videtur. quis enim scit, an hunc pontificis sui gladium, qui super omnium monachorum capita, qui vel mutire aduersus ipsum incipiunt, districtus esse solet, metuerit? rationes sanè ipsius sunt tanquam tela emissa ex manu hominis torpentis metu.

Melchizedech, [1] inquit ille, *in lege Naturæ* [2] *fuit rex & pontifex simul, &* [3] *primogeniti olim ante legem Mosis familiæ suæ præerant in rebus Diuinis, & humanis. Constat quoque Noe, Abraham, Isaac, Iacob, præfuisse suis tam in iis quæ ad religionem quàm in iis quæ ad politicam vitam pertinebant.* Sed malè ille argumentatur à tempore legis Naturæ ad tempora nostra; ab exemplo Melchizedech, Abraham, & patribus antiquissimis populi Dei, ad pontificem Rom. nam illo tempore Deus certam politiæ ecclesiasticæ formam scripto non comprehenderat, nec sacerdotes certos à reliquis ciuibus distinxerat. Præterea, regna adhuc & ciuitatum certa iura constituta non erant; sed singuli patresfamiliâs singulis præerant familiis. nunc autem distinctis officiis istis, & constitutis rebusp. non sunt ea iterum leuiter confundenda. Tertiò, licèt olim vnus præfuisset vni familiæ in rebus sacris & profanis; non tamen propterea existimandum est etiam vnum hominem toti terrarum orbi in rebus omnibus præesse debere. Quarto, Iesus Christus Dominus noster [4] regnū fugiens, & [5] dominatum regium apostolis suis interdicens, nouam politeiæ ecclesiasticæ formam præscripsit, à qua resilire & ad ius naturæ primæuum redire non licet. Postremò, pontifex Rom. malè cum Melchizedech rege pacis, & Abrahamo patre fidelium cōparatur. Ipse enim nec iustitiam, nec pacem amat; nec fidelium est, sed hæreticorum, & schismaticorum, & sceleratorum caput & pater.

Profert præterea exemplum Mosis, & Heli, & Ma-

[1] *Lib. 5. de pont. Rom. c. 9.*
[2] *Genes. 14. & Hebr. 7.*
[3] *Hieron. in Gen. 49. in verb. primogenitus.*
[4] *Ioan. 6.*
[5] *Luc. 22.*

[1] Col. 1075. chabæorum, *quos simul & reges & pontifices fuisse* [1] dicit. Sed firmior fuisset ratio, si vel Christi, vel apostolorum, vel piorum episcoporum exempla protulisset, nunc enim alia politiæ ecclesiasticæ forma constituta est, & regnum apostolis suis Christus interdixit. Præterea, Mosis, Heli, & Machabæorum exempla malè cum pontifice Rom. conueniunt. Moses enim summus erat propheta, & Deus ei extra ordinem multa dona contulit, vtpote ad fundādam illam remp. necessaria: is tamen a Deo iussus summum sacerdotium Aaroni dedit. At pontifex Rom. licèt nec propheta sit, nec dona habeat aliqua; is tamen & principem se vult esse politicum, & totius mundi summum pontificem: neque ista duo separari vult. Moses à Deo constitutus est populi Hebræorum dux: pontifex autem Rom. in pontificem tantùm electus est: quod ostendit ipsum, vel vt pontificem principem esse politicum, quod negat Bellar. vel nullo titulo hunc principatum habere.

Heli, laborante populo Dei, & in extremum discrimen adducto, à Deo excitatus est, qui rebus afflictis succurreret, & ius æqualiter administraret. At pontifex Rom. non est à Deo vocatus, sed à seipso intrusus: nec volentibus imperat, sed oppressis. idemq; rempub. accipiens satis florentem, suis malis consiliis & molitionibus pessundedit, & perdidit.

Machabæi deniq; extra ordinem, & cōtra leges populi Iudæorum ad regnum vocati esse videntur à Deo, idq; eo tempore, quo sacerdotum successio turbata, regnum ferè amissum est. At pontifex Rom. sine vlla vocatione Diuina, & contra Christi institutionem, & apostolorum exempla, totius ecclesiæ pontificatum, & vrbis Romæ regnum inuasit: imperiumque in Germania satis firmiter fundatum sua ambitione eneruauit, & ferè euertit: idque contra Christi leges, quas nunc seruari ad vnguem oportuit. exempla ergo ista aut ab hac causa aliena sunt, aut ei plurimùm obsunt.

Neq; sanè rationes Bellar. plus efficiunt, quam exempla. Primò [2] concludit *eundem posse simul regem esse, & pontificē, quia vtraq; potestas, nempe ecclesiastica & ciuilis,*

[2] Col. 1076.

uilis, bona est, & utraque à Deo, & quia non sunt cõtraria: sed ineptissimè. multa enim non pugnant, nec mala sunt, quæ tamen in eodem subiecto non concurrunt. Bipedem esse, & pennatũ esse, nõ pugnant: sunt etiam commoda, & bona in suis subiectis; non tamen propterea reperiũtur homines volatici, & penningeri. Præterea, etsi non pugnent aliqua in rep. satis tamen est legislatorem non voluisse ea concurrere in eodẽ subiecto: vt si senatores prohibeantur esse nautæ; & serui milites esse verentur.

Secundò [1] dicit *pacem & bellum magis pugnare, quàm bona spiritualia & temporalia. & propterea sicut vnus præest senatui in pace, & exercitui in bello: sic & rebus sacris & politicis vnum simul præesse posse.* Sed *primò*, non parum interest inter bona spiritualia, & temporalia; & inter officium spirituale, & temporale. Deinde, administratio hęc belli & pacis nõ rectè cum officio episcopali & regali cõparatur. nam vt medicus vnus versatur circa morbos & sanitatẽ, ita vir politicus simul bellum & pacẽ curare tenetur. At contrà se res habet in rebus politicis & ecclesiasticis. nã rex est & pacis & belli moderator, adeo vt animarum curæ pręsertim per totum orbem vacare non possit. ægrè vnus domi & belli omnia potest. Verùm, vt domi & belli quis, & res diuinas & humanas rectè administret aut procuret, fieri non potest. Quare, si summi principes, vt domi remp. rectè administrent, solent alios duces exercitibus suis præficere: multo magis debent pontifices Rom. regnum abiicere, vt attendant officium suum pastorale. [1] *Col.* 1076.

Dicit *tertiò*, *vnum regem posse gubernare diuersissima regna. quid ni ergo*, inquit, *possit vnus gubernare vnũ principatum ecclesiasticum, & politicum?* Respondeo, quia omnia hæc regna, licèt prouinciis diuersa, vnum tamẽ sunt imperium, & eodem modo administrari possunt. at planè diuersa sunt, regni administratio, & episcopatus. Præterea, nemo prohibetur plurib. prouinciis imperare. At prohibentur episcopi regnare, *& negotiis secularibus se implicare. Nemo*, inquit Paulus, *militans Deo. implicat se negotiis secularib.* vnde [2] Theophylactus: *Ad vniuersos*, inquit, *episcopos hæc verba habẽtur.* [2] *In* 2. *Tim.* 2.

1 In eundem locum. 1 Ambrosius etiam de ecclesiasticis viris hæc verba intelligenda docet. *Nullus episcopatu præditus*, inquit 2 Chrysostomus, *hæc audire detrectet, sed agere ea planè festinet.* *2 Ibidem.* Postremò, facilè hæc ratio contra aduersarios retorquetur. Nam si plura regna non facilè administrantur, & magna imperia nunquam fuere diuturna: tum difficilimū erit vniuersum orbem, eiusque simul negotia ecclesiastica & politica curare: ecclesiam verò & regna simul omnia vniuersi orbis regere, quod pontifex Rom. in se suscipit, impossibile erit. nam patriarchæ vix plurib. ecclesiis regēdis suffecerūt. nemo vniuersæ totius orbis ecclesię administrādę præter Christū idoneus habitus est. simul verò & ecclesiā vniuersam, & regna omnia gubernare, Dei est, & nō hominū.

Quartò dicit *viros fuisse pios, qui episcopo Rom. principatum donarunt temporalem:* Exempli gratia, Constantinum Magnum, Carolum Magnum, Ludouicū Pium. Idem dicit *impios habitos fuisse & sacrilegos, qui illum auferre conati sunt: vt Aistulphum, Henricum quartum, Othonem quartum, Fridericum primum & secundū. Postremò, episcopos Rom. pios fuisse, & miraculis claruisse, qui hūc temporalem statum ecclesiæ auxêre, vt Leonem quartum, Leonem nonum, Gregorium 7. Celestinum 5. Adrianum primum, Leonem tertium, Nicolaum primum, & Innocentium tertium.* Sed nec vera narrat; nec si vera narraret, aliquid valeret ista argumentatio. Hoc patet, quia multi zelum habuêre, sed non secundum scientiam: & dum putarunt se Christo rem gratam facere, Antichristo viam ad abominationē desolationis in ecclesiam introducendam muniuerunt. Inter Iudæos etiam laudē illi adepti sunt, qui primò prophetas, deinde Christum & apostolos acerbissimo odio persequebantur, & interficiebant. Sic etiam Numam celebrant Romani; quem tamen multarū fallarum superstitionum authorem fuisse constat. Illud probatur *primò*, quia nullum Constantinus donauit Syluestro temporalem principatum. *Secūdò*, quia nec Carolus Magnus, nec Ludouicus Pius regalem dedit pontifici Rom. potestatem. *Tertiò*, quia omnes historici fidedigni significant pontifices Rom. non donationibus, sed violentia

lentia & fraudibus regnum suum temporale acquisiuisse. *Quartò*, quia Henricus quartus, Otho quartus, Fridericus primus & secundus, præterquam à pontificia factione, à reliquis omnibus boni viri & fortissimi & clarissimi imperatores habiti sunt. *Quintò*, quia nec laudem meruerunt pontifices illi, quos nominat Bellarminus, nec omnes operam in fundãdo regno temporali pontificum Rom. pariter nauarunt.

Constantini[1] donatio multis argumentis refellitur. Nam *primò*, contra eius donationis tenorem, Constantinus imperium inter liberos suos partitus est, vt [2] Eusebius, [3] Socrates, Sextus [4] Aurelius Victor, & [5] Sozimus testati sunt. *secundò*, post tempora Ludouici *pii*, authores fidedigni testantur imperatores & Italiæ, & Romæ dominium temporale possedisse.

Paulus [1] Langius, Theodoricus [2] Niemensis, & [3] Laurentius Valla dominium Romæ ad pontifices Rom. non ante Bonifacii 9. aut Innocentii 7. eius successoris tempora peruenisse scribunt. Tertiò, huius donationis nulli authores fidedigni meminerũt. præcipuum eius fundamentum est in legenda Sylvestri & constitutione paleari, hoc est, quæ leuis est, vt palea. Quartò, scriptores pontificii donationem hanc non aliter, quàm fabulam habent. [4] Antoninus, [5] Cardinalis Cusanus, [6] Æneas Syluius, & Laurentius Valla, validissimis eam rationibus oppugnarunt. Quintò, si donatio illa valeret; tum pontifex Rom. non Romæ tantùm & Italiæ, sed etiam Germaniæ, Galliæ, Angliæ & Hispaniæ rex esse deberet. omnia enim hæc ei pariter donata reperiuntur. Præterea, omnes reges Christiani eius vasalli essent: quod nec Bellarm. postulat, aut optare ausus est. Sextò, pugnat illud donationis instrumentum & cum rerum gestarum monumentis, & cum more loquendi illorum temporum. Postremò, multa continet illa donatio à temporibus illis aliena, & planè ridicula, vt satis ostensum est à [7] nostris: adeo vt ex legenda potiùs mendacissima, quàm ex fidedigna historia desumpta videatur.

Ado dicit Pipinum donasse pontifici Rom. Rauen-

1 c. Constantinus. dist. 96.
2 Lib. 4. de vita Constãtini.
3 Lib. 3. c. vlt.
4 In vita Constantini.
5 Lib. hist. 1.
1 Chronic. Citizen.
2 De schism. lib. 2. & 3.
3 Contra donat. Constãt.
4 Hist. 1. par. tit. 8. c. 1.
5 De cõcord. cathol.
6 In dialog.
7 Brutum fulmen Sixti quinti.

tam & Pentapolim, & hanc eius donationem [illegible] & Carolus magnus confirmauit: sed tam tamen [illegible] ibi donasse [illegible] post [illegible] [illegible] Illi [illegible], & [illegible] [illegible] post [illegible].

[a] L. cap. Ludouicus dist. 63.

Donatio etiam [a] Ludouici pij planè commentitia est, nam post tempora illa, ipsius posteri in imperatores, & ciuitates, quas ipsi donasse fertur, regnarunt. Item Corsicam & Sardiniam, & Venetias, & multas alias regiones ab ipso donatas pontifices Rom. nec olim habuerunt nec nunc possident. Praeterea, papyraceum id instrumentum, quod inter decreta reponunt, [illegible], quod in bibliotheca Vaticana haberi, & a [b] Volaterrano describitur, ut ex eorum collatione facile appareat. *[illegible] autem [illegible] & [illegible] fidem mereatur*, ut notat [c] [illegible] ibi. Postremo, quicquid donasset Ludouicus, regnum tamen nec dedit, nec dare potuit.

[b] Geograph. lib. 3.

[c] In subscriptione Cod. de fid. instrumentorum.

Pontifices ergo Rom. non ex donatione, sed ut antea diximus, partim violentia, partim aliorum [illegible] regnum acquisiuerunt. [d] Gregorius 2. ad defectionem populi Italicos, & inde pontifices ex rebellione [illegible] [illegible] est. Alij pontifices, partim ex Siciliae Gallia & ex regno Neapolitano Carolis, & Francis, regnum illud ad se transferre coeperunt. Debellato Henrico 4. & deiectis Fridericis duobus, magnas opes non tantum in Italia, sed etiam in Gallia, Hispania, Germania, Anglia, & aliis in locis acquisiuere: licet has suas [illegible] ab illis imperatoribus [illegible] non debuerunt.

[d] Zonaras in Leone Isauro.

Hinc profecta sunt omnia illa maledicta, quae in optimos imperatores, & pontifices Rom. & eorum [illegible] [illegible]: hoc enim solenne erat pontificibus Romanis [illegible], & monarchiae [illegible] [illegible], vel grauissimos eorum aduersarios [illegible]. Huius generis [illegible] multos habet [e] Gregorius septimus. [f] Gregorius enim nonus [illegible] Friderici 2. [illegible] principes [illegible]

[e] Bene. Card.

[f] Matt. Paris. in Henr. 3.

trare, rectè enim norunt, vt vulnus infamiæ curetur, manere tamen eius cicatricem. de iis ergo rectè Nigellus:

Hi sunt, iustitiam qui prostituêre pudicam,
Falsa loqui linguas, qui docuêre suas.

Henricum 4. scriptores multi [5] laudant. similiter & duos Fridericos: sed & res gestæ ostendunt præclaros fuisse viros. Otho 4. propter virtutem factus est à pontifice imperator. factis ergo potiùs credendum est, quàm hostium & aduersariorum calumniis.

[5] *In vita Henr. 4.*

Quod autem pontifices illos, qui remp. Rom. auxerunt multi laudent, non satis ostendit fuisse eos viros bonos. illud enim præclarum est, laudari à laudatis viris. parasitorum verò & monachorum has laudationes nemo sanus vel titiuillitio emisset. Gregorium 7. virum fuisse sceleratissimum ex sententia constat synodi Brixinensis. *Quia constat*, inquiunt patres [6] Brixinenses, *illum non à Deo electum, sed à seipso in fraude & pecunia obiectum, qui ecclesiasticum subuertit ordinem, qui Christiani imperii perturbauit regnum, &c. nos, authore Deo, contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia & incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentem procedentes, &c. iudicamus canonicè deponendum.* Innocentium 3. virum fuisse sanguinum ostendit Vrspergensis. Celestinũ 5. aiunt *vnum pecus* fuisse. cum enim a Bonifacio 8. deceptum renũtiasse papatui. nec reliquos fuisse constat meliores. Quod autem nõnullos aiũt miraculis claruisse, parum videtur probabile. miracula enim in illa sede iampridem cessauerant. aut ergo narrationes illæ confictæ erant: aut talia erant eorum miracula, qualia Gregorius 7. fecit, qui ex manicis scintillas [7] excussit, & multa fecit mira ope Diabolica, & arte fortasse magica.

[6] *Abbas Vrsperg. & Beno Card.*

[7] *Beno Card. in eius vita.*

Falsum est deniq; quod dicit [8] Bellarm. *Leonem* 4. & *Leonem* 9. & Celestinum 5. & Adrianum 1. & Leonem 3. principatum temporalem à principibus & imperatoribus recepisse. nihil enim eius rei narrant historici. nec sane probabile est, aut memorabile, cum vnum tantùm fuerit regnum, tot pontifices illud recepisse.

[8] *Col. 1077.*

Dicit quintò & vltimò, *experientia probari vtile esse, vt episcopi possiderent principatus. eam enim esse malitiam temporum, vt aliter sedes suas tenere non possent.* Sed agimus nos de regno, & non de quouis principatu. Præterea, mirum est Christum & Apostolos non animaduertisse hoc vtile futurum. nos certè potiùs ex Christi institutione, quàm ex humana prudentia existimandum censemus, quid ecclesiæ vtile, vel inutile futurum sit. hoc etiam censuit Hilarius. *apostolos* enim *nullis humanis potestatibus adiutos prædicasse Christum, gentesque ferè omnes ex idolis ad Christum transtulisse*[1] *dicit.* Etiam experientia nos istud docuit. nam ex pontificum potentia religio magnam accepit calamitatem. vox enim audita est dicentis, *tum venenum effusum in ecclesiam, quando primùm ditata est.* & olim dictum est, *religionem peperisse diuitias, & filiam deuorasse matrem.* Præterea, ex ista occasione & imperium labefactatum est, & Turcarum opes creuerunt. paulatim etiam hæreses, & noui cultus inualuerunt. postremò, omnis funditus interiit Christianorum libertas. Cum ergo nullo iure res imperii possideant pontifices Rom. quid cessant principes Christiani sua repetere? quid dormit populus Christianus? cur non iugum hoc seruitutis durissimum tanta oblata opportunitate excutit?

1 *Contr. Auxentium.*
2 *Serm. disc.*

Pontifices Rom. regnum suum temporale iniustè possidere.

CAP. XVI.

HAbet quidem regnum pontifex Rom. & quodammodo possidet. nam &[1] prædones, & detentores quodãmodo possidere dicuntur. Sed vtrùm iustè habeat & possideat, vt audacter affirmat[2] Bellarm. illud nunc quæritur. Nos enim nec plenè, nec iustè possidere dicimus. Plena enim possessio est, quando res naturaliter, ciuiliter, & pacificè[3] possidetur. & iusta est, quæ vel iure ciuili, vel iure gentium, nullo iure diuino repugnante acquiritur. At pontifex Rom. etsi à suis rex salutetur, & rex regum; & vrbem Romam & Galliæ Picenæ partem regio iure teneat; tamen nec plenè, nec iustè possidet. *Non plenè,* quia nec ex legitima cau-

1 *L. prædonis, & ibi Bart. ff. de petit. hæredit.*
2 *Lib. 5. de pont. Rom. c. 9.*
3 *Bald. in l. mater. ff. ad Tertull.*

ma causa, nec iure possidet, nec pacificè. *Non iustè*, propter rationes infrà scriptas.

Primò, ex iure gentium non possidet, quia nec vacuam possessionem inuasit, nec bello legitimè gesto, neque pactione, vel alio modo ex iure gentium descendente acquisiuit, quod non tantùm ex rerum gestarum monumentis, sed etiam ex confessione aduersariorum probatur. nullum enim ius gentium proferunt, vnde hoc temporale dominium ad pontificem pertinere intelligamus.

Secundò, ex iure ciuili non possidet, quia regna ex iure gentium descendunt, & non propriè ex iure ciuili. Deinde, etiamsi ex iure ciuili regnum posset acquiri, idque vel donatione, vel præscriptione; tamen iste neque ex donatione habet, neque ex præscriptione. *Non ex donatione*, quia instrumenta quæ aduocati pontificis proferunt donationum, aut conficta sunt, vt quæ Constantini & Ludouici nomine eduntur: vel non continent donationem regni temporalis, vt donatio Mathildis, & aliorum principum inferiorum, qui nec regnum habuerunt, nec donare potuerunt: vel non sunt legitimæ donationes, vtpote factæ sine populi, & eorum qui interesse habuerunt, consensu. *Non ex præscriptione*, quia præscriptio nec contra [4] supremam principis potestatem, nec contra [5] res prohibitas alienari, nec contra leges procedit. Præterea, vt processisset præscriptio; tamen ea sæpe interrupta est. nam imperatores quando inaugurantur, iurant se res imperii repetituros: & hoc Henricus 4. & 5. & 6. & duo Friderici & Ludouicus Bauarus strenuè fecerunt.

[4] *Bald. in l. 1. col. 9. cod. de emancipand. lib. & gloss. 16. q. 4.*

[5] *Gloss. & Dd in l. 1. Cod. si aduers. vsucap.*

Tertiò, vt iure gentium, vel ciuili, aliquem legitimum acquisitionis & possessionis titulum proferre posset; iure tamen diuino Cæsaris & ecclesiæ iura distincta sunt; & Christus quæ Cæsaris essent, Cęsari reddenda censuit: nec voluit ille rex fieri, licèt hoc ei populus detulisset. Præterea, Christus apostolis suis regnū interdixit. & Petrus & exemplo & doctrina ostendit, regnū à suis successoribus capi non debere. ipse. n. tributum soluit, & dominatum in clerum prohibuit.

Quartò, ecclesia semper sacerdotium & imperium ita distinxit, vt facilè intelligatur cum eius disciplina pugnare, vt aliquis episcopus regnum possideat. Vetuêre canones apostolorum omnes episcopos & presbyteros publicas administrationes suscipere: & omnes primi episcopi Rom. ab hac ambitiosa regni affectatione abhorruerunt.

Quintò, pugnat cum episcopatus natura, vt idem sit rex & episcopus. episcopus enim minister est ecclesiæ: at rex dominiū habet in populum sibi subditum. Ille rogat, monet, docet: hic iubet, imperat, cogit, & nec obediētem ciuem verberibus, exilio, damno, vinculis, & morte castigat.

Sextò, pugnat hoc cum inauguratione pontificis Rom. Ipse enim consecratur in pontificem, & locatur in sede Petri, & claues ei regni cœlorum traduntur: nō autem fit rex, nec in throno imperiali locatur, nec gladium accipit aut sceptrum. Quis ergo non videt eum, nunc vt pontificem, esse etiam regem, & regnum iniustè & sine titulo possidere?

Septimò, iniustè acquisita nec iustè possideri possunt: nunquam enim in conscientia tutus est, qui scit se aliquid habere, quod iniustè acquisitum est. At dominium Romæ fraude, & iniustitia acquisitum est, repugnante multùm populo Rom. vt docent *Theodoricus à Niem*, *Laurentius Valla*, & omnes, qui verum dicere non reformidarunt. Idem etiam sentiendum est de dominio reliquæ Italię, quod pontifices Rom. possident. illud enim *primò* imperatoribus Græcis, *deinde* imperatoribus Germanorum extorserunt.

Postremò, res alienæ semper iniustè possidentur. At pontifex Rom ex spoliis imperatoris, & principum, & rebus alienis regnum suum conflauit. Vrbs Roma, quæ nunc sedes est papatus, imperatoris est. *Ab antiquo*, inquit [1] Engelbert⁹ Wusterwits, *Roma semper vrbs extitit regalis & imperialis: alioqui ab electoribus deputatus ad imperium legitimè sublimatus, quisquis ille foret, frustra & incassum rex appellaretur Romanorum*. Laurentius Valla *inaudita fraude* dicit *Romanis ereptam à pontifice libertatem*. Regnum Neapolitanū per absentiam, & mi-

[1] *Apud Paulum Langiū in chron. Citizen. p. 849.*

& minorem ætatem imperatoris Conradi & Conradini rapuit. Ex Gallia Picena & Italia vi imperatorem exegit. atque ita res alienas semper, vt prædo iniustus, inuasit.

Non itaq; *tam facile probari potest pontificem Rom. iure habere principatum hunc temporalem*, vt existimat Bellar. neque enim verum est, *eum vel dono habuisse principum, vel præscriptione, vel hæc sufficere*, vt antè dictū est. Nec firma sunt, quæ hoc nomine ab illo[1] proferuntur. Narrat quidem[2] Ado *Pipinum regem Rauennam, totamq; Pentapolim sanctis Apostolis Petro & Paulo tradidisse.* At alii[3] narrant Cōstantinum magnum & hæc ipsa, & multo plura donasse Siluestro: cuius donationis fortasse puduit Bellarminum. Præterea, hęc donatio Pipini nulla erat. ille enim ea donauit *Petro & Paulo*, qui nec in mundo erant, nec res donatas capere potuerunt. neq; enim vnquam auditum est, eos vel reges fuisse, vel ista possedisse. Tertiò, hæc donatio quæ facta est *Petro & Paulo*, pro pontifice Rom. nihil facit. ipse enim Bellar. nouit & fatebitur, credo, pontificem Rom. non successisse illis in dominio temporali, sed in functione pastorali. Quartò, vt fructus & prouentus harum prouinciarum donati essent apostolis; non tamen sequitur regalem potestatem ipsis datam fuisse. nouerat enim Pipinus apostolicum officiū longè diuersum fuisse à regio; & princeps quando donat aliquas ciuitates, non tamen dat regalia, aut regnū in illis ciuitatib. Postremò, hæc donatio Pipini ad exiguā tantùm partem regni pontificii temporalis extenditur; & propterea ad rei summam parum prodest.

Exhibet secundò Bellar.[4] instrumentum donationis *Ludouici Pii.* Sed illud nos iā falsum esse euicimus: nec ipse authenticum esse probare potest. quis enim vel domesticis testibus, vel instrumentis ex propriis archiuis depromptis fidem adhibeat? Verùm vt hæc missa faciamus; nec donare potest imperator vrbem regalem & imperii sedem, nec potuit vel pontifex Roman. vel beatus *Petrus* hanc donationem capere. Iste, quia in rerum natura non esset; ille, quia pontifex erat. Postremò, nunquam ex hac donatione vrbem Ro-

[1] *Col.* 1077. *& lib.* 5. *de pont. Rom. c.* 9.

[2] *In chron. Anni* 727.

[3] *C. Constantinus. dist.* 96. *& legenda S. Siluestri.*

[4] *C. ego Ludouicus. dist.* 63.

mam & eius territorium pontifex Rom. possedit. nam vrbs illa vsq; ad Bonifacii 9. & Innocētii septimi tempora, vel in imperatorum erat ditione, vel libera, vt docet [1] *Valla.*

[1] *Contra donat. Constantini.*

Profert tertiò testimonium Leònis episcopi Hostiensis nescio cuius. Sed testis iste, licèt *Leonis* habeat nomen, nihil tamen aliud erat, quàm asinino stupore præditus futilis monachus. Præterea, instrumentum ab illo productum confictum videtur. nam primò instrumentum hoc & Leo iste ab Adone, qui eiusdem instrumenti mentionem facit, multum discrepat. Deinde ea continet, quæ Pipinus donare non potuit. neque enim donare potuit liberos populos & ciuitates; nec subditos potuit alienare sine ipsorum consensu. Tertiò, ea narrat donata, quæ pontifices Rom. nunquam vel possederunt, vel optare ausi sunt. dicit enim omnia à Lunis, seu Lunæ promontorio, vsq; ad sinum Veneticum & Histriam, in quibus est Venetiarum illustrissima vrbs, Hetruriæ & Galliæ togatæ magna pars; & multa alia, quæ nec pontifices Rom. vnquam possederunt, vel ad se pertinere dicunt. Quartò, donatio hæc facta fertur pontifici Rom. vt Petri successori. ille autem non se hæc possidere, vt Petri successorem, sed vt principem politicum dicit. Quintò, donata hęc feruntur Petri vicario: at pontifex Rom. non se dicit Petri vicarium, sed Christi. Postremò, vt hæc omnia pontifici Rom. data essent; non tamen sequitur eum regem à *Pipino* constitutum fuisse. nam ipsius posteri multos annos postea has Italię partes, quę in donatione continentur, regio iure administrarunt.

Quartò, ex eiusdem Leonis testimonio probare conatur Bellar. *Liguriam & Thusciam Gregorio septimo à Mathilda comitissa donatam fuisse.* Sed nec quicquam valet eius testimonium, vt diximus, nec hoc quod narrat, vel verè, vel probabiliter narratur. nam si hæc donauerat Pipinus, vt antea dixit, cur noua opus erat donatione? Præterea, qui factum est, si hæc verè facta sint, vt Liguriam & Hetruriam nunquam possederit pontifex Rom alii semper possederint? Verùm vt donasset hæc comitissa aliquid (pontificem enim Gre-

gorium

gorium 7. valde amauit) summum tamen imperium, & regnum donare non potuit neque enim plus transmittere potuit ad alios, quàm ipsa habuit: neq; potuit pontifex Rom. hoc capere.

Postquam ergò in donationibus istis commentitiis nihil firmi præsidii positum esse vidisset; confugit ad longi temporis præscriptionem: &, vt pontificis Rom. latrocinia defendat, dicit *etiam latrocinio acquisita longissimo tempore fieri legitima: & Tiberium iure possedisse, quæ Iulius Cæsar iniustè occupauerat, & eodem iure Francos Galliam, Saxones Britanniam tenere* Sed ratio dissimilis est. Illi enim nulla lege vetiti sunt regnum possidere: at in pontifices Rom. cadit Christi interdictum. Illi bello acquisiuerant ex iure gentium: isti ex nullo iure gentium, sed ementitis donationibus & fraudibus, & sub specie religionis in aliena clàm irrepserunt. Illorum præscriptionem nullæ leges impediebant: istorum præscriptionem plurima impediunt. nam cōtra summam potestatem, & fiscum, & tributorum solutionem, & prohibitiones, & leges nō procedit præscriptio, nec quicquam valet vbi semel interrupta est. Postremò, meritò dubitari potest de Tiberii iure, & rebus latrocinio acquisitis. nam licèt singulis hominibus non liceat hæc iudicare: Deus tamen quandoque iudicabit; idemq; aliter quàm homines iudicat. Cum ergo nec ipsi aduersarii negare possint, hoc temporale dominium latrocinio esse acquisitum; nec vel titulum legitimum, vel iustam possessionem probare possint; quid aliud superest, nisi vt prædo iste & imperii inuasor, à principibus Christianis ex prouinciis alienis, & ex toto temporali dominio, quod nullo iure possidet, exturbetur?

1 In eundem locum. [1] Ambrosius etiam de ecclesiasticis viris hæc verba intelligenda docet. *Nullus episcopatu præditus*, inquit [2] Chrysostomus, *hæc audire detrectet, sed agere ea planè festinet.* Postremò, facilè hæc ratio contra aduersarios retorquetur. Nam si plura regna non facilè administrantur, & magna imperia nunquam fuere diuturna: tum difficilimũ erit vniuersũm orbem, eiusque simul negotia ecclesiastica & politica curare: ecclesiam verò & regna simul omnia vniuersi orbis regere, quod pontifex Rom. in se suscipit, impossibile erit. nam patriarchæ vix plurib. ecclesiis regẽdis suffecerũt. nemo vniuersæ totius orbis ecclesię administrãdę præter Christũ idoneus habitus est. simul verò & ecclesiã vniuersam, & regna omnia gubernare, Dei est, & nõ hominũ.

2 Ibidem.

Quartò dicit *viros fuisse pios, qui episcopo Rom. principatum donarunt temporalem:* Exempli gratia, Constantinum Magnum, Carolum Magnum, Ludouicũ Pium. Idem dicit *impios habitos fuisse & sacrilegos, qui illum auferre conati sunt: vt Aistulphum, Henricum quartum, Othonem quartum, Fridericum primum & secundũ. Postremò, episcopos Rom. pios fuisse, & miraculis claruisse, qui hũc temporalem statum ecclesiæ auxêre, vt Leonem quartum, Leonem nonum, Gregorium 7. Celestinum 5. Adrianum primum, Leonem tertium, Nicolaum primum, & Innocentium tertium.* Sed nec vera narrat; nec si vera narraret, aliquid valeret ista argumentatio. Hoc patet, quia multi zelum habuêre, sed non secundum scientiam: & dum putarunt se Christo rem gratam facere, Antichristo viam ad abominationẽ desolationis in ecclesiam introducendam muniuerunt. Inter Iudæos etiam laudẽ illi adepti sunt, qui primò prophetas, deinde Christum & apostolos acerbissimo odio persequebantur, & interficiebant. Sic etiam Numam celebrant Romani; quem tamen multarũ falsarum superstitionum authorem fuisse constat. Illud probatur *primò*, quia nullum Constantinus donauit Syluestro temporalem principatum. *Secũdò*, quia nec Carolus Magnus, nec Ludouicus Pius regalem dedit pontifici Rom. potestatem. *Tertiò*, quia omnes historici fidedigni significant pontifices Rom. non donationibus, sed violentia

lentia & fraudibus regnum suum temporale acquisiuisse. *Quartò*, quia Henricus quartus, Otho quartus, Fridericus primus & secundus, præterquam à pontificia factione, à reliquis omnibus boni viri & fortissimi & clarissimi imperatores habiti sunt. *Quintò*, quia nec laudem meruerunt pontifices illi, quos nominat Bellarminus, nec omnes operam in fundãdo regno temporali pontificum Rom. pariter nauarunt.

Constantini [1] donatio multis argumentis refellitur. Nam *primò*, contra eius donationis tenorem, Constantinus imperium inter liberos suos partitus est, vt [2] Eusebius, [3] Socrates, Sextus [4] Aurelius Victor, & [5] Sozimus testati sunt. *secundò*, post tempora Ludouici *pii*, authores fidedigni testantur imperatores & Italiæ, & Romæ dominium temporale possedisse.

Paulus [1] Langius, Theodoricus [2] Niemensis, & [3] Laurentius Valla dominium Romæ ad pontifices Rom. non ante Bonifacii 9. aut Innocentii 7. eius successoris tempora peruenisse scribunt. Tertiò, huius donationis nulli authores fidedigni meminerũt. præcipuum eius fundamentum est in legenda Syluestri & constitutione paleari, hoc est, quæ leuis est, vt palea. Quartò, scriptores pontificii donationem hanc non aliter, quàm fabulam habent. [4] Antoninus, [5] Cardinalis Cusanus, [6] Æneas Syluius, & Laurentius Valla, validissimis eam rationibus oppugnarunt. Quintò, si donatio illa valeret; tum pontifex Rom. non Romæ tantùm & Italiæ, sed etiam Germaniæ, Galliæ, Angliæ & Hispaniæ rex esse deberet. omnia enim hæc ei pariter donata reperiuntur. Præterea, omnes reges Christiani eius vasalli essent: quod nec Bellarm. postulat, aut optare ausus est. Sextò, pugnat illud donationis instrumentum & cum rerum gestarum monumentis, & cum more loquendi illorum temporum. Postremò, multa continet illa donatio à temporibus illis aliena, & planè ridicula, vt satis ostensum est à [7] nostris: adeo vt ex legenda potiùs mendacissima, quàm ex fidedigna historia desumpta videatur.

Ado dicit Pipinum donasse pontifici Rom. Rauen-

1 *c. Constantinus. dist.* 96.
2 *Lib. 4. de vita Constãtini.*
3 *Lib. 3. c. vlt.*
4 *In vita Constantini.*
5 *Lib. hist. 1.*
1 *Chronic. Citizen.*
2 *De schism. lib. 2. & 3.*
3 *Contra donat. Constãt.*
4 *Hist. 1. par. tit. 8. c. 1.*
5 *De cõcord. cathol.*
6 *In dialog.*
7 *Brutum fulmen Sixti quinti.*

nam, & Pentapolim: & hanc eius donationem fortasse Carolus magnus confirmauit. sed iura tamen regalia illi donasse nō scribit. neq; sanè verisimile est. nam post donationem illam, imperatores præfectos suos in illis locis tenuerunt, & summam ibi iurisdictionem non nisi armis pulsi amiserunt.

[8] *c. ego Ludouicus. dist. 63.*

Donatio etiam [8] Ludouici pii planè commentitia est. nam post tépora illa, ipsius posteri in regionibus, & vrbibus, quas ipse donasse fertur, regnarunt. Imò Corsicam & Sardiniam, & Venetias, & multas alias regiones ab ipso donatas pontifices Rom. nec olim habuerunt, nec nunc possident. Præterea, pugnat illud instrumentum, quod inter decreta reponitur, ab illo, quod in bibliotheca Vaticana habetur, & à [9] Volaterrano describitur, vt ex eorum collatione satis liquet. *scripturæ autem diuersæ & sibi inuicem derogantes nullam fidem merentur*, vt aiunt [1] iurisconsulti. Postremò, vt aliquid donasset Ludouicus; regnum tamen nec dedit, nec dare potuit.

[9] *Geograph. lib. 3.*

[1] *In l. scripturæ. Cod. de fid. instrumentorum.*

Pontifices ergo Rom. non ex donatione, sed, vt antea diximus, partim violentiâ, partim astutiâ regnum acquisiuere. [2] Gregorius 2. ad defectionem perpulit Italiam, & inde primùm ex rebellione nomen adeptus est. Alii pontifices, pulsis ex Sicilia Gallis, & ex regno Neapolitano Græcis, & Francis, regnum illud ad se transferre cœperunt. Debellato Henrico 4. & duobus Fridericis fractis, magnas opes non tantùm in Italia, sed etiam in Gallia, Hispania, Germania, Anglia, & aliis in locis acquisiuere: licèt ius suum subinde ab illis imperatores strenui repetere non dubitarint.

[2] *Zonaras in Leone Isauro.*

Hinc profecta sunt omnia illa maledicta, quæ in optimos imperatores, & pontifices Rom. & eorum factio euomuit. hoc enim solenne erat pontificibus Roman. emissarios conducere, & monachos submittere loquaces, qui grauissima crimina aduersariis suis imponerent. Huius generis scriptores multos habuit [3] Gregorius septimus. [4] Gregorius etiam nonus scripto infami famam Friderici 2. lacerauit. neq; nunc cessant aduersus principes optimos more suo latrare.

[3] *Bona Card.*

[4] *Matt. Paris. in Henric. 3.*

trare, rectè enim norunt, vt vulnus infamiæ curetur, manere tamen eius cicatricem. de iis ergo rectè Nigellus:

Hi sunt, iustitiam qui prostituêre pudicam,
Falsa loqui linguas, qui docuêre suas.

Henricum 4. scriptores multi [5] laudant. similiter & duos Fridericos: sed & res gestæ ostendunt præclaros fuisse viros. Otho 4. propter virtutem factus est à pontifice imperator. factis ergo potiùs credendum est, quàm hostium & aduersariorum calumniis.

[5] *In vita Henr. 4.*

Quod autem pontifices illos, qui remp. Rom. auxerunt multi laudent, non satis ostendit fuisse eos viros bonos. illud enim præclarum est, laudari à laudatis viris. parasitorum verò & monachorum has laudationes nemo sanus vel titiuillitio emisset. Gregorium 7. virum fuisse sceleratissimum ex sententia constat synodi Brixinensis. *Quia constat*, inquiunt patres [6] Brixinenses, *illum non à Deo electum, sed à seipso in fraude & pecunia obiectum, qui ecclesiasticum subuertit ordinem, qui Christiani imperii perturbauit regnum, &c. nos, authore Deo, contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia & incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentem procedentes, &c. iudicamus canonicè deponendum.* Innocentium 3. virum fuisse sanguinum ostendit Vrspergensis. Celestinũ 5. aiunt *vnum pecus* fuisse. eum enim a Bonifacio 8. deceptum renũtiasse papatui. nec reliquos fuisse constat meliores. Quod autem nõnullos aiũt miraculis claruisse, parum videtur probabile. miracula enim in illa sede iampridem cessauerant. aut ergo narrationes illæ confictæ erant: aut talia erant eorum miracula, qualia Gregorius 7. fecit, qui ex manicis scintillas 7 excussit, & multa fecit mira ope Diabolica, & arte fortasse magica.

[6] *Abbas Vrsperg. & Beno Card.*

7 *Beno Card. in eius vita.*

Falsum est deniq; quod dicit [8] Bellarm. *Leonem* 4. & *Leonem* 9. & Celestinum 5. & Adrianum 1. & Leonem 3. principatum temporalem à principibus & imperatoribus recepisse. nihil enim eius rei narrant historici. nec sane probabile est, aut memorabile, cum vnum tantùm fuerit regnum, tot pontifices illud recepisse.

[8] *Col. 1077.*

Dicit quintò & vltimò, *experientia probari vtile esse, vt episcopi possiderent principatus. eam enim esse malitiam temporum, vt aliter sedes suas tenere non possent.* Sed agimus nos de regno, & non de quouis principatu. Præterea, mirum est Christum & Apostolos non animaduertisse hoc vtile futurum. nos certè potiùs ex Christi institutione, quàm ex humana prudentia existimandum censemus, quid ecclesiæ vtile, vel inutile futurum sit. hoc etiam censuit Hilarius. *apostolos* enim *nullis humanis potestatibus adiutos prædicasse Christum, gentesque ferè omnes ex idolis ad Christum transtulisse*[1] *dicit*. Etiam experientia nos istud docuit. nam ex pontificum potentia religio magnam accepit calamitatem. vox enim audita est dicentis, *tum venenum effusum in ecclesiam, quando primùm ditata est.* & olim dictum est, *religionem peperisse diuitias, & filiam deuorasse matrem.* Præterea, ex ista occasione & imperium labefactatum est, & Turcarum opes creuerunt. paulatim etiam hæreses, & noui cultus inualuerunt. postremò, omnis funditus interiit Christianorum libertas. Cum ergo nullo iure res imperii possideant pontifices Rom. quid cessant principes Christiani sua repetere? quid dormit populus Christianus? cur non iugum hoc seruitutis durissimum tanta oblata opportunitate excutit?

1 *Contr. Auxentium.*
2 *Serm. disc.*

Pontifices Rom. regnum suum temporale iniuste possidere.

CAP. XVI.

HAbet quidem regnum pontifex Rom. & quodammodo possidet. nam &[1] prædones, & detentores quodāmodo possidere dicuntur. Sed vtrùm iustè habeat & possideat, vt audacter affirmat[2] Bellarm. illud nunc quæritur. Nos enim nec plenè, nec iustè possidere dicimus. Plena enim possessio est, quando res naturaliter, ciuiliter, & pacificè[3] possidetur. & iusta est, quæ vel iure ciuili, vel iure gentium, nullo iure diuino repugnante acquiritur. At pontifex Rom. etsi à suis rex salutetur, & rex regum; & vrbem Romam & Galliæ Picenæ partem regio iure teneat; tamen nec plene, nec iustè possidet. *Non plenè*, quia nec ex legitima cau-

1 *L. prædonis, & ibi Bart. ff. de petit. hæredit.*
2 *Lib. 5. de pont. Rom. c. 9.*
3 *Bald. in l. mater. ff. ad Tertull.*

ma causa;nec iure possidet,nec pacificè. *Non iustè*, propter rationes infrà scriptas.

Primò, ex iure gentium non possidet, quia nec vacuam possessionem inuasit, nec bello legitimè gesto, neque pactione, vel alio modo ex iure gentium descendente acquisiuit, quod non tantùm ex rerum gestarum monumentis, sed etiam ex confessione aduersariorum probatur. nullum enim ius gentium proferunt, vnde hoc temporale dominium ad pontificem pertinere intelligamus.

Secundò, ex iure ciuili non possidet, quia regna ex iure gentium descendunt, & non propriè ex iure ciuili. Deinde, etiamsi ex iure ciuili regnum posset acquiri, idque vel donatione, vel præscriptione; tamen iste neque ex donatione habet, neque ex præscriptione. *Non ex donatione*, quia instrumenta quæ aduocati pontificis proferunt donationum, aut conficta sunt, vt quæ Constantini & Ludouici nomine eduntur: vel non continent donationem regni temporalis, vt donatio Mathildis, & aliorum principum inferiorum, qui nec regnum habuerunt, nec donare potuerunt: vel non sunt legitimæ donationes, vtpote factæ sine populi, & eorum qui interesse habuerunt, consensu. *Non ex præscriptione*, quia præscriptio nec contra [4] supremam principis potestatem, nec contra [5] res prohibitas alienari, nec contra leges procedit. Præterea, vt processisset præscriptio; tamen ea sæpe interrupta est. nam imperatores quando inaugurantur, iurant se res imperii repetituros: & hoc Henricus 4. & 5. & 6. & duo Friderici & Ludouicus Bauarus strenuè fecerunt.

[4] *Bald. in l. 1. col. 9. cod. de emancipand. lib. & gloss. 16. q. 4.*

[5] *Gloss. & Dd in l. 1. Cod. si aduers. vsucap.*

Tertiò, vt iure gentium, vel ciuili, aliquem legitimum acquisitionis & possessionis titulum proferre posset; iure tamen diuino Cæsaris & ecclesiæ iura distincta sunt; & Christus quæ Cæsaris essent, Cæsari reddenda censuit: nec voluit ille rex fieri, licèt hoc ei populus detulisset. Præterea, Christus apostolis suis regnũ interdixit. & Petrus & exemplo & doctrina ostendit, regnũ à suis successoribus capi non debere. ipse. n. tributum soluit, & dominatum in clerum prohibuit.

Quartò, ecclesia semper sacerdotium & imperium ita distinxit, vt facilè intelligatur cum eius disciplina pugnare, vt aliquis episcopus regnum possideat. Vetuère canones apostolorum omnes episcopos & presbyteros publicas administrationes suscipere: & omnes primi episcopi Rom. ab hac ambitiosa regni affectatione abhorruerunt.

Quintò, pugnat cum episcopatus natura, vt idem sit rex & episcopus. episcopus enim minister est ecclesiæ: at rex dominiũ habet in populum sibi subditum. Ille rogat, monet, docet: hic iubet, imperat, cogit, & nec obediẽtem ciuem verberibus, exilio, damno, vinculis, & morte castigat.

Sextò, pugnat hoc cum inauguratione pontificis Rom. Ipse enim consecratur in pontificem, & locatur in sede Petri, & claues ei regni cœlorum traduntur: nõ autem fit rex, nec in throno imperiali locatur, nec gladium accipit aut sceptrum. Quis ergo non videt eum, nunc vt pontificem, esse etiam regem, & regnum iniustè & sine titulo possidere?

Septimò, iniustè acquisita nec iustè possideri possunt: nunquam enim in conscientia tutus est, qui scit se aliquid habere, quod iniustè acquisitum est. At dominium Romæ fraude, & iniustitia acquisitum est, repugnante multùm populo Rom. vt docent *Theodoricus à Niem*, *Laurentius Valla*, & omnes, qui verum dicere non reformidarunt. Idem etiam sentiendum est de dominio reliquæ Italiç, quod pontifices Rom. possident. illud enim *primò* imperatoribus Græcis, *deinde* imperatoribus Germanorum extorserunt.

Postremò, res alienæ semper iniustè possidentur. At pontifex Rom ex spoliis imperatoris, & principum, & rebus alienis regnum suum conflauit. Vrbs Roma, quæ nunc sedes est papatus, imperatoris est. *Ab antiquo*, inquit [1] Engelbert⁹ Wusterwits, *Roma semper vrbs extitit regalis & imperialis: alioqui ab electoribus deputatus ad imperium legitimè sublimatus, quisquis ille foret, frustra & incassum rex appellaretur Romanorum.* Laurentius Valla *inaudita fraude* dicit *Romanis ereptam à pontifice libertatem.* Regnum Neapolitanũ per absentiam, & mi-

[1] *Apud Paulum Langiũ in chron. Citicen. p. 849.*

& minorem ætatem imperatoris Conradi & Conradini rapuit. Ex Gallia Picena & Italia vi imperatorem exegit. atque ita res alienas semper, vt prædo iniustus, inuasit.

Non itaq; *tam facile probari potest pontificem Rom. iure habere principatum hunc temporalem*, vt existimat Bellar. neque enim verum est, *eum vel dono habuisse principum, vel præscriptione, vel hæc sufficere*, vt antè dictū est. Nec firma sunt, quæ hoc nomine ab illo [1] proferuntur. Narrat quidem [2] Ado *Pipinum regem Rauennam, totamq; Pentapolim sanctis Apostolis Petro & Paulo tradidisse*. At alii [3] narrant Cōstantinum magnum & hæc ipsa, & multo plura donasse Siluestro: cuius donationis fortasse puduit Bellarminum. Præterea, hęc donatio Pipini nulla erat. ille enim ea donauit *Petro & Paulo*, qui nec in mundo erant, nec res donatas capere potuerunt. neq; enim vnquam auditum est, eos vel reges fuisse, vel ista possedisse. Tertiò, hæc donatio quæ facta est *Petro & Paulo*, pro pontifice Rom. nihil facit. ipse enim Bellar. nouit & fatebitur, credo, pontificem Rom. non successisse illis in dominio temporali, sed in functione pastorali. Quartò, vt fructus & prouentus harum prouinciarum donati essent apostolis; non tamen sequitur regalem potestatem ipsis datam fuisse. nouerat enim Pipinus apostolicum officiū longè diuersum fuisse à regio; & princeps quando donat aliquas ciuitates, non tamen dat regalia, aut regnū in illis ciuitatib. Postremò, hæc donatio Pipini ad exiguā tantùm partem regni pontificii temporalis extenditur; & propterea ad rei summam parum prodest.

Exhibet secundò Bellar. [4] instrumentum donationis *Ludouici Pii*. Sed illud nos iā falsum esse euicimus: nec ipse authenticum esse probare potest. quis enim vel domesticis testibus, vel instrumentis ex propriis archiuis depromptis fidem adhibeat? Verùm vt hæc missa faciamus; nec donare potest imperator vrbem regalem & imperii sedem, nec potuit vel pontifex Roman. vel beatus *Petrus* hanc donationem capere. Iste, quia in rerum natura non esset; ille, quia pontifex erat. Postremò, nunquam ex hac donatione vrbem Ro-

[1] *Col.* 1077. *& lib.* 5. *de pont. Rom. c.* 9.
[2] *In chron. Anni* 727.
[3] *C. Constantinus. dist.* 96. *& legenda S. Siluestri.*
[4] *C. ego Ludouicus. dist.* 63.

mam & eius territorium pontifex Rom. possedit. nam vrbs illa vsq; ad Bonifacii 9. & Innocētii septimi tempora, vel in imperatorum erat ditione, vel libera, vt docet [1] *Valla*.


[1] *Contra donat. Constantini.*

Profert tertiò testimonium Leònis episcopi Hostiensis nescio cuius. Sed testis iste, licèt *Leonis* habeat nomen, nihil tamen aliud erat, quàm asinino stupore præditus futilis monachus. Præterea, instrumentum ab illo productum confictum videtur. nam primò instrumentum hoc & Leo iste ab Adone, qui eiusdem instrumenti mentionem facit, multum discrepat. Deinde eà continet, quæ Pipinus donare non potuit. neque enim donare potuit liberos populos & ciuitates; nec subditos potuit alienare sine ipsorum consensu. Tertiò, ea narrat donata, quæ pontifices Rom. nunquam vel possederunt, vel optare ausi sunt. dicit enim omnia à Lunis, seu Lunæ promontorio, vsq; ad sinum Veneticum & Histriam, in quibus est Venetiarum illustrissima vrbs, Hetruriæ & Galliæ togatæ magna pars; & multa alia, quæ nec pontifices Rom. vnquam possederunt, vel ad se pertinere dicunt. Quartò, donatio hæc facta fertur pontifici Rom. vt Petri successori. ille autem non se hæc possidere, vt Petri successorem, sed vt principem politicum dicit. Quintò, donata hęc feruntur Petri vicario: at pontifex Rom. non se dicit Petri vicarium, sed Christi. Postremò, vt hæc omnia pontifici Rom. data essent; non tamen sequitur eum regem à *Pipino* constitutum fuisse. nam ipsius posteri multos annos postea has Italię partes, quę in donatione continentur, regio iure administrarunt.

Quartò, ex eiusdem Leonis testimonio probare conatur Bellar. *Liguriam & Thusciam Gregorio septimo à Mathilda comitissa donatam fuisse.* Sed nec quicquam valet eius testimonium, vt diximus; nec hoc quod narrat, vel verè, vel probabiliter narratur. nam si hæc donauerat Pipinus, vt antea dixit, cur noua opus erat donatione? Præterea, quî factum est, si hæc verè facta sint, vt Liguriam & Hetruriam nunquam possederit pontifex Rom. alii semper possederint? Verùm vt donasset hæc comitissa aliquid (pontificem enim Gregorium


gorium 7. valde amauit) summum tamen imperium, & regnum donare non potuit neque enim plus transmittere potuit ad alios, quàm ipsa habuit: neq; potuit pontifex Rom. hoc capere.

Postquam ergò in donationibus istis commentitiis nihil firmi præsidii positum esse vidisset; confugit ad longi temporis præscriptionem: &, vt pontificis Rom. latrocinia defendat, dicit *etiam latrocinio acquisita longissimo tempore fieri legitima: & Tiberium iure possedisse, quæ Iulius Cæsar iniustè occupauerat, & eodem iure Francos Galliam, Saxones Britanniam tenere* Sed ratio dissimilis est. Illi enim nulla lege vetiti sunt regnum possidere: at in pontifices Rom. cadit Christi interdictum. Illi bello acquisiuerant ex iure gentium: isti ex nullo iure gentium, sed ementitis donationibus & fraudibus, & sub specie religionis in aliena clàm irrepserunt. Illorum præscriptionem nullæ leges impediebant: istorum præscriptionem plurima impediunt. nam cõtra summam potestatem, & fiscum, & tributorum solutionem, & prohibitiones, & leges nõ procedit præscriptio, nec quicquam valet vbi semel interrupta est. Postremò, meritò dubitari potest de Tiberii iure, & rebus latrocinio acquisitis. nam licèt singulis hominibus non liceat hæc iudicare: Deus tamen quandoque iudicabit; idemq; aliter quàm homines iudicat. Cum ergo nec ipsi aduersarii negare possint, hoc temporale dominium latrocinio esse acquisitum; nec vel titulum legitimum, vel iustam possessionem probare possint; quid aliud superest, nisi vt prædo iste & imperii inuasor, à principibus Christianis ex prouinciis alienis, & ex toto temporali dominio, quod nullo iure possidet, exturbetur?



LIBER QVINTVS, DE PONTIFICE ROMANO eiusque regno tenebroso, in quo se Antichristum esse declarauit.

Pontificem Rom. Antichristum esse probatur ab interpretatione nominis Antichristi, CAP. I.



DE pontifice Rom. hactenus diximus, quid non sit. nunc ergo inquirendum restat, quid sit. nolumus enim tanti viri nomen, naturam & officium diutiùs latêre. Et quidem, quod non sit Petri successor, nec totius ecclesiæ monarcha, satis constat ex iis quæ superiùs disputata sunt. ex eis etiam colligere licet, quod infinitam sibi & in ecclesiæ totius & in rerump. & regnorũ administratione potestatem nullo iure sibi sumpserit. Nunc ergo, vt omnib. suis numeris absoluta sit hæc de pontifice Rom. disputatio, diligẽter inuestigandum videtur, quid sit. Negotiũ sanè spissum & difficile; & in quo aduersarii nobis summis viribus resistunt. ex multis tamẽ & certis signis, & argumentis hoc tandẽ inuenisse videmur. neq; enim cuiquã sacras scripturas & veterum monumenta diligẽter perscrutanti, & omnia põtificis Rom. dicta & facta, temporumque statum ad illam regulam exigenti dubium esse potest, *quin pontifex Rom. sit ille Antichristus, de quo apostoli, & sacræ literæ loquuntur.* Negat quidem strenuè [1] Bellar. & vt multitudine quęstionum veritatẽ obruat, aut saltem obumbret, multa quærit de nomine, de tempore aduentus, de morte, de sede, de miraculis, regno & præliis Antichristi; & vtrùm plures an vnus tantùm sit Antichristus; & quod sit eius nomen proprium; & vnde oriturus sit, & huiusmodi a-

[1] *Lib. 3. de pont. Rom. cap. 1.*

iusmodi alia. hîc tamen nõ aliud quæritur, quam quis sit Antichristus, de quo apostolus 2. Theſſ. 2. Hoc inuento, omnes aduersariorum quæstiones, & argutiæ dissoluuntur. hoc ergo nos clarè ostensuros profitemur. discussis enim quæstionum nebulis, efficiemus vt omnes videant, non alium Antichristũ exspectandum, quàm pontificem Rom. *qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; & multos iam annos in templo Dei sedet, & se ostendit tanquam sit Deus.*

Probatur autẽ sententia nostra, primò ex notatione & interpretatione nominis Antichristi. Quicunq; *Argumentũ primum.* enim vel ita se effert, quasi Christi vices gereret, aut Christo aduersatur, eiusque ecclesiam totis viribus oppugnat, is Antichristus est. ἀντίχριστος enim dicitur, vt ἀντίθεος & ἀντίχειρ. [2] ἀντίθεος autẽ est, qui vel aduersus Deũ opponitur, vel qui similis est Deo, & loco Dei. *2 Nonnus in Ioan. 5.* Similiter ἀντίχειρ dicitur pollex, vel quod æquipolleat cęteris digitis, vel quod ex aduerso digitis reliquis oppositus sit. Vtramq; significationem conuenire Antichristo dubium non est. nam secundam aduersarii cõcedunt; & eam genuinam esse facta ipsius docent. primam autẽ ei competere facilè probare licet. idq; primò ex Matth. 24 capite. Christus enim prædicit *multos in nomine suo venturos, & dicturos, Ego sum Christus:* quod sine dubio ad Antichristũ, qui Christi in se sumit officium, præcipuè pertinet. Pręterea, vt Christus erat agnus, sic Antichristus figuram geret agni. *Habuit,* inquit [3] Ioannes de antichristo verba faciens, *duo cornua similia agno* Primasius dicit, cum morib. suis quodammodo se simulaturum esse agnum. *3 Apoc. 13.* Tertiò, vt Christus in ecclesia sua pręsidet; sic ipse in ecclesia [4] eleuabitur. & ibi sedem suam ponet. *4 2. Theſſ. 2.* Quartò, vt Christus Deus erat: sic ipse adorari cupiet, [5] *ostedens se tanquam sit Deus.* *5 Ibid.* Probatur postremò ratione: quia non satis est Antichristum aduersarium esse, nisi sub specie Christi & Christianæ religionis fallat. nam imperatores ethnici grauiter persequuti sunt ecclesiam Dei; & Turcæ nunc acerrimè Christo aduersantur: sed quia extra ecclesiæ fines sunt, & palàm oppugnant no-

men Christi; certum est eos ad regnum Antichristi, de quo apostoli loquuntur, non pertinere. necesse ergo est, vt Antichristus significet non omnem aduersarium, sed eum qui sub nomine Christi, & pro vicario se Christi gerens, se factis aduersarium esse Christi ostendet.

[6] Col. 836.

Ad argutias [6] Bellarmini respondeo primò, præpositionem *ἀντὶ* significare quidem *contrà*, sed non semper: vt ex vocibus, *ἀντίθεος*, & *ἀντίχειρ* ostendimus. idem etiam in vocabulis *ἀντιστράτηγος*, & *ἀντιάνειρα*; & multis aliis eius generis apparet.

Dico secundò, in scripturis vocabulum hoc *ἀντίχριστος*, non ita designare aduersarium tantùm, quin etiam significet æmulũ, vel qui sub nomine Christi, se tamen aduersarium & pseudochristum ostendet.

Respondeo tertiò, quod patres etsi per Antichristũ intelligant aduersariũ; tamen non alium intelligunt aduersariũ, quàm qui nomine Christi aduersus Christum pugnabit. neq; enim putandum est, eum minùs fallacẽ & subdolum fore, quàm reliquos pseudochristos, & pseudoprophetas, qui in [1] nomine Christi venient. *Inuenimus*, inquit [2] Augustinus, *multos Antichristos, qui ore confitentur Christum.* & in tractatu de Antichristo; *Gloriam*, inquit, *vanam quærens omnipotentem Deum se nominabit.*

[1] Matth. 24.
[2] Tractat. 3. in Ioan. epist.

Respōdeo quartò, etsi Stephanus in Lexico suo Antichristum interpretetur *aduersarium*; non tamen negare ipsum, quin talem significet aduersarium, qui sub specie & nomine Christi & eius religionis ipsi aduersabitur.

At præter pontificẽ Rom. nemo se dicit nunc Christi vicarium: nec aliquis arrogantiùs sibi Diuinos honores ascripsit, quàm ille. nec, dum Christi se vicarium simulat, aliquis Christo magis aduersatus est, quàm ille. Ac de vicario Christi non solent aduersarii negare. eum enim solum & vnicum volunt esse Christi vicarium: & quod à [3] Ludouico appellatus sit vicarius Petri, hoc illos malè habet.

[3] C. ego Ludouicus. dist. 63.

Præterea, nemo arrogātiùs quæ Dei sunt sibi ascripsit, quàm pontifex Rom. nam & nomē Dei sibi sumit, & poten-

& potentiam, & honores: vt nos postea multis testimoniis confirmabimus. fertur sublimis in humeris hominum; pedes eius summi principes osculantur, vt Maria Magdalena Christi; potestatem deniq; sibi in cœlis, & terris, & apud inferos arrogat.

Christo deniq; apertè aduersatur, dum Christi verbo scripto suas traditiones pares facit, & relictis scripturis originalibus, Latinam versionē pro authentica habet, & omnes interpretationes suas pro verbo Dei probari cupit: dum, inquam, fidei fundamētà turbat, & nouos cultus, & noua sacramenta instituit, & Christi in sacramētis noui Testamenti institutionem mutauit. Probatur etiam istud, quia Christi meritis aut taciturnitate præteritis, aut obscuratis, operibus & cæremoniis à se institutis iustitiam adscribit: & quia nouas leges decretalinas loco Euangelii Christi promulgauit, & omnes fideles Christianos ferro & flammis persequitur. Quare, licèt ore Christū confiteatur, & verbo se esse iactet Christi vicarium; tamen aduersarius & æmulus est Christi, & ipsissimus Antichristus.

Probatur idem, quia pontifex Roman. est aduersarius Christi, & extollit se super omnem Deum.

Cap II.

PRobatur secundò, quia licèt sedeat quodammodo in ecclesia Dei pontifex Rom. tamē reuera aduersarius est, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. hoc enim Antichristi proprium est. *Aduersatur*, inquit [1] Apostolus de Antrichristo verbà faciens, *& extollitur supra omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Ambrosius de Antichristo loquens: *Sciens*, inquit, [2] *venturum Dominum ad se comprimendum, nomen eius sibi vsurpabit, & vt regnum eius verum esse videatur, attrahet secum qui simul cum ipso pereant, ita vt in domo Domini in sede sedeat Christi, & ipsum Deū se asserat; non filium Dei* adeoque hoc Antichristi proprium est, vt nulli præterea conueniat. Quod si ergo demonstrare possimus pontificem Rom. esse aduersarium Christi, & extollere se supra omnem Deum: tum non tantùm nomen Antichristi, vt in superiore argu-

[1] 2. *Thess.* 2.

[2] *In* 2. *Thessal.* 2.

Dicit quintò & vltimò, *experientia probari vtile esse, vt episcopi possiderent principatus. eam enim esse malitiam temporum, vt aliter sedes suas tenere non possent.* Sed agimus nos de regno, & non de quouis principatu. Præterea, mirum est Christum & Apostolos non animaduertisse hoc vtile futurum. nos certè potiùs ex Christi institutione, quàm ex humana prudentia existimandum censemus, quid ecclesiæ vtile, vel inutile futurum sit. hoc etiam censuit Hilarius. *apostolos* enim *nullis humanis potestatibus adiutos prædicasse Christum, gentesque ferè omnes ex idolis ad Christum transtulisse* [1] *dicit.* Etiam experientia nos istud docuit. nam ex pontificum potentia religio magnam accepit calamitatem. vox enim audita est dicentis, *tum venenum effusum in ecclesiam, quando primùm ditata est.* & olim dictum est, *religionem peperisse diuitias, & filiam deuorasse matrem.* Præterea, ex ista occasione & imperium labefactatum est, & Turcarum opes creuerunt. paulatim etiam hæreses, & noui cultus inualuerunt. postremò, omnis funditus interiit Christianorum libertas. Cum ergo nullo iure res imperii possideant pontifices Rom. quid cessant principes Christiani sua repetere? quid dormit populus Christianus? cur non iugum hoc seruitutis durissimum tanta oblata opportunitate excutit?

1 Contr. Auxentium.
2 Serm. disc.

Pontifices Rom. regnum suum temporale iniustè possidere.

CAP. XVI.

HAbet quidem regnum pontifex Rom. & quodammodo possidet. nam & [1] prædones, & detentores quodámodo possidere dicuntur. Sed vtrùm iustè habeat & possideat, vt audacter affirmat [2] Bellarm. illud nunc quæritur. Nos enim nec plenè, nec iustè possidere dicimus. Plena enim possessio est, quando res naturaliter, ciuiliter, & pacificè [3] possidetur. & iusta est, quæ vel iure ciuili, vel iure gentium, nullo iure diuino repugnante acquiritur. At pontifex Rom. etsi à suis rex salutetur, & rex regum; & vrbem Romam & Galliæ Picenæ partem regio iure teneat; tamen nec plenè, nec iustè possidet. *Non plenè,* quia nec ex legitima cau-

1 L. prædonis, & ibi Bart. ff. de petit. hæredit.
2 Lib. 5. de pont. Rom. c. 9.
3 Bald. in l. mater. ff ad Tertull.

ma causa, nec iure possidet, nec pacificè. *Non iustè*, propter rationes infrà scriptas.

Primò, ex iure gentium non possidet, quia nec vacuam possessionem inuasit, nec bello legitimè gesto, neque pactione, vel alio modo ex iure gentium descendente acquisiuit, quod non tantùm ex rerum gestarum monumentis, sed etiam ex confessione aduersariorum probatur. nullum enim ius gentium proferunt, vnde hoc temporale dominium ad pontificem pertinere intelligamus.

Secundò, ex iure ciuili non possidet, quia regna ex iure gentium descendunt, & non propriè ex iure ciuili. Deinde, etiamsi ex iure ciuili regnum posset acquiri, idque vel donatione, vel præscriptione; tamen iste neque ex donatione habet, neque ex præscriptione. *Non ex donatione*, quia instrumenta quæ aduocati pontificis proferunt donationum, aut conficta sunt, vt quæ Constantini & Ludouici nomine eduntur: vel non continent donationem regni temporalis, vt donatio Mathildis, & aliorum principum inferiorum, qui nec regnum habuerunt, nec donare potuerunt: vel non sunt legitimæ donationes, vtpote factæ sine populi, & eorum qui interesse habuerunt, consensu. *Non ex præscriptione*, quia præscriptio nec contra [4] supremam principis potestatem, nec contra [5] res prohibitas alienari, nec contra leges procedit. Præterea, vt processisset præscriptio; tamen ea sæpe interrupta est. nam imperatores quando inaugurantur, iurant se res imperii repetituros: & hoc Henricus 4. & 5. & 6. & duo Friderici & Ludouicus Bauarus strenuè fecerunt.

[4] *Bald. in l. 1. col. 9. cod. de emancipand. lib. &* *gloss.* 16. *q.* 4.

[5] *Gloss. & Dd in l. 1. Cod. si aduers. vsucap.*

Tertiò, vt iure gentium, vel ciuili, aliquem legitimum acquisitionis & possessionis titulum proferre posset; iure tamen diuino Cæsaris & ecclesiæ iura distincta sunt; & Christus quæ Cæsaris essent, Cęsari reddenda censuit: nec voluit ille rex fieri, licèt hoc ei populus detulisset. Præterea, Christus apostolis suis regnũ interdixit. & Petrus & exemplo & doctrina ostendit, regnũ à suis successoribus capi non debere. ipse. n. tributum soluit, & dominatum in clerum prohibuit.

Quartò, ecclesia semper sacerdotium & imperium ita distinxit, vt facilè intelligatur cum eius disciplina pugnare, vt aliquis episcopus regnum possideat. Vetuere canones apostolorum omnes episcopos & presbyteros publicas administrationes suscipere: & omnes primi episcopi Rom. ab hac ambitiosa regni affectatione abhorruerunt.

Quintò, pugnat cum episcopatus natura, vt idem sit rex & episcopus. episcopus enim minister est ecclesiæ: at rex dominiũ habet in populum sibi subditum. Ille rogat, monet, docet: hic iubet, imperat, cogit, & nec obediẽtem ciuem verberibus, exilio, damno, vinculis, & morte castigat.

Sextò, pugnat hoc cum inauguratione pontificis Rom. Ipse enim consecratur in pontificem, & locatur in sede Petri, & claues ei regni cœlorum traduntur: nõ autem fit rex, nec in throno imperiali locatur, nec gladium accipit aut sceptrum. Quis ergo non videt eum, nunc vt pontificem, esse etiam regem, & regnum iniustè & sine titulo possidere?

Septimò, iniustè acquisita nec iustè possideri possunt: nunquam enim in conscientia tutus est, qui scit se aliquid habere, quod iniustè acquisitum est. At dominium Romæ fraude, & iniustitia acquisitum est, repugnante multùm populo Rom. vt docent *Theodoricus à Niem*, *Laurentius Valla*, & omnes, qui verum dicere non reformidarunt. Idem etiam sentiendum est de dominio reliquæ Italię, quod pontifices Rom. possident. illud enim *primò* imperatoribus Græcis, *deinde* imperatoribus Germanorum extorserunt.

Postremò, res alienæ semper iniustè possidentur. At pontifex Rom ex spoliis imperatoris, & principum, & rebus alienis regnum suum conflauit. Vrbs Roma, quæ nunc sedes est papatus, imperatoris est. *Ab antiquo*, inquit [a] Engelbert⁹ Wusterwits, *Roma semper vrbs extitit regalis & imperialis: alioqui ab electoribus deputatus ad imperium legitimè sublimatus, quisquis ille foret, frustra & incassum rex appellaretur Romanorum.* Laurentius Valla *inaudita fraude* dicit *Romanis ereptam à pontifice libertatem.* Regnum Neapolitanũ per absentiam, & mi-

[a] *Apud Paulum Langiũ in chron. Citicen. p. 849.*

& minorem ætatem imperatoris Conradi & Conradini rapuit. Ex Gallia Picena & Italia vi imperatorem exegit. atque ita res alienas semper, vt prædo iniustus, inuasit.

Non itaq; *tam facile probari potest pontificem Rom. iure habere principatum hunc temporalem*, vt existimat Bellar. neque enim verum est, *eum vel dono habuisse principum, vel præscriptione, vel hæc sufficere*, vt antè dictū est. Nec firma sunt, quæ hoc nomine ab illo[1] proferuntur. Narrat quidem[2] Ado *Pipinum regem Rauennam, totamq; Pentapolim sanctis Apostolis Petro & Paulo tradidisse*. At alii[3] narrant Cōstantinum magnum & hæc ipsa, & multo plura donasse Siluestro: cuius donationis fortasse puduit Bellarminum. Præterea, hęc donatio Pipini nulla erat. ille enim ea donauit *Petro & Paulo*, qui nec in mundo erant, nec res donatas capere potuerunt. neq; enim vnquam auditum est, eos vel reges fuisse, vel ista possedisse. Tertiò, hæc donatio quæ facta est *Petro & Paulo*, pro pontifice Rom. nihil facit. ipse enim Bellar. nouit & fatebitur, credo, pontificem Rom. non successisse illis in dominio temporali, sed in functione pastorali. Quartò, vt fructus & prouentus harum prouinciarum donati essent apostolis; non tamen sequitur regalem potestatem ipsis datam fuisse. nouerat enim Pipinus apostolicum officiū longè diuersum fuisse à regio; & princeps quando donat aliquas ciuitates, non tamen dat regalia, aut regnū in illis ciuitatib. Postremò, hæc donatio Pipini ad exiguā tantùm partem regni pontificii temporalis extenditur; & propterea ad rei summam parum prodest.

Exhibet secundò Bellar.[4] instrumentum donationis *Ludouici Pii*. Sed illud nos iā falsum esse euicimus: nec ipse authenticum esse probare potest. quis enim vel domesticis testibus, vel instrumentis ex propriis archiuis depromptis fidem adhibeat? Verùm vt hæc missa faciamus; nec donare potest imperator vrbem regalem & imperii sedem, nec potuit vel pontifex Roman. vel beatus *Petrus* hanc donationem capere. Iste, quia in rerum natura non esset; ille, quia pontifex erat. Postremò, nunquam ex hac donatione vrbem Ro-

[1] *Col. 1077. & lib. 5. de pont. Rom. c. 9.*

[2] *In chron. Anni 727.*

[3] *C. Constantinus. dist. 96. & legenda S. Siluestri.*

[4] *C. ego Ludouicus. dist. 63.*

mam & eius territorium pontifex Rom. possedit. nam vrbs illa vsq; ad Bonifacii 9. & Innocêtii septimi tempora, vel in imperatorum erat ditione, vel libera, vt docet [1] *Valla.*

[1] *Contra donat. Constantini.*

Profert tertiò testimonium Leònis episcopi Hostiensis nescio cuius. Sed testis iste, licèt *Leonis* habeat nomen, nihil tamen aliud erat, quàm asinino stupore præditus futilis monachus. Præterea, instrumentum ab illo productum confictum videtur. nam primò instrumentum hoc & Leo iste ab Adone, qui eiusdem instrumenti mentionem facit, multum discrepat. Deinde ea continet, quæ Pipinus donare non potuit. neque enim donare potuit liberos populos & ciuitates; nec subditos potuit alienare sine ipsorum consensu. Tertiò, ea narrat donata, quæ pontifices Rom. nunquam vel possederunt, vel optare ausi sunt. dicit enim omnia à Lunis, seu Lunæ promontorio, vsq; ad sinum Veneticum & Histriam, in quibus est Venetiarum illustrissima vrbs, Hetruriæ & Galliæ togatæ magna pars; & multa alia, quæ nec pontifices Rom. vnquam possederunt, vel ad se pertinere dicunt. Quartò, donatio hæc facta fertur pontifici Rom. vt Petri successori. ille autem non se hæc possidere, vt Petri successorem, sed vt principem politicum dicit. Quintò, donata hęc feruntur Petri vicario: at pontifex Rom. non se dicit Petri vicarium, sed Christi. Postremò, vt hæc omnia pontifici Rom. data essent; non tamen sequitur eum regem à *Pipino* constitutum fuisse. nam ipsius posteri multos annos postea has Italię partes, quę in donatione continentur, regio iure administrarunt.

Quartò, ex eiusdem Leonis testimonio probare conatur Bellar. *Liguriam & Thusciam Gregorio septimo à Mathilda comitissa donatam fuisse.* Sed nec quicquam valet eius testimonium, vt diximus, nec hoc quod narrat, vel verè, vel probabiliter narratur. nam si hæc donauerat Pipinus, vt antea dixit, cur noua opus erat donatione? Præterea, qui factum est, si hæc verè facta sint, vt Liguriam & Hetruriam nunquam possederit pontifex Rom alii semper possederint? Verùm vt donasset hæc comitissa aliquid (pontificem enim Gregorium

gorium 7. valde amauit) summum tamen imperium, & regnum donare non potuit neque enim plus transmittere potuit ad alios, quàm ipsa habuit: neq; potuit pontifex Rom. hoc capere.

Postquam ergò in donationibus istis commentitiis nihil firmi præsidii positum esse vidisset; confugit ad longi temporis præscriptionem: &, vt pontificis Rom. latrocinia defendat, dicit *etiam latrocinio acquisita longissimo tempore fieri legitima: & Tiberium iure possedisse, quæ Iulius Cæsar iniustè occupauerat, & eodem iure Francos Galliam, Saxones Britanniam tenere* Sed ratio dissimilis est. Illi enim nulla lege vetiti sunt regnum possidere: at in pontifices Rom. cadit Christi interdictum. Illi bello acquisiuerant ex iure gentium: isti ex nullo iure gentium, sed ementitis donationibus & fraudibus, & sub specie religionis in aliena clàm irrepserunt. Illorum præscriptionem nullæ leges impediebant: istorum præscriptionem plurima impediunt. nam cõtra summam potestatem, & fiscum, & tributorum solutionem, & prohibitiones, & leges nõ procedit præscriptio, nec quicquam valet vbi semel interrupta est. Postremò, meritò dubitari potest de Tiberii iure, & rebus latrocinio acquisitis. nam licèt singulis hominibus non liceat hæc iudicare: Deus tamen quandoque iudicabit; idemq; aliter quàm homines iudicat. Cum ergo nec ipsi aduersarii negare possint, hoc temporale dominium latrocinio esse acquisitum; nec vel titulum legitimum, vel iustam possessionem probare possint; quid aliud superest, nisi vt prædo iste & imperii inuasor, à principibus Christianis ex prouinciis alienis, & ex toto temporali dominio, quod nullo iure possidet, exturbetur?



LIBER QVINTVS, DE PONTIFICE ROMANO eiusque regno tenebroso, in quo se Antichristum esse declarauit.

Pontificem Rom. Antichristum esse probatur ab interpretatione nominis Antichristi, CAP. I.



E pontifice Rom. hactenus diximus, quid non sit. nunc ergo inquirendum restat, quid sit. nolumus enim tanti viri nomen, naturam & officium diutiùs latêre. Et quidem, quod non sit Petri successor, nec totius ecclesiæ monarcha, satis constat ex iis quæ superiùs disputata sunt. ex eis etiam colligere licet, quod infinitam sibi & in ecclesiæ totius & in rerump. & regnorũ administratione potestatem nullo iure sibi sumpserit. Nunc ergo, vt omnib. suis numeris absoluta sit hæc de pontifice Rom. disputatio, diligẽter inuestigandum videtur, quid sit. Negotiũ sanè spissum & difficile; & in quo aduersarii nobis summis viribus resistunt. ex multis tamẽ & certis signis, & argumentis hoc tandẽ inuenisse videmur. neq; enim cuiquã sacras scripturas & veterum monumenta diligẽter perscrutanti, & omnia põtificis Rom. dicta & facta, temporumque statum ad illam regulam exigenti dubium esse potest, *quin pontifex Rom. sit ille Antichristus, de quo apostoli, & sacræ literæ loquuntur.* Negat quidem strenuè [1] Bellar. & vt multitudine quæstionum veritatẽ obruat, aut saltem obumbret, multa quærit de nomine, de tempore aduentus, de morte, de sede, de miraculis, regno & præliis Antichristi; & vtrùm plures an vnus tantùm sit Antichristus; & quod sit eius nomen proprium; & vnde oriturus sit, & huiusmodi a-

[1] *Lib. 3. de pont. Rom. cap. 1.*

iusmodi alia. hîc tamen nō aliud quæritur, quam quis sit Antichristus, de quo apostolus 2. Thess. 2. Hoc inuento, omnes aduersariorum quæstiones, & argutiæ dissoluuntur. hoc ergo nos clarè ostensuros profitemur. discussis enim quæstionum nebulis, efficiemus vt omnes videant, non alium Antichristū exspectandum, quàm pontificem Rom. *qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; & multos iam annos in templo Dei sedet, & se ostendit tanquam sit Deus.*

Probatur autē sententia nostra, primò ex notatione & interpretatione nominis Antichristi. Quicunq; enim vel ita se effert, quasi Christi vices gereret, aut Christo aduersatur, eiusque ecclesiam totis viribus oppugnat; is Antichristus est. ἀντίχριστος enim dicitur, vt ἀντίθεος & ἀντίχειρ. [2] ἀντίθεος autē est, qui vel aduersus Deū opponitur, vel qui similis est Deo, & loco Dei. Similiter ἀντίχειρ dicitur pollex, vel quod æquipolleat cęteris digitis, vel quod ex aduerso digitis reliquis oppositus sit. Vtramq; significationem conuenire Antichristo dubium non est. nam secundam aduersarii cōcedunt; & eam genuinam esse facta ipsius docent. primam autē ei competere facilè probare licet. idq; primò ex Matth. 24. capite. Christus enim prædicit *multos in nomine suo venturos, & dicturos, Ego sum Christus:* quod sine dubio ad Antichristū, qui Christi in se sumit officium, præcipuè pertinet. Pręterea, vt Christus erat agnus, sic Antichristus figuram geret agni. *Habuit,* inquit [3] Ioannes de antichristo verba faciens, *duo cornua similia agno* Primasius dicit, eum morib. suis quodammodo se simulaturum esse agnum. Tertiò, vt Christus in ecclesia sua pręsidet; sic ipse in ecclesia [4] eleuabitur. & ibi sedem suam ponet. Quartò, vt Christus Deus erat: sic ipse adorari cupiet, [5] *ostēdens se tanquam sit Deus.* Probatur postremò ratione: quia non satis est Antichristum aduersarium esse, nisi sub specie Christi & Christianæ religionis fallat. nam imperatores ethnici grauiter persequuti sunt ecclesiam Dei; & Turcæ nunc acerrimè Christo aduersantur: sed quia extra ecclesiæ fines sunt, & palàm oppugnant no-

Argumentū primum.

[2] *Nonnus in Ioan. 5.*

[3] *Apoc. 13.*

[4] *2. Thess. 2.*

[5] *Ibid.*

men Christi; certum est eos ad regnum Antichristi, de quo apostoli loquuntur, non pertinere. necesse ergo est, vt Antichristus significet non omnem aduersarium, sed eum qui sub nomine Christi, & pro vicario se Christi gerens, se factis aduersarium esse Christi ostendet.

[6] *Col. 836.* Ad argutias [6] Bellarmini respondeo primò, præpositionem *ἀντὶ* significare quidem *contrà*, sed non semper: vt ex vocibus, *ἀντίθεος*, & *ἀντίχειρ* ostendimus. idem etiam in vocabulis *ἀντιστράτηγος*, & *ἀντιαύγεια*; & multis aliis eius generis apparet.

Dico secundò, in scripturis vocabulum hoc *ἀντίχριστος*, non ita designare aduersarium tantùm, quin etiam significet æmulũ, vel qui sub nomine Christi, se tamen aduersarium & pseudochristum ostendet.

Respondeo tertiò, quod patres etsi per Antichristũ intelligant aduersariũ; tamen non alium intelligunt aduersariũ, quàm qui nomine Christi aduersus Christum pugnabit. neq; enim putandum est, eum minùs fallacẽ & subdolum fore, quàm reliquos pseudochristos, & pseudoprophetas, qui in [1] nomine Christi venient. *Inuenimus*, inquit [2] Augustinus, *multos Antichristos, qui ore confitentur Christum.* & in tractatu de Antichristo; *Gloriam*, inquit, *vanam quærens omnipotentem Deum se nominabit.*

[1] *Matth. 24.*
[2] *Tractat. 3. in Ioan. epist.*

Respõdeo quartò, etsi Stephanus in Lexico suo Antichristum interpretetur *aduersarium*; non tamen negare ipsum, quin talem significet aduersarium, qui sub specie & nomine Christi & eius religionis ipsi aduersabitur.

At præter pontificẽ Rom. nemo se dicit nunc Christi vicarium: nec aliquis arrogantiùs sibi Diuinos honores ascripsit, quàm ille. nec, dum Christi se vicarium simulat, aliquis Christo magis aduersatus est, quàm ille. Ac de vicario Christi non solent aduersarii negare. eum enim solum & vnicum volunt esse Christi vicarium: & quod à [3] Ludouico appellatus sit vicarius Petri, hoc illos malè habet.

[3] *C. ego Ludouicus. dist. 63.*

Præterea, nemo arrogãtiùs quæ Dei sunt sibi ascripsit, quàm pontifex Rom. nam & nomẽ Dei sibi sumit, & poten-

& potentiam, & honores: vt nos postea multis testimoniis confirmabimus. fertur sublimis in humeris hominum; pedes eius summi principes osculantur, vt Maria Magdalena Christi; potestatem deniq; sibi in cœlis, & terris, & apud inferos arrogat.

Christo deniq; apertè aduersatur, dum Christi verbo scripto suas traditiones pares facit, & relictis scripturis originalibus, Latinam versionē pro authentica habet, & omnes interpretationes suas pro verbo Dei probari cupit: dum, inquam, fidei fundamētà turbat, & nouos cultus, & noua sacramenta instituit, & Christi in sacramētis noui Testamenti institutionem mutauit. Probatur etiam istud, quia Christi meritis aut taciturnitate præteritis, aut obscuratis, operibus & cæremoniis à se institutis iustitiam adscribit: & quia nouas leges decretalinas loco Euangelii Christi promulgauit, & omnes fideles Christianos ferro & flammis persequitur. Quare, licèt ore Christū confiteatur, & verbo se esse iactet Christi vicarium; tamen aduersarius & æmulus est Christi, & ipsissimus Antichristus.

Probatur idem, quia pontifex Roman. est aduersarius Christi, & extollit se super omnem Deum.

CAP II.

PRobatur secundò, quia licèt sedeat quodammodo in ecclesia Dei pontifex Rom. tamē reuera aduersarius est, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. hoc enim Antichristi proprium est. *Aduersatur*, inquit [1] Apostolus de Antrichristo verba faciens, *& extollitur supra omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Ambrosius de Antichristo loquens: *Sciens*, inquit, [2] *venturum Dominum ad se comprimendum, nomen eius sibi vsurpabit, & vt regnum eius verum esse videatur, attrahet secum qui simul cum ipso pereant, ita vt in domo Domini in sede sedeat Christi, & ipsum Deū se asserat; non filium Dei* adeoque hoc Antichristi proprium est, vt nulli præterea conueniat. Quod si ergo demonstrare possimus pontificem Rom. esse aduersarium Christi, & extollere se supra omnem Deum: tum non tantùm nomen Antichristi, vt in superiore argu-

[1] 2. *Thess.* 2.

[2] *In* 2. *Thessal.* 2.

mento; sed etiam natura & proprietas, & res ipsa ei conuenire demonstrabitur. quod ergo superiùs tantũ attigimus, hîc vberiùs exponendum, & demonstrandum videtur.

Ipsum ergo aduersarium esse Christi probatur *primò*, quia verbum Dei variè oppugnat. nam illud aut in lingua aliena & ignota occultat, aut incommoda versione deprauat, aut ineptissimis interpretationibus corrumpit, aut scriptis apocryphis, & additamentis traditionum contaminat & conspurcat. [3] Scripturas in linguis originalibus non concedit esse authenticas: easdem in linguis vernaculis & vulgò intellectis publicè legi [4] prohibet, earumque vulgarem vsum in linguis vernaculis populo interdicit. ita. n. dicit Bellarm qui pontificis sui sententiam rectè tenet, & quasi ex ore eius hæc nobis dictauit. Vulgatam Latinam versionem authenticam esse iubet. *In publicis lectionibus*, [5] inquiunt doctores Tridentini, *disputationibus, prædicationibus & expositionibus authentica habeatur.* eam scripturæ interpretationẽ tantùm probat, quàm ipse facit. nullam enim [6] admittit synodus Tridentina *interpretationem contra eum sensum, quem sancta mater ecclesia*, hoc est, pontifex Rom qui illis est instar patris & matris, *tenet.* [7] Libros *Tobiæ*, & *Iudith*, *Ecclesiasticum* etiam, & *Sapientiam*, & libros *Machabæorum*, cum assumentis *Hestera* & *Danielis*, quæ non habentur in originalibus codicibus, in canonem recipit. [8] traditiones denique ecclesiæ Rom. *pari veneratione atq; affectu, ac ipsas scripturas, suscipit & veneratur.* adeoq; capitale est in his rebus à pontifice Rom. dissentire, vt viros quosdam pios Papistæ non alio nomine, quàm quòd scripturas in lingua vernacula legerint, supplicio affecerint. contra sentientes hæreticos esse iudicat. quâ autem re magis potuit Christo verbo Dei æterno aduersari, quàm isto modo ipsius verbum & verbi Christi studiosos oppugnando & mactando?

[3] *Bellar. lib. 2. de verb. Dei c. 2.*
[4] *Ibid. c. 15.*
[5] *Sess. 3. concil. Trid.*
[6] *Ibidem.*
[7] *Ibidem.*
[8] *Ibidem.*

Secundò, aduersus Christi doctrinam variè pugnat. Christus enim omnes hominũ doctrinas reiicit: *Frustra*, inquit [1] Christus, *me colunt, docentes doctrinas &*

[1] *Matth. 15,*

manda-

mandata hominum. Illius autem missæ & cæremoniæ & decretales ferè omnes non aliunde sunt, quàm ab hominibus. Christus *vnum solum Deum adorandum, & ei soli seruiendum* [2] *docet*: Iste angelos, & virginem Mariam, & alios sanctos inuocari & adorari præcipit. [3] Bodinus *Diuum Antonium à plerisq; in Italia & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certè maiore metu coli, quàm Deum immortalem dicit.* Christus legem Dei ad amussim seruari præcepit: iste contra legem Dei, & Deum repræsentari permittit in rebus materialibus & corruptibilibus, & imagines Christi & sanctorum adorari mandat. Imò eandem venerationem imaginibus Christi, & cruci exhibendã [4] docet, quæ ipsi Christo debetur. quod dum Bellar. aliâs excusare conatur, nihil aliud agit, nisi vt se idololatram esse doceat. Multa etiam contra legem Dei committi, quæ tamen non sunt peccata, & multa esse peccata, licèt non committantur contra legem Dei, putat. Christus dixit, *Bibite ex hoc omnes*, nempe qui eucharistiam accipitis: at ille dicit, *non omnes bibite, sed tantùm sacerdotes conficientes.* Christus fregit panem, & distribuit in sua cœna. at iste impiè seruat panem, & adorat, & sæpe nihil eius distribuit. Christus præter sacramenta baptismi, & cœnæ dominicæ, nullum aliud instituit: iste Confirmationi, & Ordini, & Extremæ vnctioni, & reliquis suis sacramentis non minus defert, quàm illis duobus. Gratiam denique Christi fœdissimè obscurat; quod proximè ad Christi abnegationem accedit. nam salutem nostram nõ tantùm Christi gratiæ, vt Paulus docet, sed operibus legis, & sacramentis, & cæremoniis, & obseruationibus ecclesiasticorum mandatorum acceptam fert.

[2] *Matth.* 4.

[3] *De metho. hist. lib.* 5.

[4] *Thom. in 3. sent. dist.* 2. *& Payua. lib.* 9.

Tertiò, Christi prophetiam, sacerdotium, & regnũ oppugnat. nam vt Christus non sit solus doctor; ipse nouam edidit doctrinã decretalinam. ne ipse tantùm sit sacerdos secundùm ordinem Melchizedech; ipse nouos creauit sacerdotes, & nouum sacrificii genus. ne solus sit rex, & legifer noster; ipse leges edidit, quas dicit in conscientia obligare, & transgressores peccato mortali obnoxios facere.

Quartò, redemptionis & salutis meritum cum Deipara virgine, & sanctis communicat. hæc enim omnia dici [1] permittit: *Veni excelsa domina Maria, tu nos visita, ægras mentes illumina, per sacra vitæ munera veni saluatrix seculi, sordes aufer piaculi.* Et in [2] Rosario: *O virtutum vasculum, regina cœlorum, salus anxiorum, saluatrix languidorum.* Et iterum: *saluatrix languidorum, reparatrix & saluatrix desperantis animæ, irroratrix & largitrix gratiæ, sana mea vulnera.* In oratione de quinque vulneribus dicitur, *mediatrix Dei & hominum.* Orantes ita ipsam alloquuntur: *O clementissima domina, consolatio desolatorum, via errantium, salus & spes in te sperantium, fons vitæ & veniæ, fons salutis & gratiæ.* In missali *Parisiensi* hæc ad eam decantantur: O felix puerpera nostra pians scelera, iure matris impera redemptori. Sixtus [3] quartus Mariam *dominam mũdi & reginam poli vocat, & ab ea liberationem ab omni malo expetit.* Sed quid multis opus est? quæcũq; enim [4] Diuinus vates ad Deum cecinit, ea isti ad Mariam detorquent. Infinitum esset omnes huius generis blasphemias persequi.

Ad sanctos etiam vulgò effundi blasphemias permittit. à [5] Nicolao enim Papistæ petunt, *vt se ad salutis portum trahat.* Deum [6] orant, *vt per Vincentiũ patronum consequantur vitæ donum.* [7] Petunt etiam, *vt Petronillæ interuentu, à peccatorum suorum nexibus soluantur.* Hæc etiam oratio olim [8] decãtabatur in ecclesiis: *Tu per Thomæ sanguinem, quem pro te impendit, fac nos Christe scandere, quò Thomas ascendit.* In solennitate Gregorii oratio hæc fundi assolet: *hic nos saluet à peccatis, vt in cœlo cum beatis, possimus quiescere.* Stephanum verò ita venerantur: *Oratio sanctissima tua semper nos conciliet Deo nostro.*

Postremò, quicunq; hæc pontificis Rom. flagitia & blasphemias non probant, eos ferro & igne persequũtur: neque enim impunè à pontifice Rom. dissentire [9] licet. Hinc [1] Bernardi iusta querela: *Heu, heu Domine Deus, quod ipsi sunt in persequutione tua primi, qui videntur in ecclesia tua primatum diligere, principatum gerere.* Hinc ille colligit eos Antichristos esse: *Iniquè,* [2] inquit, *agunt*

1 *In festo visit. Mariæ.*
2 *In rosario Mariæ.*
3 *In orat. ad Mariam.*
4 *In Psalterio beatæ Mariæ.*
5 *In missal. Sarum in Nouembr.*
6 *Ibid. Febr.*
7 *Ibid. Maio mense.*
8 *In horis Sarum.*
9 *c. ad abolendam de hæreticis.*
1 *In serm. in conuersione Pauli.*
2 *Ibid.*

agunt & cæteri contra Christum, multique sunt temporibus nostris Antichristi. quid autem diceret, si nostri temporis afflictiones viris piis per pontificem Rom. illatas vidisset? certè non negaret ipsum Christo aduersari. qua enim re magis aduersari potuit, quàm vt membra Christi oppugnaret, agnos eius laniaret, ouile dissiparet? Christus enim extra omnem casus variantis aleam positus, in arcibus æternis regnat. eius autem membra mystica, quæ hîc in ecclesia militante coniunguntur, oppugnantur, vexantur, lacerantur. cum istis Antichristus, & draco ille rufus bellum gerit, & quidem vsque in finem geret, donec eum Christus spiritu oris sui conficiet, & hunc in stagnum ignis ardentis proiiciet in æternum excruciandum. cui ergo dubium esse potest, quin pontifex Rom. sit Christi, & ecclesiæ eius aduersarius?

Neque sanè longa oratione opus est, vt probemus ipsum se extollere supra omne quod dicitur Deus, & ostentare se quasi Deus esset. nam in decretali quadam sua se Deum dicit. *Constat,* inquit [1] Nicolaus, *pontificem à pio principe Constantino Deum appellatum.* Et hinc concludit; *non posse pontificem ab hominib. iudicari, quia Deus non potest ab hominibus iudicari*: quod non sequeretur, nisi se Deum diceret. In hæc verba ita Augustinus Steuchus: *Audis,* [2] inquit, *summum pontificẽ à Constantino Deum appellatum, & habitum pro Deo? hoc autem factum est, cum eum præclaro eo edicto decorauit; orauit vti Deum, vti Christi & Petri successorem: diuinos ei honores, quoad potuit cõtulit.* [3] Baldus dicit Papam *esse Deum in terris.* Petrum in *cõsortium indiuiduæ vnitatis à Christo assumptum* [4] dicunt, & hoc de pontifice pariter credunt.

Episcopus Salisburgensis apud [5] Auentinum dicit hoc in fronte eius scriptum esse, *Deus sum. Papa,* inquit [6] Gomesius, *est quoddam numen, & quasi visibilem quendam Deum præ se ferens.* Factum à Papa dicunt [7] reputari debere, *quasi factum à Deo.* Gregorium 13. Thomas Stapletonus acerrimus Papalium nugarum propugnator, *Supremum in terris numen* [8] vocat. etiam [9] Bellarm. qui inter istos pro magistro habetur, dicit

[1] *Epist. ad Michael. & dist. 96. c. satis.*
[2] *De donat. Constantin.*
[3] *Cod. sentẽt. rescindend. l. vlt.*
[4] *c. fundamenta. de elect. in 6.*
[5] *Annal. li. 7*
[6] *De regul. cancellar.*
[7] *c. quanto. de translat. prælat.*
[8] *In epist. dedic. ante princip. doctrin.*
[9] *Lib. 3. de verb. Dei. c. 10.*

verbum pontificis ex cathedra docentis esse quodammodo verbum Dei.

Potestatem ei tribuunt plusquam humanam, & planè Diuinam. [1] asserũt enim *eum naturam rerum immutare posse, & substantialia vnius rei applicare alteri. Papa,* inquit [2] Felinus, *gerit vicem in terris non puri hominis, sed veri Dei* Quando Papa dissoluit matrimonium, [3] aiunt, *Solum Deum videri dissoluere, quia Papa canonicè electus est Deus in terris.* [4] Asserunt etiam, *quod Papa facere possit de iniustitia, iustitiam.* [5] Clemens sextus angelis non dubitauit imperare, *vt animas eorum, qui in itinere morerentur, dum Romam tempore Iubilæi festinarent, è purgatorio in absolutam paradisi gloriam introducerent.* Vetus & nouum testamentum non alia de causa [6] censent authoritatem habere, *quàm propter decretum Innocentii Papæ*, aliorumq; pontificum Rom. *Omnes principes orbis terrarum*, inquit [7] Blondus, *pontificem, vt Deum summum honorant & colunt.*

Fridericus 2. in [1] epistola ad Othonem Bauariæ ducem dicit, *pontifices Rom. affectare dominationem & diuinitatem, atq; vt ab omnibus haud aliter, imò magis quàm Deus, timeantur.* [2] Erasmus in scholis Theologorum disputari dicit, *an Papa simplex homo sit, & an quasi Deus vtramq; naturam participet cum Christo.* nunquam autem disputarent, nisi aliquid tale existimarent.

Papam non esse hominem, sed Dei vicarium disertè [3] affirmant. [4] Innocentius *se regna transferre, & quem velit extollere, vel deprimere posse* gloriatur, quod tamen [5] scriptura soli Deo ascribit. Idem etiam potestatem sibi [6] sumit peccata remittendi ampliorem, quàm quæ homini competit.

Eundem etiam [7] asserunt *ex nihilo aliquid facere posse*; quod Deo soli conuenit. *Papa*, inquit [8] Baldus, *est omnia, & super omnia.* Idem [9] dicit *Papam supra ius, contra ius, & extra ius omnia* posse. Idem deniq; [1] dicit *Papam esse dominum dominantium, & ius regis regum habere in suos subditos.* Adeoq; magnam esse eius potentiam existimant, *vt sacrilegium esse* [2] *dicant, dubitare de potentia Papæ.*

[1] *De translat. c. quãto.* [2] *In c. ego N. de iureiurãdo.* [3] *c. inter corporalia. de translat. prælat.* [4] *c. debitus. de appellat.* [5] *In bulla super Iubilæo.* [6] *c. si Romanorũ. dist. 19.* [7] *Lib. 11. Romæ instauratæ.*

[1] *Auentinus annal. lib. 7.* [2] *In 1. Tim. 1. in annot. noui test.* [3] *Gloss. in c. fundamenta in 6.* [4] *C. solitæ. de maior. & obed.* [5] *Daniel 2.* [6] *c. solitæ. de ma. & obed.* [7] *De trãslat. prælat. c. quãto in gl.* [8] *In l. Barbarius. de offic. prætoris.* [9] *In c. cum super. de caus. propriet. & possess.* [1] *In c. ecclesi. vt lite pend.* [2] *In l. sacrileg. C. de crim. sacril.*

Papa.[1] *Papam enim esse causam causarum, & non esse de eius potestate inquirendum, cum prima causa nulla sit causa.*[1] Hostiensis dicit, eum *mutare posse quadrata rotundis.* & communiter [2] tenent: *quod nemo ei dicere debet; Domine cur ita facis? etiamsi animas secum cateruatim duceret in infernu.* [4] Turrecremata dicit eum *principem esse ecclesia, & regem regũ terra.*[5] Thomas Aquinas, quẽ angelicum vocant doctorem, non veretur dicere, *potestatem Papa esse fundamẽtum ecclesia;* quod & Turrecremata sensisse [6] videtur. eos verò *qui priuilegium à Papa concessum auferunt, in hæresim* [7] *dicunt incidere.*

Quæcunque autem Christi propria sunt, ea audacter pontifex, & quasi iure suo sibi vendicat. *Papa,* inquit,[8] Turrecremata, *non est omnino aliud caput distinctum à capite quod est Christus sed est eius vicarius, & vicem eius, & personam, authoritatem, & potestatem repræsentans in terris, & eius iudicium, iudicium Dei reputatur; & sententia eius & consistorium, consistorium Dei.*[9] Ioannes etiam Andreas & Abbas [1] Panormitanus cõsentiunt, *quod idẽ sit consistoriũ Christi & Papa.* Turrecremata [2] dicit etiã *vnum esse tribunal Christi & Papa.* Bellus etiã noster [3] Bellarm. existimat Papam non incongruè dici *caput, fundamentũ, & sponsum ecclesia vniuersa.* cuius sententiã ne solus insaniret, tenet etiam [4] Turrecremata. [5] Bonauẽtura pontificẽ Rom. appellat *vnicũ sponsum, caput indiuisum, generalẽ, & plenũ Christi vicarium.* Neq; sanè cæteris in laudatione pontificis modestiorẽ se præbuit [6] Bellar. verba .n. hæc prophetæ, quæ ad Christum propriè spectant; *ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatam;* ad ipsum detorquet, & hunc minimi pretii hominem, dicit esse lapidem pretiosum in fundamẽto positum. Eundem deniq; non pudet pontificẽ suum appellare *lapidem offensionis & petram scandali:* licèt magnum ex hac sententia sequatur scandalum.

Pontificem etiam introducũt Christi nomine [7] loquentem, & dicentem: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* pontificemq; [8] *dominaturum esse* dicunt *à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos terra-*

[1] Bald. in c. eccles. vt lis. pendent.
[2] In c. cum venissent. de iudiciis.
[3] c. si Papa. dist. 40.
[4] Lib. 2. summa c. 9.
[5] In 2. sent. in fine.
[6] Lib. 2. summa c. 44.
[7] c. omnes. dist. 22.
[8] Lib. summa 2. c. 26.
[9] In c. quanto. de tr slat. episcopi.
[1] c. licet. de electione.
[2] Lib. 2. summa c. 80.
[3] Lib. 2. de concil. c. 17. & lib. 2. de pont. Rõ. c. 31
[4] Lib. summa 2. c. 27.
[5] In breuiloquio.
[6] In præf. ante lib. de pontif. Rom.
[7] Lib. 1. de carcm. c. 7.
[8] Ibidem.

rum: quod propheta in Christo impletum fore vaticinatur. Augustinus [1] Steuchus ipsum appellat *leonem de tribu Iuda.* Similiter ad Leonem [2] decimum Simon Begnius episcopus Modrusæ: *Ecce, inquit, venit leo de tribu Iuda, radix Dauid, &c. te Leo beatissime saluatorem exspectauimus.* [3] vulgò non minus esse peccatum putant contra pontificem loqui, *quàm contra cælum os ponere.*

[1] *De primat.*
[2] *In concil. Later. sub Leone 10.*
[3] *In vita Nicol. 1. in pontificali, & alibi passim.*

Hinc constat pontificem infinitam sibi potentiam arrogare. *Papa in nocte natiuitatis Domini*, vt est in [4] cæremoniarum libro, *benedicit ensem, quem postea donat alicui principi, in signum infinitæ potentiæ Papæ collatæ.* Quemadmodum asserant, eum *ex nihilo facere aliquid, & iniustitiam in iustitiam* commutare, iam antea diximus. Dant præterea ei potestatem in purgatorium, & non tantùm in terram: [5] asseruntque ipsum *dispensare posse cōtra apostolum, & apostolorum canones.* ipsum etiam tantum præstare imperatori [6] credunt, *quantum sol lunæ.* iidem omnes reges ei fidelitatem iurare debere [7] contendunt. ideo Thomas Aquinas [8] asserit *ipsius potestatem esse fundamentum ecclesiæ*: & [9] Turrecremata docet ipsum *esse perfectiorem toto residuo corpore ecclesiæ.*

[4] *Lib. 1. c. 7.*
[5] *Dist. 38. c. lector. & dist. 87. presbyt.*
[6] *c. solitæ de maior. & obed.*
[7] *In c tibi domino. dist. 63.*
[8] *In fine script. in 2. sentent.*
[9] *Lib. 2. summæ. c. 26.*

Infinitam præterea scientiam pontifici tribuunt, *adeo vt si totus mundus sententiaret contra Papam in aliquo negotio, standum tamen sit sententiæ Papæ,* vt inquit [1] glossa. *Quod Papa approbat, aut reprobat, omnes illud approbare & reprobare debere* [2] dicunt. Papam *cæleste habere arbitrium* [3] existimant. Baldus dicit *Papam esse doctorem vtriusque iuris, etsi non scientiâ, tamen authoritate.* Ipsum nihil putant latêre; eum enim habere *omnia iura in scrinio pectoris sui.* Hunc summum esse totius ecclesiæ iudicem & doctorem prædicant, eiusque iudicium infallibile esse putant. [4] Ecclesiæ, hoc est pontificis iudicium Stapletonus suo modo diuinum esse docet: ecclesiasticæ autē authoritatis subiectum, non alibi quàm in pontifice quærendum scribit.

[1] *In c. nemo. 9. q. 3.*
[2] *c. si Rom. dist. 19. in gloss.*
[3] *De trāslat. episc. c. quāto. in gloss.*
[4] *Princip. doctrinal.*

Cum ergo nihil magis exploratum sit, quàm pontificem Rom. totis viribus & Christo, & eius doctrinæ aduersari; neque quicquam aliud moliri, quàm vt ve-

ram Christi ecclesiam eradicet, cumque Diuinos sibi honores arroget, & se supra omne numen efferat; nec quisquam prætera vel eo modo Christo se opposuerit, vel tam arroganter se extulerit, vel Diuinos honores tam impudenter sibi arrogarit: quis non apertè videt, hunc illum esse aduersarium, qui extollitur supra omne quod dicitur Deus?

Probatur idem ex summa pontificum Rom. superbia & arrogantia, CAP. III.

TErtio nostro argumento materiam subministrat pontificum Rom. intolerabilis insolentia & superbia. *Christo*, inquit author tractatus de Antichristo qui Augustino ascriptus est, *in cunctis contrarius erit. Christus venit humilis: ille veniet superbus. Christus humiles venit erigere, peccatores iustificare: ille è contrà humiles deiiciet, peccatores magnificabit, semperque vitia quæ sunt virtutibus contraria docebit.* Apostolus [1] dicit, *quod se extollet super omne quod dicitur Deus.* Antiochum superbum denique propter suam elationem & Luciferianam arrogantiam Antichristi fuisse figuram dicunt patres: quod & res verum esse docet. nam nec ipse, nec [2] Antichristus *vllum reuera Deum curabit.* [3] *loquetur vt draco*, hoc est superbè, & magnificè. Prætera meretricios colet mores; ideò nomē etiam & figuram meretricis Babylonicæ ipsi [4] aptauit Spiritus sanctus. vt meretrix, elatos spiritus geret; & vt meretrix Apocalyptica, erit *circumdatus purpura & coccino, & deauratus auro, & lapidibus pretiosis & margaritis* insignitus.

[1] 2. *Thess.* 2.
[2] *Dan.* 11.
[3] *Apoc.* 13.
[4] *Apoc.* 17.

At nullus vnquam mortalis pontificem Rom. superbia vel superauit, vel æquauit. nemo enim vnquam aut Diuinos honores sibi sumpsit arrogantius, aut sibi deitatem ascripsit audacius, quemadmodum in superiore argumento ostensum est. Non ergo mirum est si aduersus homines se insolenter & superbè gesserit, cum aduersus Deum altissimum se efferre non dubitarit. Celestinus tertius diadema de capite imperatoris ad pedes suos prouoluti pede [5] deturbauit. Alexander tertius collum imperatoris pede premens, ac-

[5] *Roger. Houeden in Ricard.* 1. & *Ranulph. Cestrens.*

[1] Naucler. generat. 14. [2] Vrspergens. & Sabel. c. ennead. 9. lib. 3.

cini [1] iussit illud Psalmi: *Super aspidem & basiliscum ambulabis.* Gregorius septimus imperatorem supplicem ad se venientem, & ad fores diu exspectantem [2] exclusit. alius pontifex Franciscum Dandalum *Venetorum* legatum, tanquam canem sub mensa sua prouolui, & ossa legere passus est.

[3] Lib. 1. c. 8. [4] Lib. cerem. 1. sect. 5. c. 4. [5] Lib. 1. cerem. c. 8. [6] Matth. Paris. in Ioa. [7] Chron. Sclauon. c. 8. [8] Naucler. generat. 36. [9] Theodor. à Niem de schism. lib. 1. c. 7. [1] Ibid. c. 29.

Neque hæc tantum faciũt, sed etiam laudant. In libris [3] cæremoniarum, *imperatorem pontifici in equum ascendenti stapedam tenere debere* docent. Cum in humeris fertur, dicũt ipsum [4] *imperatorem debere onus per aliquantum spatii* portare. Eidem etiam [5] præscribunt, vt tradito alteri sceptro & pomo equum Papalem freno ducat: quod genus officii aiunt *Constantinum, & Pipinum pontifici præstitisse.* Ioannem Angliæ regem non antea in gratiam [6] recepit Innocẽtius, quàm regii decoris insignia in manus legati sui reddidisset. Adrianus quartus Friderico imperatori non leuiter iratus est, vt inquit [7] Helmodus, *quod strepam equi põtificii inscienter ex contrario latere tenuisset.* Idem etiã iracundiùs ei scripsit, quòd nomen suum pontificis nomini præposuisset. *Super prudentia,* [8] inquit, *tua non mediocriter miramur, quod beato Petro & sanctæ Romanæ ecclesiæ, non quantam deberes, exhibere reuerentiam videris. in literis enim ad nos missis nomen tuum nostro præponis: in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris.* [9] Vrbanus sextus Othoni Ioannæ Neapolis reginæ marito *genib. flexis ei poculum porrigenti, diu accipere distulit.* dum ipse equitaret, Carolum regem Neapolitanum, *vt scutiferum præcedere* [1] *permisit.*

[2] De benefic. lib. 2. & Zonar. in vita eius. [3] In Dioclet.

Etiam regibus & principib. summis pontifices Rom. pedes suos osculandos præbent, seq; ab eis adorari volunt: quod nec homines superbissimi fecisse leguntur. Hominibus priuatis aiunt Caium Caligulam & Diocletianũ pedes protendisse osculandos; at regib. & imperatorib. isti soli pedes obtulisse osculãdos dicuntur. *Caius Caligula,* inquit [2] Seneca, *Pompeio Pœno absoluto, gratiasque agenti porrexit ad osculandum sinistrum pedem auro & margaritis ornatum.* eius etiam exemplo *Dioclesianus,* vt inquit [3] Pomponius Lætus, *post triumphum de Persis actum, adorari voluit, pedesque sibi osculari, auro & argen-*

& argento calceamenta exornans. At isti regib. & principibus pedes porrigunt osculandos; & calceos non auro tantùm & argento, sed etiam crucis signo ornant: nempe vt se pedibus religionem omnem conculcasse ostendant.

Quod si ergo tales sint aduersus imperatores, & summos principes; non mirum est, si reliquos omnes despiciant. [1] Nolunt *quenquã de sua potestate disputare.* nec *cuiusquam reprehensiones* [2] ferunt. neque aliter de hominibus plebeiis existimant, quàm de canibus & asinis. idcirco enim nolũt laicos scripturas legere, quia [3] dicunt *sanctum non esse dandum canibus.* & [4] concludunt minores obedire debere prælatis suis, quia dicitur Iob.1. *quod boues pascebant, & asinæ iuxta eos.* Istis pro magno beneficio reputatur, si ad oscula pedũ põtificis admittantur. Vnum pontificem [5] Turrecremata *perfectiorem esse* dicit, *quàm totum residuum corpus ecclesiæ.*

Pontifices Rom. se capita & sponsos ecclesiæ dici sustinent. [6] Panormitanus pontificem *dominum ecclesiæ* vocauit. Imò non repudiant titulos regios. eos enim *reges regum & dominos dominantium* Canonistæ appellant. Vnus eorum [7] dixit, *pontificem vigesies septies imperatore maiorem esse, & tantum ei præstare, quantum sol lunæ.* Bonifacius [8] Octauus anno Domini 1300. tempore Iubilæi, primo die pontificalibus ornamentis indutus prodiit, postero autem die paludamento vestitus imperatorio gladium districtum ante se deferri iussit, magnaque voce proclamari fecit, *Quod idem pontifex esset & imperator, & quod terrestre & cæleste imperium haberet.* hinc ipsum totius mundi dominum, & stuporem appellant. At Gregorius Magnus non dubitauit eum Antichristi præcursorem vocare, qui se vniuersalem episcopum diceret. *Iuxta est ille,* inquit [9] Gregorius, *de quo scriptum est. ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.* & postea: *cum per elationem præcurrere conatur in nomine.* & epistola 34. eiusdem libri: *quid aliud,* inquit, *nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designantur?*

Luxum denique & superbiam pontificis in cibo, potu, vestitu, supellectile, ædificiis, & omni vita, difficile

[1] *Bald. in l. sacrile. Cod. de crim. sacrileg.*
[2] *Dist. 40. si Papa.*
[3] *Matth. 7.*
[4] *Turrecremat. li. summa 4. cap. 14.*
[5] *Lib. 2. summa c. 26.*
[6] *Æn. Syl. de gest. concil. Basil.*
[7] *Gloss. in c. solitæ. de maior. & obed.*
[8] *Paralip. Vrsperg. Cuspinianus, & annales Gall.*
[9] *Lib. 4. epist. 36.*

1 Æneas Sylu. de gest. concil. Basil. in epist. ad Segouium.
2 Platina in Paulo. 2.
3 Guicciard. hist.
4 Lib. 4. ad Eugen.
5 Contra donat. Constāt.
6 In tract. de schismat.
7 In præfat. in institut.
8 In vita Benedict. 12.
9 Lib 4. epist. 38.
1 In Carminib. Sibyll.

est paucis explicare. [1] Tiara Felicis pontificis qui in synodo Basileensi coronatus est, triginta aureorum nummorum millia valuisse dicitur. [2] Paulus secundus tiaram pontificiam infinitis gemmis & lapidibus pretiosis exornauit. [3] Leo decimus in coronatione sua centum aureorum millia consumpsit. Multas etiam gemmas in calceis suis exornandis adhibent. Nunc omnes vident *Papam procedere solere magno satellitio stipatũ & deauratum. At*, inquit [4] Bernardus, *Petrus nescitur aliquando processisse vel gemmis ornatus, vel sericis, vel auro, vel vectus equo albo, vel stipatus milite, & circumstrepentibus ministris.* Laurentius Valla ista videns: *ô Romani pontifices*, [5] inquit, *exemplum facinorum omniũ cæteris pontificibus! ô improbissimi Scribæ & Pharisæi, qui sedetis super cathedram Moysi, & opera Dathan & Abyron facitis, itane vestimenta, apparatus, pompa, equitatus, omnis denique vita Cæsaris, vicarium Christi decebit?* Istam ergo superbiam vix Itali ferunt, Galli reprehendunt. *Considerandum est*, inquit [6] Zabarella, *de honorificentia facienda Papæ, ne in ea modus excedatur, vt videatur non magis honorari Papa, quàm Deus. Ita enim honorandus est, vt non adoretur, quod de se fieri non est passus beatus Petrus*, de quo legitur, Act. 10. *Papa*, inquit [7] Faber, *in verbis se dicit seruum seruorum, de facto tamen se adorari permittit, quod angelus in apocalypsi refugit.* [8] Papyrius denique Masso, qui scripsit vitas pontificum Rom *osculationem pedum pontificis, tanquam seruilem & impiam* reprehendit. quam dum Iosephus episcopus Vestanus defendit, nihil aliud adeptus est, nisi vt omnes videant pontificem Rom. *regem esse superbiæ*, de quo [9] Gregorius; & illum Antichristum, qui nomen [1] habet à vicino ponto, & superba peditib. suis distribuit munera: & huiusmodi pontificis Rom. aduocatos & pedissequos, seu potiùs pedilingos, turpissimos esse ipsius parasitos & assentatores.

Argumentum quartum ab eo ductũ, quòd Antichristus appelletur Homo peccati, proponitur, CAP. IV.

2 2. Thess. 2.
3 In 2. Thes. 2.

PRobatur præterea sententia nostra, quia Antichristus Homo peccati dicitur ab [2] apostolo. [3] Hieronymus

ronymus ideo dictum putat hominem peccati, *quia in eo fons est omnium peccatorum.* [1] Augustinus existimat *eum per nefarias artes ad illud vanum & inane culmen, & dominationem esse venturum.* nec [2] dubitat illos Antichristos dicere, *qui moribus à Christo dissentiunt, licèt ore confiteantur Christum. ad Antichristi enim regnum* [3] *pertinere, periuros, fraudatores, adulteros, ebriosos, fœneratores, mangones, & omnia quæ contraria sunt doctrinæ Christi.* Author etiam tractatus de Antichristo apud Augustinum, dicit *Antichristum secum habiturum magos, maleficos, diuinos, incãtatores, qui cũ diabolo inspirãte nutrient, & docebunt in omni iniquitate, falsitate, & nefaria arte, & maligni spiritus erũt duces eius, & socii semper, & comites indiuisi.* [4] Theophylactus ideo dicit ipsum vocari *hominem peccati, vt qui omne genus peccatorum peracturus sit, & alios ad peccatum perducturus.*

[1] *In Psal.* 9.

[2] *In ep. Ioan. tractat.* 3.

[3] *Ibidem.*

[4] *In* 2. *Thes.* 2.

At si omnes historias, & rerum gestarum monumẽta percurramus, nullum tamẽ reperiemus, cui vel hoc nomen aptiùs conueniat, quã pontifici Rom. vel peccatorũ ille comitatus & moles, quã habebit secũ Antichristus, veriùs tribuatur. Ipse enim fons est omniũ turpitudinũ & hæreseôn, & per nefarias artes ad tantæ dignitatis culmen peruenit. ore quidem Christum cõfitetur, sed factis negat. periuriis, fraudibus, fœnore, & omni maleficio opes acquisitas possidet; easdemque luxu & comessationibus profundit. idem diaboli auxilio Papatum regnumque pontificale auxit, & nunc eundẽ mendaciis, iniquitate, & scelere defendit. Apud eum magi, malefici, & assassini Iebusitæ, & homines impiissimi & turpissimi summo in honore habentur. neque tantùm ipse malè sentit & viuit, sed etiam aliis ad malè credendum & faciendum author est. Pontificum deniq; Romanorum omnia peccata nullius eloquẽtia recensere potest. nos pro instituti nostri ratione de ipsorum perfidia, periuriis, homicidiis, auaritia, rapinis, luxu, fœdis moribus & summis capitib. vitiorũ Papalium pauca dicemus. nam de impietate & hæresi eorum iam antè dictum est satis.

Ac perfidiam quidem & periuria pontificum Rom. non solùm facta testantur, sed etiam leges eorum &

constitutiones. nam ne sine lege peccasse, & periuri fuisse videantur, *pontificem Rom. à iuramento absoluere, & eius vinculum laxare posse* [1] docent [2] Asserunt etiam *eum cum periuro dispensare posse.* quis autē metuat contra fidem datam venire, in cuius est potestate iuramentum laxare, & cum periuro dispensare? Hac potestate freti pontifices Rom. societates & fœdera sanctissima dissoluerunt, & principes contra subditos, & subditos contra principes concitarunt: & tamen sunt nonnulli, qui horum perfidiam præ cæcitate non vident, & præ stultitia sua non cauent.

[1] *De iureiurando. c. verum in ea. & ibi Dd.*
[2] *Ibidem.*

In synodo Constantiensi decreuerunt Papistæ fidem hæreticis datam non esse seruandam. quid autem facilius, quàm hęreseôs notam orthodoxis imponere, præsertim vbi litem iudicant hęretici? hinc multorum malorum lerna. cauete ergo qui cū Papistis negotium contrahitis: & iuramentis eorum nolite fidere.

Gregorius 13. per rescriptum quoddam suum [3] declarauit, *Papistas per Angliam, rebus sic stantibus, reginæ obedire posse.* quod nihil aliud est, quàm iuramentis vim ad tempus dare, & postea illa dissoluere.

[3] *In rescript. ad Cāpian. & Personiū.*

Ecclesiam Rom. hoc est, pontificem posse fidem datam violare scripsit [4] Iulius secundus; quod etiam exemplo docuit. nam non tantùm fidem datam cardinalib. de maxima pecunia fefellit, sed etiam perfidia sua *Gallos & Venetos* intricauit, & decepit.

[4] *Guicciard. hist. lib. 8.*

Cum ergo ista doceant & decernant pontifices Rō. mirum esset, si fidem religiosè seruarent. [5] Syluerius contra fidem imperatori datam vrbem Gothis prodere conatus est. [6] Gregorius 2. immemor sacramenti sui imperatori dati, Italiam ad defectionem impulit, & cum hostibus imperii fœdus percussit. Gregorius 7. quod sanctissimè promisit & iurauit se facturum, statim oblitus est. Paschalis 2. post pacē cum imperatore conceptis verbis iuratā, quam primùm copias contrahere potuit, imperatorē oppugnauit. Hac sua perfidia pontifices Rom. multos principes & populos in fraudē illexerunt. Tragœdias maximas excitauit Formosus, quòd iuramentū violasset. Alexandro sexto Onuphrius *perfidiam fuisse* [7] *dicit plusquā Punicam. Leo* [8] decimus

[5] *Liberati breuiar.*
[6] *Zonaras in Leone Isauro.*
[7] *In Alexādro sexto.*
[8] *Onuphr. in Leon. 10.*

cimus contra promissionem iuratam familiam Ruucreā ex ducatu Vrbini eiecit.[1] Guicciardinus dicit, quod Clemens septimus *exiguam fidei rationem habere solitus sit.*[2] Paulus verò 3. & [3] Pius quintus Anglos fidē principibus seruantes excommunicarunt. hoc etiam * Gregorius 14. se minatur facturum in Gallia. nihil denique toto hoc pontificum genere magis perfidum, aut periurum.

Sæuitiæ autem pontificū Rom. & crudelitatis, plurima habemus argumenta. cædes illa insignis Gallorum per Siciliam in vesperis Sicilianis administrata, authore Nicolao tertio, facta [4] dicitur. Pōtificibus etiam Rom. authoribus, bella illa excitata sunt aduersus imperatores Rom. quibus omnis imperii maiestas concidit. Ex hoc fonte maximas clades & calamitates profluxisse testantur [5] Guicciardinus & [6] Machiauellus. Illis Gallos committentibus, superioribus annis vicies centena millia hominum in vna Gallia [7] perierunt.[8] Valla dicit *eos, dum Constantini donationem defenderent, dedecorasse pontificatus maiestatem, dedecorasse religionem, & omnia cædibus, minis, flagitiisque miscuisse.*[9] Stephanus sextus in corpus Formosi iam mortui magna rabie desæuiit. Dicit [1] Platina *pontifices Rom. inimicitias non secus ac sæuissimos tyrannos exercuisse.* [2] Gregorius 7. aliquot pontifices veneno interfecit, Alexandrum 2. pugnis contudit, Cincium crudeliter necauit. *Clamat in eum*, inquit Beno, *sanguis ecclesiæ eius miserabili proditione effusus.*[3] Vrbanus sextus cardinales quosdam saccis insutos in mare deiecit. multos idem grauissimis cruciatibus necauit.[4] Innocentius 7. Romanos libertatem sibi per fraudem ereptam repetentes, ad colloquium euocatos per nepotem suum crudeliter mactari fecit. Ex eo tempore abiecto pedo pastorali, & arreptis armis, pontifices Rom. non amplius pauisse, sed mactasse Christi oues videntur. Sixtus 4. multa bella gessit, idemq; coniurationis Pactianæ, in qua periit Iulianus de Medicis, & alii multi, author erat. [5] Iulius secundus præmium proposuit iis, qui Gallum quemcunque interficere possent.

Paulus tertius papa bellum Germanicum conflauit.

[1] *In historia.*
[2] *In Bulla cont. Hen. 8. Angliæ regē.*
[3] *In Bulla cōt. Elizabetham.*
* *In monitorio.*
[4] *Machiauel. hist. Florent. ad Clement. 7.*
[5] *In histor.*
[6] *Histor. Florent.*
[7] Histoire dez troubles de Frāce.
[8] *Cont. donation. Constant.*
[9] *Mart. Polon. & Plat. in Steph. 6.*
[1] *In Sergio 3.*
[2] *Beno Cardinal.*
[3] *Theodoric. à Niem lib. 1. de schism.*
[4] *Theodoric. à Niem de schism. lib. 2.*
[5] *Budæus de asse.*

Pius quintus, & Gregorius 13. tumultus Gallicos excitarunt. Alexandrum sextum [1] aduersarii ipsi fatentur fuisse crudelissimum: vnde in eum vulgò hæc decantabantur:

Mirum si vomuit nigrum post fata cruorem
Borgia? quem biberat, concoquere haud poterat.

[2] Onuphrius dicit vel leuissimo dicto eo regnāte pœnam mortem fuisse.

Neque tantùm per publicæ iustitiæ & bellorum speciem, sed etiam per sicarios conductos & veneficos in viros bonos grassantur. Sixtus 4. per sicarios occiso Iuliano Medicæo, magnum Florentiæ tumultum excitauit. Gregorius 7. Henrico 4. in templo beatæ Mariæ insidias posuit. [3] Conradus imperator publicè scriptis literis, se veneno ab Innocentio 4. petitū dixit. Henricum 8. Angliæ regem & bello & insidiis aggressus est Paulus 3. In serenissimam Elizabetham submisit Gregorius 13. sicarium quendam cognomēto Parrium indulgētiis multis munitum. Per Sixti 5. insidias periit à perfido monacho obtrūcatus Hēricus 3. Gallorū rex: factum monachi valdè ille & publicè laudauit. Verè ergo isti viri sanguinum vocātur, qui nihil aliud meditantur, nisi cædem & sanguinis effusionem.

Pauca etiam nunc de insatiabili pontificum Rom. auaritia, & iniustissimis rapinis dicenda sunt: quamuis nihil aptiùs dici possit, quàm quod olim dixit Theodoricus Niemensis: cameram enim pontificis [4] dixit *similem esse mari, in quod omnia flumina decurrunt, & illud tamen nunquam exundat*. mille enim habent capiendi, & totidem rapiendi modos pontifices, & tamen nunquam expletur eorum cupiditatis sitis. capiunt ex viuis & mortuis, ex notis & ignotis, domesticis & alienis, & nunquam capere desinunt. Ex vna [5] Gallia exiguo tempore *nonagies centena aureorum millia cepisse dicūtur*. ab eis Ludouicus 9. *regnū Galliæ miserabiliter depauperatum* [6] dixit. regnum Angliæ opulentissimū, partim per decimas, partim per legatorum pontificis procurationes, partim per donationes, partim per beneficiorum venditiones, exhaustum fuisse queritur [7] Matth. Paris. *Eodem tempore*, inquit ille, *permittente*

[1] *Onuphrius in eius vita.*
[2] *In vita Alexandr. 6.*
[3] *Matth. Paris in Hēr. 3.*
[4] *Tractat. nemoris vnion. 6. c. 37.*
[5] *Sylua locorum cōmun.*
[6] *Cōstit. anni 1228. tit. de talliis.*
[7] *In Henr. 3.*

mittēte vel procurāte Papa Gregorio, adeò inualuit insatiabilis Rom. ecclesiæ cupiditas, cōfundens fas nefasq;, vt deposito rubore, velut meretrix vulgaris & effrons, omnib. venalis & exposita, vsurā pro paruo, simoniam pro nullo incōueniente reputarit. Eodē modo [1] Germania expilata est. Bello & fraudib. Romā & Italiæ aliquot nobiles regiones imperatorib. Papæ extorserunt. Ex donis etiam principū Christianorū ditati sunt. sed nihil illis quæstuosius, quàm quod non beneficia tantùm, sed peccata & indulgentias etiā vendere soleant. [2] Benedictus 9. ipsum Papatū pro 1500. libris vendidit. Dicit ergo [3] Ioannes monachus, *Romam à prædonibus fundatā fuisse, & adhuc de primordiis tenere. Sanctuarium diuinum,* inquit [4] Alanus Chartierius de horum venditionibus verba faciens, *forum fecistis cauponarium.* Vulgò *dicunt Romam manus rodere: & non capere ouē sine lana.* [5] Bernardus questus est iampridem, *ecclesiæ sacra efficia in turpem quæstum transiisse.* Ex meretricibus etiā pontifices magnum quæstum faciunt. iidemque pecunias fœnori [6] locant: neque sanè vllum quęstum sordidum putant. Quod quæstus huius vias Christiani non amplius sectantur; idcirco pontifices Rom. bella gerunt, anathemata emittunt, & planè furunt.

[1] *In grauam. German.*
[2] *Beno Card.*
[3] *Gloss. in c. fundamēta. de elect. in 6.*
[4] *In Aulico.*
[5] *In Ps. 118. ser. 6.*
[6] *Onuph. in Iul. 3. Paulo 4. & Pio 4.*

Vita denique & mores pontificum Rom. receptiorum turpissimi sunt: quod nec aduersarii tacent. De *Christophoro, Sergio tertio, Lando, Ioanne decimo,* & *vndecimo, Luitprandus,* & alii authores testimonium perhibent, quod impurissimi essent. *Hi,* inquit 7 Platina, *largitione & ambitione inimicitias non secus ac sæuissimi tyranni inter se exercebant, suas voluptates postea securiùs expleturi.* Luitprandus per ea tēpora [8] dicit *Lateranense palatium factum esse meretricum prostibulum.* [9] Ioannem duodecimum turpissimum fuisse nullus negat. *Assumptus ad Papatum,* inquit [1] Theodoricus Niemēsis, *venationibus ferarum syluestrium quandoque interfuit, necnon libidinosè ac lubricè viuens, cum suspectis mulierib. sortes posuit.* de eo [2] Platina non aliter, ac de mōstro existimat. Benedictum 9. Syluestrum 3. & Gregorium 6. propter scelera varia depositos fuisse constat. eos [3] Platina *tria teterrima monstra fuisse* dicit. [4] Gre-

7 *In Sergio 3.*
[8] *Lib. hist. 6.*
[9] *In Ioa. 12.*
[1] *De schism. lib. 3. c. 9.*
[2] *In Ioan. 13.*
[3] *In Greg. 6.*
[4] *Pizarrus in histor. Genuens. & Beno.*

gorius 7. cum Mathilde comitissa occultum habuit commercium. idemq; propter Necromantiam, & hæreses, & varia scelera à synodo Brixinensi depositus est.

1 Herman. Contract. & Paralip. Vrsperg. — Clementi quinto testimonium perhibet [1] Hermãnus, *quod publicus esset fornicator. Fuit*, inquit [2] Ioannes Villanus, *valde auarus, & simoniacus, & omnia beneficia in curia vendebat. fuit etiam luxuriosus & apertè dicebatur, quod pro amica habuit comitissam Perigordensem mulierem pulcherrimam, filiam comitis de Foix.* De Ioanne 22, & Benedicto 12. & eorum aula carmen edidit elegantissimum Franciscus Petrarcha; vnde intelligere licet, ipsum non aliter existimasse de põtifice, quam de Antichristo; de ipsius aula, quàm de Babylonia.

2 Lib. 9. hist. c. 58.

3 Cant. 106. *O fons*, inquit [3] ille, *dolorum, domicilium irarum,*
Schola errorum, templum hæreseum,
Olim Roma, nunc Babylon falsa & nequam,
Cuius causa tantũ lachrymarum funditur & suspiriorũ:
Officina fraudum, O claustrum irarum,
In qua bonum interit, malum creatur & alitur.

4 Cant. 107. — Hanc ille Babyloniam mensuram suæ iniquitatis, & iræ Dei implesse [4] significat. eam enim plenam esse vitiorum & impietatum & nõ alios deos colere, quam Venerem & Bacchum. *Multas*, inquit [5] Villanus, *consumpsit* Ioannes 22. *pecunias in bello Lombardiæ, vt tyrannos deprimeret, & nepotis sui, seu potius filii honorem & opes augeret.* Vnde constat ipsum spurium habuisse, & libidini deditum fuisse. *Petrum* de *Luna* & *Gregorium duodecimum* [6] Theodoricus à Niem vocat *seniores Babylonis*. & tantam ab eis progressam fuisse iniquitatem ostendit, *vt catholica fides obnubilaretur, & omnis religio naufragium pateretur.* Cõtra Ioannem 23. testimonium dicit synodus Constantiensis, quæ ipsum propter nefarias libidines & scelera exauctorauit. ibi etiam testes [7] probarunt; *quod cum vxore fratris sui, & monialibus incestum, cum virginibus stuprum, & cum coniugatis adulterium, & alia incontinentiæ crimina, propter quæ ira Dei descendit in filios diffidentiæ, commisisset:* & hoc ille etiam fassus esse videtur.

5 Lib. 11. hist. Florẽt. c. 20.

6 De schism. lib. 2. c. 42.

7 In appẽdice ad concil. Constant.

Calixtus tertius homo sceleratissimus spurium etiam habuit sceleratissimum, quem *Petrum Borgiam* dixerunt.

xerunt. luxu fuisse corruptum, nec aduersarii negare possunt.

In Sixti quarti tumulo inscripsit quidã hũc versum:

Hîc scelus omne clauditur, & vitium.

Hic vtriq; Veneri lupanar extruxisse [1] dicitur. Petrum Riarium adolescentem corruptissimum in deliciis habuit. non negat [2] Onuphrius *ipsum suorum amantissimum & indulgentissimum fuisse.*

Innocentius octauus ex promiscua cum meretricibus libidine multos suscepit spurios. cum ergo tot haberet filios & filias, meritò Roma ipsum dicere potuit patrem, sed sanctissimum non item.

De Alexandro sexto grauis extat fama, quod impurissimus simul & sceleratissimus esset. *Hæc ornamenta,* inquit [3] Onuphrius, *obruerat perfidia plusquam Punica, sæuitia immani, auaritia immensa ac rapacitate. inexhausta parandi filio imperii per fas nefasque libidine, mulieribus maximè addictus, ex quibus quatuor filios & duas filias tulit.* Vnde in ipsum Sannazarius hoc distichon composuit:

Nomen Alexandri ne te fortasse moretur,
Hospes abi: iacet hîc & scelus & vitium.

Iulium secundum Budæus grauissimè insectatur. eum enim [4] *magistrum cleri sanguinarium* vocat, & *effractis timoris diuini repagulis rempub. Christianam turbasse, & incendiis vastasse* dicit. extant etiam libidinum eius non pauca vestigia, & [5] argumenta. habuit enim aliquot spurios, & eis non leuiter studuit augendis.

Scribit [6] Onuphrius Leonis decimi laudator, ipsum *voluptatib. venationib. & aucupiis effusè fuisse deditum.*

Clemens septimus qualis esset, ex carminibus istis, quæ in eum edita circumferuntur, intelligimus:

Hic est, per quem tot prostant in vrbe puellæ.
Per quem pulsus honos virgineumque decus.
Hic est qui molles euexit ad astra cinædos,
Formosum à tergo munere iuuit Hylam.
Contemptor diuûm, scelerum vir, publicus hostis.

Pauli tertii lenocinia, adulteria, incestus, scelera, & nefandas turpitudines pudore prohibemur dicere. ex lenocinio, prostituta sorore Alexandro sexto, cardina-

[1] *Agrip. de vanit. scient. c. de lenocin. & Wesselus Groningens.*
[2] *In vita Sixti quarti.*
[3] *In Alexandro 6.*
[4] *Lib. 5. de asse.*
[5] *Guicciard. hist. & Onuphrius in eius vita.*
[6] *In Leon. decimo.*

latum; matre & nepote veneno interfectis, amplas opes; simoniaco ambitu Papatum [1] adeptus est. postea verò omni se turpitudine polluit, nec à filia, nec à nepte, nec à maribus manum abstinens.

[1] *Petrus Verger. & Hieron. Marius, & Anselmus Rid.*

Iulius tertius publicè in oculis cardinalium suum tenuit Ganymedem, eiq; licèt indignissimo honorem dedit cardinalitium. homo sane erat voluptarius, & turpitudini nefandæ deditus, & regni Antichristi egregium ornamentum.

Pius quartus dum vixit, magna laborauit infamia, idemq; inter duas meretrices medius iacens mortuus est, vt aiunt: Papa planè impurus, cui nec ætas, nec morbus flammas libidinum extinguere potuit. Pius quintus, vt sanctior [2] videretur, nullam aliam apud se tenuit mulierem præter sororem. attamē sororem hic sanctus vir parum sanctè amauit. Sixtus quintus propter parcitatem insignis, ne aliquid sumptus faceret, diobolaria aliquot scorta domi aluit.

[2] *Hier. Catena.*

Neque dubium est, quin reliqui omnes qui nuptias prohibent, & doctrinam sequuntur dæmoniorum, turpibus ardeant libidinibus, & se omnibus reddant abominabiles.

[3] Bernardus olim dixit *iniquitatem à pontificib. Rom.* quos ille Christi vocat vicarios, *egressam esse.* [4] Wernerus circa tempora Lotharii secundi dicit, *sanctitatem Papas dimisisse.* Ioannes Saresburiensis *eos frequentius mori dicit, ne totam corrumpant ecclesiam. Auaritiam, vsuram, simoniam, rapinam, luxum, libidinem, gulam Romanæ curiæ,* Robertus Grosthed episcopus Lincolniensis grauiter olim insectatus est, vt inquit [5] Matthæus Paris. *Recentes summi pontifices,* inquit [6] Laurentius Valla, *diuitiis & deliciis affluentes id videntur laborare, vt quantum prisci fuere sapientes & sancti, tantum ipsi & impii sint & stulti, & illorum egregias laudes omnib. probris vincant.* Idem eos vocat *exempla omnium facinorum.* Propter pontificum summam turpitudinem Romam Petrarcha non [7] dubitauit appellare Babylonem, *vnde omnis virtus & pietas exulat.* [8] Narrat Ioannes Boccacius Abrahamum Iudæum Romā profectum, vt baptismo initiaretur, ibi cōperisse, *quod simul omnes*

[3] *Serm. 1. in conuers. beat. Pauli.*
[4] *In fascic. temporum.*
[5] *In Henr. 3.*
[6] *Contra donat. Constantin.*
[7] *In ep. sine nomine.*
[8] *Nouell. 2.*

omnes à maiore ad minimum turpissimè viuerent, & in luxuria tam naturali, quàm contra naturam peccarent sine aliquo conscientiæ remorsu; & quod Roma nulla esset virtus aut religio. papam deniq; & reliquos hoc videri summo studio agere, vt extinguerent, & ex mundo exterminarent Christianam religionem. Paulus Langius de temporibus Bonifacii noni verba faciēs: *copiosissima,*[1] inquit, *materia scribendi, vel potiùs plangendi de his temporibus, infamibus & effœminatis se offert, quibus totam Italiam maximè tamen Romam magnitudo scelerum, & vitiorum vorago pene absorbuerat.* In Papam ergo isti versus tum editi feruntur:

Papa dolor, mundiq; pudor, per crebra patescit
Crimina seu scelera famine sonorifero.

Et postea,

Curia papalis fouet omnia scandala mundi,
Delubra sacra facit perfiditate forum.

[2] Mantuanus *Petri domum fluenti luxu marcescere* queritur, vnde indignans [3] scribit:

Viuere qui sanctè cupitis, discedite Roma.
Omnia cum liceant, non [tamen] licet esse pium.

Idem etiam alibi:

I pudor in villas, inquit, *si non patiantur easdem*
Et villæ vomicas, Roma est iam tota lupanar.

Sed quid nos plura quæramus aduersus pontificem argumenta, cum Romæ iam publicè prostent tot meretrices, & ex hac turpitudine ipse tantum quæstum faciat? hoc enim Ioannes Andreas, Agrippa, Sansouinus, Wesselus, & multi alii scriptores testantur; & res ipsa probat. Hugo Cardinalis Lugduno discedens per iocum [4] dixit, *ciues Lugdunenses magnam curiæ papali debere gratiam, quia cum illuc primum venisset, tria aut quatuor lupanaria reperisset, sed nunc vnum tantùm reliquisse, sed illud ab occidentali ad orientalem portam durare.* Publicè etiam horum temporum pontifices [5] vsuras exercent, easq; sub nomine *montium pietatis* palliant: quasi verò pietas esset, centesimas accipere vsuras, aut saltem besses, & semisses: hoc est 12. aut saltem octo aut sex annuas pro centum.

Omnia pontificum scelera nemo verbis exhaurire

[1] *In Chron. Citizens. p.* 848.

[2] *Lib. cal.* 3.

[3] *Sylu. lib.* 1.

[4] *Matt. Paris in Henric.* 3.

[5] *Onuphrius in Paulo* 4. *& Pio* 4.

potest. & ex his satis constat, pontificem Rom. esse *hominem illum peccati, de quo Paulus loquitur, & qui se extollit supra omne quod dicitur Deus*, & qui in ecclesia tyrannidis suæ sedem collocauit. Nam vt multi fuerint tyranni scelerati & flagitiosi: præter istos tamen nullos fuisse accepimus, qui sub specie Christianæ religionis & pietatis tam turpiter & impudenter omnibus se flagitiis & peccatis contaminarint.

Argumentum quintum, à verbis Danielis sumptum, breuiter exponitur, CAP. V.

6 Daniel. 8. QVintum argumentum in verbis Danielis fundatur.[6] dicit enim Propheta Daniel Antichristum futurũ *regem impudentem facie, & intelligentem propositiones:* seu, vt alii interpretantur, *robustum facie, & intelligentem ænigmata.* quod etiam in figura meretricis

7 Apoc.17. 7 Babylonicæ obumbratur. nihil enim impudentius, aut astutius est, quàm meretrix.

Hæc autem aptissimè conueniunt pontifici Rom. & preterea nulli. ipse enim se dicit *regem, & regũ regem, & dominum & stuporem mundi*, vt antè dictum est. Neque tantùm regem se facit, sed etiam pontificem & iudicem intelligentem propositiones & ænigmata, qualis nec ipse Oedipus erat ad Sphingis nodos soluẽdos & explicandos. hic ore robusto & fronte perfricta se *soli* [1] comparat, imperatorem *lunæ*, hoc est, [2] vigesies septies se imperatore maiorem esse iactat. Hic se *regem regum terræ, & principem ecclesiæ* dici [3] gaudet. hic se *caput, & fundamentum, & sponsum ecclesiæ vniuersæ* appellari [4] sustinet. hic vbique se vniuersalem episcopum inscribit. At hoc Gregorius *Luciferi* & Antichristi esse proprium docet. [5] *Quis*, inquit ille, *in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nulli subesse, & omnibus praeesse videretur? qui etiam dixit, in cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum.* In epistola etiam ad [6] Constantiam Augustã, *In hac*, inquit, *eius superbia*, (nempe vbi se vniuersalem dicit episcopum, & generalem patrem) *quid aliud*

1 C. solita. de maior. & obed.
2 In gloss. ibidem.
3 Turrecrem. lib. 3. summæ. c. 9.
4 Bellar. lib. 2. de concil. c. 17. & lib. 2. de pontif. Rom. c 31.
5 Lib. 4 epist. 38. ad Ioan. Constantin.
6 Ibid. ep. 34.

aliud nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designatur? Præterea, hic robusta 7 facie asserit *se solum posse vti imperialibus insigniis: & quod sui solius pedes omnes principes deosculari teneantur : & quod nomen hoc Papæ est vnicum nomen in mundo. & quod illi liceat imperatores deponere, & subditos à fidelitate principum* absoluere. Iste denique impudentissimè sibi *omnem in cœlo & terra potestatem datam proclamat*, & se [8] *Deum*, & [9] *supremum numen in terris*, & [1] *summum Deum* vocari non erubescit.

Adeoque se intelligere putat propositiones alioqui inenodabiles, *quod sententias suas à nullo debere retractari; & quod maiores causas cuiuscunque ecclesiæ ad se referri debere putet: & quod* se errare non posse, credit, *vbi per decretalem aliquid definit*. vnde [2] Bellarm. dicit *verbum pontificis ex cathedra docentis esse quodammodo verbum Dei.* & Stapletonus in principiis suis doctrinalibus, doctrinaliter docet iudicium ecclesiæ, hoc est, pontificis Rom. *esse suo modo diuinum.* Vbi Christus pro Petro orauit, eum Petro & pontificibus Rom. impetrasse aiunt, vt dubia omnia diffinire, & nunquam iudicialiter non rectè diffinire possent. quæ omnia, vt nihil aliud efficiant; tamen satis ostendunt pontificem Rom. esse illum [3] *regem robustum facie, & qui propositiones se omnes intelligere, & explicare posse* profitetur: regem inquam robustum facie, & perfricta fronte, qui iudicium suum infallibile esse confidenter iactat.

7 *In dictat. Gregorii 7. lib. 2. regest. fol. 109. In biblioth Vatic. & Ioseph. Vestan. de osculat. pedum pont. p. 137.*
8 *Dist. 96. c. satis.*
9 *Stapleton. in epist. dedicat. ante princip. doctrinalia.*
1 *Blondus lib. 11. Roma instaurat.*
2 *In dictat. Gregor. 7. vbi supra.*
3 *Lib. 3. de verbo Dei. c. 10.*
4 *Daniel. 8.*

Argumentum sextum à tempore aduentus Antichristi.

CAP. VI.

SExtum argumentum à tempore aduentus Antichristi sumitur. Statim enim post euersum imperium Rom. & Spiritus sanctus docet reuelatum iri Antichristum, & nos papatum ex minimis initiis ad maximam potentiam creuisse videmus. Ioannes post interitum bestiæ illius Apocalyp. 13. quæ figuram gessit imperii Roman. narrat exorituram è terra aliam bestiam, *quæ agno similis futura erat, & tamen* [1] *loquutura vt draco*; quæ proculdubio figura est Antichristi.

1 *Apoc. 13.*

Dicit etiam decem reges, qui tempore adhuc suo non erant, potestatem suam accepturos post bestiam, & eam bestiæ, hoc est Antichristo, [2] tradituros. vnde cõstat Antichristum, nisi ex ruinis imperii Rom. non exoriturum. [3] Apostolus deniq;, vbi dicit *tantùm vt qui teneat, nunc teneat, donec de medio fiat:* intelligit imperium Rom. *Nisi,* inquit [4] Hieronymus, *Romanum imperium desolatum fuerit, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet.* Idem in [5] commentariis suis in Hieremiam: *Nisi,* inquit, *hoc* (Romanum imperium) *destructum fuerit, sublatumque de medio iuxta prophetiam Danielis, Antichristus non veniet.* Author etiam tractatus de Antichristo apud Augustinum dicit, *non priùs venturum Antichristum, quàm omnia regna à Romano discesserint imperio.* Similiter [6] Ambrosius: *Non priùs,* inquit, *veniet* (Antichristus) *quàm regni Romani defectio fiat.* quod etiam ipse [7] Bellarminus luce veritatis oppressus diffiteri non est ausus.

[2] *Apoc.*17.
[3] 2. *Thess.* 2.
[4] *Epist.*151. *ad Algasiã. quæst.*11.
[5] *Lib.*5.*c.*25.
[6] *In* 2. *Thes.* 2.
[7] *Lib.*3.*de pont. Rom. c.*5.

At decrescente & iacente imperio Rom. exortus est ex ipsius ruinis papatus. Primò enim [8] Gregorius 2. deficiente ab imperatore Leone Italia, fœdus cum Francis percussit, & magnam apud Italos, quibus ille rebellionis author erat, authoritatem adeptus est. Deinde ex donatione principum amplissimos reditus in Gallia Picena pontifices Rom. habuerunt. Postea Gregorius 7. & alii pontifices Romam, & regnum Neapolitanum, & al[illegible] imperii prouincias imperatoribus eripuerunt. Postremò, ius imperatoris eligendi, aut saltem confirmandi ad se transtulerunt. Florente autem imperio, parum potuêre pontifices Rom. aut in ecclesia, aut in repub. Non indixêre synodos, non cõdidêre leges, non deposuêre episcopos, nõ excommunicarunt, nec deposuerunt imperatores, aut summos principes. Imò, non maiorem illi authoritatem habuerunt, quàm reliqui patriarchæ in suis singuli prouinciis. Cum ergo papatus non nisi post diminutam, & fractam imperii maiestatem & potentiam, oriri & crescere cœperit; nec vllum regnum præterea ex imperii ruinis eo modo initiũ ceperit: in papatu necesse est Antichristi regnum fundatum esse. Papatus enim

[8] *Zonaras in Leone Isauro.*

in

in figura agni se post sæuitiam Romani imperii, quod in pardi adumbratum erat imagine, ostendit. & pontificibus Rom. Francorum reges & imperatores Germaniæ colla sua submiserunt, omnemque suam potestatem ad eorum mandata exequenda contulerunt. Gallorum auspiciis olim Albigenses; armis & potētia Caroli quinti nuper Germanos oppugnarunt. Nunc omnis eorum spes in Hispanis & Austriaca familia posita est. Valde ergo cæci sunt, qui in pontificio regno Antichristi imaginem clarè expressam non vident.

Argumentum septimum à desolatione imperii Rom.
CAP. VII.

DIctum est antea de tempore reuelationis Antichristi, nunc autem de modo dicendum est. inde enim validum habemus aduersus pōtificem Rom. argumentum. Nam si imperium Rom. detinuerit Antichristum quodammodo ne veniret, vt apostolus significat, & patres disertè affirmant; tum remoto illo impedimento; & desolato imperio Rom. necesse est Antichristum iam venisse. quod & patres euēturum prædicunt. *Veniet*, inquit [1] Cyrillus, *prædictus Antichristus, cùm impleta fuerint tempora Romani imperii.* Similiter [2] Lactantius: *Romanum nomen*, inquit, *quò nunc regitur orbis, (horret animus dicere, sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra: & imperium in Asiam reuertetur, ac rursus oriens dominabitur, atq; occidens seruiet.* Clarissimè verò hoc eloquitur Chrysostomus. *Quando*, [3] inquit, *è medio sublatum fuerit imperium Rom. tunc veniet Antichristus.*

[1] *Catech. 15.*
[2] *Instit. lib. 7. cap. 15.*
[3] *In 2. Thess. 2.*

At iamdudum periit imperium Rom. vrbsque illa, quam Romani *æternam* dixerunt, seruit pontifici Romano seruorum seruo, & Diaboli mancipio. multaq; iam secula præterierunt, ex quo aliquis ex genere & populo illo imperio præfuit. Nec obstat, quod imperatores Germaniæ reges dicantur Romanorū. non. n. quid homines temerè loquantur, sed quid verum sit, spectādum est. *Vrbs Roma*, inquit [4] Engelbertus Wustervvits, *semper extitit regalis & imperialis. alioqui ab electoribus deputatis ad imperium sublimatus, quisquis ille*

[4] *Apud Paulum Langiū in Chron. Citizensi.*

foret, incassum & frustra appellaretur rex Romanorum, quia non verbis, sed factis prosperari quis debet. At certum est vrbem Romam iam non esse ampliùs imperialem, sed papalem. nonne ergo sequitur istos frustra dici imperatores Romanos? quod etiam inde cōstat, quia vrbs illa regitur armis & legibus Papæ, & non imperatoris. Succedunt quidem quodammodò imperatores Germaniæ imperatoribus Rom. & ius habent in vrbe Roma, & in imperio Romano. sed nec Roma, nec Romani illis parent, vel aliquid habent cum illis commercii. Imò vniuersa Italia, quæ olim firmamentum & sedes erat imperii, ab imperatoribus defecit, & eos ius suum repetētes pontifices Rom. & alii Italiæ principes armis pepulerunt. Cum ergo nec leges dent Romanis aut Italis, nec de illis iudicent, nec magistratus eis constituant; quomodo dici possunt Romanorum imperatores?

Præterea, cum ipsa Roma barbaris sæpe nationibus paruerit, & nunc turpissimo domino seruiat; quis non videt imperium Rom. funditus interiisse? hoc certissimum est, aut imperium Rom. occidisse, aut pontifices Rom. non habere regnum temporale: neq; enim reges sunt & summi principes, qui aliis parent, & qui regnum possident, quod aliorum est.

Fracto ergo & destructo iampridem imperio Rom. necesse est Antichristum venisse. Si autem iam venerit, necesse est, vt pontifex Rom. sit ille Antichristus. neq; enim vllus alius est præterea in quem signa Antichristi conueniant. Nullus acriùs Christi doctrinæ se opposuit; nullus Dei honores & potestatem sibi sumpsit arrogantiùs; nullus se gessit in omni vita turpiùs; nullus deniq; ex ruinis & reliquiis imperii tantum regnum parauit, aut statim post imperii diminutionem vires acquisiuit.

Octauum argumentum à defectione vniuersali à fide Christi, & morum corruptela generali.
CAP. VIII.

VAlidum etiam nobis aduersus Bellarminum subministrant argumentū verba Pauli 2. Thess. 2. vbi signifi-

significat defectionem à fide futuram in aduentu Antichristi. Non veniet enim dies Domini, *nisi*, vt inquit apostolus, *venerit discessio primùm. Tunc*, inquit [1] Ambrosius, *appropinquabit desolatio, quoniam à vera religione plerique lapsi errore descifcent.* [2] Oecumenius per apostasiam seu defectionem intelligit *ipsam à Deo separationem.* [3] Hieronymus dicit, *Antichristum veram religionem pede calcaturum.* Similiter author tractatus de Antichristo apud Augustinum: *Legem*, inquit, *euangelicam dissipabit, dæmonum culturam in mundo renouabit*, neque putandum est aliò spectare [4] mendacissima Antichristi miracula, & operationem Satanæ in Antichristo, nisi vt plurimi in errorem abducantur. Similiter magna morum ingruet illis temporibus labes. *Ita iustitia rarescet*, inquit [5] Lactantius, *ita impietas & auaritia & cupiditas & libido crebrescet, vt siqui tum forte fuerint boni, prædæ sint sceleratis, & diuexentur vndique ab iniustis: soli autem mali opulenti sint: boni verò in omnibus contumeliis, atque in egestate iactentur. confundetur omne ius, & leges peribunt.* & postea: *non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit. atq; ita neq; securitas, neq; regimen, nec requies à malis vlla.*

[1] *In 2. Thessal. 2.*
[2] *Ibidem.*
[3] *In epist. ad Algas. q. 11.*
[4] *2. Thess. 2.*
[5] *Lib. 7. de instit. diuin. c. 15.*

At nullo vnquam tempore maior facta est à fide discessio, quam ex quo pontifices Rom. rerum potiri cœperunt. nam simul exortus est Mahometus in oriente, & in occidente pontifex Rom. qui miseros mortales à fide ad mendacia abduxerunt. Et de Mahometo quidẽ & eius discipulis nulla est cõtrouersia, quin à fide discesserint. superest ergo vt pontificem Rom. & ei adhærentem synagogam Rom. idem fecisse ostendamus. Hoc autem constat, *Primò*, quia noua paulatim fundamẽta fidei excogitauit. Exempli gratia: traditiones non scriptas, scripturas apocryphas, pontificum Rom. epistolas decretales, & insulsas eorum interpretationes. *Secundò*, quia noua fidei dogmata de purgatorio, de missa, de transubstantiatione, de põtifice Rom. & aliis rebus infinitis in ecclesiam introduxit. *Tertiò*, quia cultum Dei pede calcans nouum cultum angelorum, sanctorum, & idolorum in ecclesia instituit,

Quartò, quia veteres hæreses quasi postliminio in ciuitatem suam reduxit. *Postremò*, quia apostolicam fidem de lege Dei, & euangelio, & sacramentis ecclesiæ, & omnibus fere religionis Christianæ capitibus deseruit. idq; nos partim hoc libro, partim verò in reliquis de religionis Christianæ controuersiis tractatibus ostendemus.

Magna etiam in moribus inuasit Christianā remp. istis authoribus introducta labes. *Recessit lex à sacerdotibus*, inquit [6] Breidenbachius, *à principibus iustitia, cōsilium à senioribus, à populo fides, amor à parentibus, à subditis reuerētia, charitas à prælatis, religio à monachis, à iuuenibus honestas.* Vixit ille tempore Caroli quarti, & has tum lugubres effudit voces. [1] Paulus Langius tēporibus Bonifacii 9. Romam & vniuersam Italiā *magnitudine scelerum & vitiorum voragine pene absorptam* fuisse dicit. Abbas Vrspergensis de temporibus Innocentii 3. verba faciēs: *Tunc*, inquit, *cœperunt mala multiplicari in terris.* Narrat [2] Boccatius de curia & populo Rom. nefanda quędam. *Nullam enim ibi deuotionem, aut virtutem superesse, sed omnes flagitiose viuere, & non modo in naturali luxuria, sed etiam contra naturam peccare.* Multa etiam fœda de moribus curię Rom. narrat Petrarcha in epistolis sine nomine. Cum ergo hæc defectio & in doctrina, & in moribus, authore vt plurimùm pontifice Rom. facta sit, & ille certissimè sit homo peccati, qui omnia hæc flagitia suo exemplo & authoritate auxit; non alibi quærendum est regnum Antichristi, quàm in illis, qui huius defectionis præcipuè extitere authores.

[6] *In historia peregr. suæ.*
[1] *In chronic. Citizensi.*
[2] *Nouel. 2.*

Argumentum nonum à sede Antichristi.

CAP IX.

ANtichristum in templo Dei sessurum [3] prædixit Apostolus. *Ita*, inquit, *vt in templo Dei sedeat*, hoc est, in ecclesia Dei. quod & Ioannes significat. Antichristos enim *ex nobis*, hoc est, ex ecclesiæ externa societate prodituros [4] dicit. atque ita patres intelligunt. [5] Ambrosius *eum in domo Domini, & in sede Christi sessurum* dicit. [6] Hieronymus ostendit quosdam existi-

[3] 2. *Thess.* 2.
[4] 1. *Ioan.* 2.
[5] *In* 2. *Thessal.* 2.
[6] *In epist. ad Algasiam.* q. 11.

existimasse *Antichristum in templo Dei Hierosolymis sessurum*; sed *verius dicit eos existimare, qui in ecclesia Dei sessurum putant*.

Non in templo propriè, inquit [7] Theophylactus, *quod est Hierosolymis, sed in ecclesia simpliciter, & in omni Diuino delubro sedebit.* Similiter etiam Oecumenius: *Non dicit*, inquit, *templum Hierosolymis, sed ecclesiam Christi*, atque ita sanè necessariò hæc verba intelligere debemus, nisi Antichristum nunquam venturum dicere velimus. illud enim Hierosolymitanum templum funditus excisum est, & cum Iudæi tempore Iuliani apostatę illud instaurare voluissent, terrę motibus & igne cœlitus demisso deterriti sunt: quod planè ostendit Deum secundùm [8] Danielis prophetiam nolle hoc templum vllo tempore reædificari. In hoc ergo templō, hoc est, in ecclesia Dei sedebit Antichristus, & se ostendet tanquam sit Deus.

[7] *In 2. Thess. sal. 2.*

[8] *Daniel 9.*

At nullus vnquam in ecclesia Dei se monarcham & regem, & vniuersalē episcopum dixit, & se quasi Deus esset iactauit, præter pontificem Rom. neq; præter ipsum nunc quisquam se Christi esse vicarium, & in Christi sede & tribunali sedere, aut suū & Christi consistorium vnū esse dixit. nullus deniq; præter illum se Deum esse dixit, aut in templo Dei diuinos sibi honores arrogauit.

Respondet Bellarm. [9] *Paulum loqui de templo Hierosolymitano, & non de ecclesia. nam si intelligamus ecclesiam Dei tum pontificem Rom. & ecclesiam Roman. futuram veram Dei ecclesiam, & omnes cum illa pugnantes alienos fore ab ecclesia Dei.* Sed quis non potiùs credat Hieronymo, Ambrosio, & reliquis patribus, quàm Bellarmino? præsertim verò, cum nullam firmam rationem pro sua sententia afferre possit. Nam Antichristus ideò dicitur in ecclesia Dei sessurus, quia locum illum occupabit, vbi vera erat ecclesia & multos, qui antea ad ecclesiam pertinebant, peruertet; & quia ecclesiæ nomen vsurpabit, licèt grex ipsi adhærens, postquam reuelatus erit, non mereatur nomen ecclesiæ. & huic expositioni fauere videtur [1] Augustinus. Quæ autem de dissipatione ecclesię in papatu lo-

[9] *Lib. 3. de pont. Rom. c. 13.*

[1] *Tract. 3. in epist. Ioan. & lib. 20. de ciuit. Dei. c. 19.*

a Col. 883. quitur Caluinus, ea immeritò à [2] Bellarmino reprehenduntur. nam vt dissipetur grex Christi, & ecclesia quibusdam in locis sit instar semiruti ædificii; non tamen sequitur vt fuerit, aut interierit ecclesia, vt ille ineptè colligit neq; vt olim primis temporibus aliquę fuerint in papatu ecclesiæ reliquiæ, propterea necesse est synagogam Rom. esse nunc ecclesiã Dei, licèt malè affectam. Pii enim illi viri ecclesiæ dicebãtur reliquiæ, quia veram fidem amplectebantur, & pontificũ Rom. impietates nõ probabant. nunc autem vulgò & pontificias impietates amplectũtur, & veritatem sibi manifestatam abiiciunt, & oblatam gratiam pertinaciter recusant.

3 Col. 883. Profert ergo *secundò* locum ex Apocal. 11. vbi audacter, ne dicam immodestè & impudenter, [3] affirmat, *Ioannem dicere Henoch & Heliam pugnaturos cum Antichristo in Hierusalem, & ibi occisos iri.* Sed neq; Ioannes vel semel nominat Henoch & Heliã, vel de vrbe Hierusalem verbum facit. Quid, quod nec Henoch & Heliam videtur intellexisse? quod inde probatur, *primò*, quia nullus iam superest paradisus terrestris, quò tamen isti translati finguntur. *Deinde*, quia nihil corruptibile cœlos aut cœlestẽ paradisum ingreditur. *Tertiò*, quia ipsi iam beatitudine fruuntur. *Postremò*, hæc omnis fabula & interpretatio tantùm ex Iudæorum traditione sumpta videtur.

Nec obstat, quod nonnulli patres eos intelligi opinati sint, aut templum Hierosolymitanum intelligi putarint. nam euẽtus multo certior est interpres prophetiarum, quàm incerta hominum de rebus futuris opinio & coniecturà. *Præterea*, non obstat quod *Ioannes loquitur de loco vbi Dominus crucifixus est.* nam idem locus dicitur Ægyptus & Sodoma: vnde etiam colligimus, hæc verba non literaliter, sed spiritualiter intelligi debere. Interpretes autem de rebus futuris incertas protulere interpretationes.

4 Col. 884. [4] Profert *tertiò* locum, Apoc. 17. vbi dicit Ioannes, *decem reges inter se diuisuros imperium Rom. & odio habituros meretricem.* Quasi verò Antichristus non possit inuadere ecclesiam Dei, & in ea se iactare, etiamsi imperium

perium Rom. inter plures diuidatur: & nō possint reges odio habere meretricem, quam primò amarunt: quod & Ioannes apertè docet, Apoc. 17.

Primò enim dicit reges illos potestatē suam bestiæ tradituros; & *deinde* eā oppugnaturos. Sed Bellar. veritati oculos occludit, & nō vult per meretricem & bestiam nouā Romam, sed tantùm veterē intelligi: quā nos eius insaniam, si non sit morbus deploratus, postea sanabimus. Dicit *postremò nec in nouo testamento, nec apud patres per templū Dei intelligi ecclesias Christianorū.* Sed hoc mendacium refellitur primò, ex 1. Cor. 3. & 2. Cor. 6. & 1. Cor. 11. & 10. & Ephes. 2. vbi apostolus ait, *Crescit in templum sanctū in Domino.* Refellitur secūdò ex Lactantio: *Sola,*[1] inquit ille, *catholica ecclesia est, quæ verum cultū retinet. hic est fons veritatis, hæc est domiciliū fidei, hoc templum Dei.* Sed quasi omnia legisset, & meminisset; ita nihil putat esse verū, nisi quod ipse legit, & meminit. interim manet argumentum nostrū, pontificem Rom. in ecclesiam Dei ingressum esse, & ibi se diu multumque iactasse, & ex sancta ciuitate meretricem fecisse; & propterea Antichristum esse.

[1] *Lib. 4. instit. c. 30.*

Decimum argumentum ab arce regni Antichristi, & sede imperii, CAP. X.

NEque tantùm in ecclesia Dei sedebit, sed Romæ etiam, & non Hierosolymis, vt nonnulli putarunt, regnabit Antichristus. hoc enim nos & scripturæ docent, & euentus optimus prophetiarum interpres, confirmat. Secunda enim illa bestia cuius meminit Ioannes Apocalyp. 13. quæ similis erat agno, & loquebatur vt draco, adorari faciet bestiam primam. hoc est, Antichristus instaurabit quodammodo collapsum Romanum imperium, & curabit plagam mortis eius, illam veteris imperii imaginem quodammodo renouando. Quod autem hæc interpretatio vera sit, hinc probatur; quia per primā bestiam vrbs Roma, seu Romanum imperium; per secundam bestiam, Antichristus apertè designatur, *Per pardum,* inquit[2] Arethas, *designatur Romanum imperium, quòd celeriter processerit.* Sed ex contextu etiam propheriæ idem

[2] *In Apoc. 13.*

colligitur. neque enim descriptio illius bestiæ vlli ciuitati aut imperio competit, præterquam Romano. hoc enim imperium omnes gentes admiratæ sunt, & modò non adorarunt; & Romani imperatores loquuti sunt aduersus Christum blasphemias, & Christianos persequuti sunt 42. menses, hoc est 294. annos, hoc est, vsque ad tempora Constantini. nam tot fere anni à Christo passo ad eius tempora numerantur, quibus menses 42. respondent, si per singulos menses septem intelligas annos. quæ omnia Spiritus sanctus primæ bestiæ ascribit. Dicit etiam [a] *Arethas per secundam bestiam è terra ascendentem Antichristum designari, quia ipse de terra ascendet.* Idem etiam probatur ex eo, quia similis erit agno, seu agni vicarius, & loquetur vt draco, & signis suis seducet habitatores terræ; quæ omnia ad Antichristum pertinent. Roma autem per Gothos capta est, & imperium Romanum lethaliter percussum. sed secunda bestia, hoc est, pontifex Romanus sedem sui imperii Romæ figens, vulnus prioris bestiæ quodammodo curauit, & eius imaginem, hoc est papatum, qui imago erat prioris imperii, Romæ in pretio haberi & adorari fecit. necesse est ergo, vt Antichristus faciat adorari imaginem prioris bestiæ, & imperium restituat & restauret; quod nullo modo facere potuit, nisi vrbi Romæ imaginem quandam veteris imperii restituisset.

[a] *Ibidem.*

Deinde, per mulierem Apocalypseôs capite 17. Roma designatur. *Mulier*, inquit Angelus Ioanni, *est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.* at illa mulier est imago regni Antichristi. necesse est ergo, vt ibi regnet Antichristus. At post occasum imperii nemo Romæ regnauit præter pontificem Rom. nemo vulnus prioris bestiæ præter ipsum curauit: nemo vrbem Romam iterum instaurauit, nisi ipse solus: nemini reges terræ regnum dedêre, nisi ipsi. Romam ergo multi Babyloniam dixére, & pontificem Rom. per meretricem Babylonicam designari intellexerunt. Episcopus Salisburgēsis pontifices Rom. vocauit [1] *Flamines Babyloniæ.* Fridericus secundus Romam Babyloniam

[1] *Auentin. lib. 7.*

niam esse credidit; quod & [2] Petrus Blesensis apertè eloquutus est. [3] Hayabalus diuinitus se admonitum esse dixit, vt prædicaret Romam esse Babylonicã meretricem. Hoc veritas etiam Michaeli Cesenati Franciscanorum præposito generali expressit. Franciscus Petrarcha hoc & in [4] carminibus, & in epistolis suis scripsit. Ex versibus etiam Sibyllæ colligitur Antichristum propè ripam Tyberis esse regnaturum. Et sanè nisi Romæ regnaret, nusquam designari posset sedes imperii Antichristi. nam templũ Hierosolymitanum prorsus euersum est, nec vnquam restituendum videtur, & vrbs antiqua funditus interiit. Cum ergo post imperium euersum, nemo præter pontificem Rom. Romæ regnarit, aut veteris imperii imaginem restituerit; sequitur necessariò, ipsum esse Antichristum: regnumq; ipsius in meretricis figura Apoc. 17. adumbratum fuisse.

2 In epist. ad quend. officialem.
3 Henricus de Erphordia in Chronic.
4 Cant. 106. Gia, Roma, hor. Babylonia falsa & ria.

Vndecimum argumentum à descriptione meretricis magna Apocal. 17. & Babylonis, Apocal. 18.

CAP. XI.

MAgnum etiam lumen huic causæ affert descriptio meretricis magnæ Apocalyps. 17. & Babynis Apocalyp. 18. Nam si ecclesia Romana, siue noua Roma, vt nunc à pontifice Romano habitatur, sit vel Babylon, vel meretrix illa magna, quæ velut imago nobis Antichristi proponitur; non potest esse cuiquam obscurum, quis sit ille Antichristus de quo quærimus. hoc autem multis argumentis probatur.

Primò, ipsa series & ordo rerum & temporum in Prophetia Ioannis hoc docet. Nam postquam cap. 13. statum & interitum veteris Romæ sanctorum debellatricis descripsisset, nihil magis erat consentaneum, quàm vt capite 17. & 18. statum & interitum nouæ Romæ describeret. nec verisimile videtur Spiritum sanctum rem eandem in tanta breuitate bis repetiturum fuisse.

Secundò, Antichristi ortum & regnum Ioannes in fine capitis decimitertii nobis in figura bestiæ secun-

dæ, quæ agno similis erat, repræsentauit; eaque dixit, quæ post interitum imperii Romani complenda erant. non ergo probabile videtur, aut credibile, Spiritum sanctum ad superiora statim rediturũ fuisse, & de veteri Roma iterum velle nobis narrationem referre. At si meretricis huius figura ad statum nouæ Romæ referatur, omnia conueniunt. nihil enim magis consentaneum, quàm vt post ortum & regnum Antichristi status orbis sub eodem describatur, & deinde Antichristi interitus. ortus autem eiusdem describitur in fine 13. capit. eius regnum & status orbis sub Antichristo capit. 14. 15. & 16. exponitur & figuratur. interitus verò regni Antichristi, & bestiæ & damnatio meretricis & casus Babylonis, cap. 17. & 18. prædicitur.

Tertiò, meretrix hæc purpurata & Babylon, cuius interitus prædicitur capite 17. & 18. huius Prophetiæ, non nisi sub finem seculi perdenda erat. Ioannes enim statim post Babylonis euersionem, de nuptiis agni, & vltimo iudicio loquitur. At vetus Roma, & imperium Rom. ante multa secula euersum est, & sanctos persequi desiit.

Quartò, bestia quam Ioannes vidit, & super quam meretrix purpurata sedisse dicitur, *nõ adhuc erat*, qualis futura erat; nec imperium suum adhuc inchoauerat. *ex abysso enim*, vt [1] loquitur ille, *ascensura erat*. At vetus Roma iam eius tempore regnabat & florebat: ad eam ergo ista spectare non poterant. Commodissimè autem de pontificibus Rom. & Roma ipsorum nomine dominante intelligi possunt. ipsi enim, deflorescente, & deficiente imperio, succrescere & regnare cœperunt.

[1] *Apoc.* 17.

Quintò, decem illi reges, quos per decem illa cornua significari docet angelus, tempore Ioannis nondum inceperant regnare. imò post imperii deficientis tempora vnà cum Antichristo regnum accepturi erat. dicit enim [2] angelus *eos nondum regnum accepisse, sed vnà cum bestia*, seu Antichristo, regnum accepturos. per bestiam ergo pontificum regnum & status intelligendus est. hoc enim regnum Francorum & aliorum regum,

[2] *Ibidem.*

gum, qui primam Romam, seu vetus imperium euerterunt, potentia & liberalitate creuit. dicit enim angelus *eos bestiæ regnum daturos.*

Sextò, vt in capite 13. huius reuelationis sub bestiæ figura, quæ agno similia habuit cornua; ita hîc sub meretricis figura Antichristi regnum & statum describit. At ibi Romam nouam sub pontificum imperio vitæ quodammodo restitutam describi manifestum est. cur ergo non hoc loco eadē describatur, cum meretricis species & illecebræ non minùs, quàm simulata humilitas ad Antichristi regnum pertineant? vetus sane Roma armis, & violentia, & viribus imperium adepta est, & propterea in *pardi* figura repræsentata est; in meretricis certè figura commodè adumbrari non potuit.

Septimò, meretricis & Babylonis desolationem lugebunt reges terræ. At veterem Romam superbè & crudeliter regnantem reges oppugnarunt, & eius calamitates non luxerunt. nouam autem Romam cadentem multi lugent. Philippus secundus Hispanus, intellecta rebellium clade in Anglia, qui pontificis Romani hortatu & auspiciis missam & regnum pontificium ibi restituere conati sunt, *se à lachrymis temperare non potuit*; vt narrat Hieronymus [3] Catena. omnesque cum pontifice coniurati aduersus Christi religionem, proditorum, & assassinorum suorumq; omnium cladem & calamitatem lugent, & lamentantur. [3] *In vita Pii quinti.*

Octauò, cum meretrice hac purpurata de qua [4] Ioannes, *reges terræ fornicati sunt.* At hoc ad veterem Romam referri non potest. illa enim ab aliis gentibus varia idola & superstitiones accepit: à *Latinis* cultum Iouis, à Veiis Iunonem, ab Epidauriis Æsculapium, ab Asiaticis magnam matrem Deûm, ab Heruscis aruspicinā, a Græcis auguria: nulli autē populo ipsa religionis leges, aut sui cultus formā præscripsit. At ab hac noua Roma idolorum cultus, & multæ superstitiones in totum terrarum orbem deriuatæ sunt. Pontificis Romani decretales ante nostra tempora vbique fere recipiebantur. hæc vna vrbs adhuc su- [4] *Apoc. 17.*

perstitionis & idololatriæ caput est, & vnicum columen.

Nonò, descriptio huius meretricis magnę & Babylonis ad religionis corruptæ statū pertinet. huc enim meritò referendum videtur, quod *mater dicitur fornicationum*, & quod *poculum in manu tenet plenum immūditiei & abominationum.* at religionis corruptela & idololatria nō à vetere, sed à noua Roma in orbem terræ propagata est.

Decimò, euerso imperio antiquæ Romæ, religio Christiana latè & per vrbem Romam & vniuersam Italiam radices agere cœpit, factaque est vrbs illa ex impura & idololatrica, sancta & religiosa. erat enim Christianorum plena ciuitas. At meretricia hac vrbe, & Babylone euersa, de qua Ioannes [3] loquitur, *facta est ibi habitatio dæmoniorū, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* necesse est ergo, vt hæc descriptio ad nouam Romam, & non ad antiquam & ethnicam pertineat, nisi velint fortasse aduersarii Romam ethnicam fuisse ciuitatem sanctam, & Romā ad Christianam religionem cōuersam esse impuram; quod absurdum est, & dictu planè impium.

[3] *Apocal. 18.*

Vndecimò, vetus Roma sub imperatoribus Romanis iampridem ecclesiam persequi desiit. At hæc Roma, quam sub meretricis, & Babylonis figura describit Spiritus sanctus, vsque ad finem seculi ecclesiam persequetur. vt Ioannes significat. statim enim post finem huius persequutionis, & interitum meretricis & Babylonis, narrantur ea quæ finem seculi proximè præcedent.

Duodecimò, quæ de hac meretrice & Babylone dicuntur, pontificū Rom. & nouæ Romæ solius propria sunt. ipsa enim bellum gerit cum sanctis, ipsa est ebria sanguine sanctorum; & reges & populos ad bellum agno inferendum concitat. hæc etiam omnes meretrices fraudibus, fallaciis, periuriis, blāditiis, impudētia, impudicitia, crudelitate, & omni morum spurcitie longè superat. hęc mater est idololatrię & fornicationis, nuptiarum inimica, serua voluptatum. *huius omnis iniquitas*

iniquitas est mystica, hoc est, *pietatis nomine palliata*, vt inquit Anselmus. mysterium enim in eius fronte scriptum est. hæc denique facta est habitatio dæmoniorum, & omnis spiritus immundi, vt [1] Petrarcha & [2] Boccatius, qui sui temporis mores descripserunt, testes locupletes narrant.

Postremò, hoc & veteres per nebulam viderunt, & ante nostra tempora multi viri boni agnouerũt. Nam & [3] Tertullianus & [4] Hieronymus sub Babylonis, & meretricis figura, Romam adumbrari dicunt. & hoc Hauabalus, & Fridericus secundus imperator, & episcopus Salisburgensis, & Petrarcha apertè loquuti sunt. Petrarcha temporibus Ioannis 22. & Benedicti 12. magno cum orbis applausu cecinit *Romam esse Babylonem, & meretricem impudentem.* Istis suffragatus est Michael Cesenas inter fratres minores vir clarissimus. nec de hac re vnquam dubitarunt ex Bohemis, Anglis, Germanis, & Gallis complures viri pii. *Tunc interituram* dixit [5] Primasius *Babylonem, quando nouissimè potestatem acciperet persequendi sanctos. Matrem fornicationum*, inquit [6] Arethas, *quamcunque volueris intelligere, siue veterem Romam, siue nouam, siue tempus vitæ Antichristi, à vero aberrare non poteris.* Romam per Babylonem simpliciter designari etiam 7 Augustinus & [8] Ambrosius Ansbertus dixerunt: & vtrum veterem, an nouam velimus intelligere, in medio reliquerunt.

Respondet [9] Bellar. *mirabilem esse impudentiam hæreticorum, qui vt doceant nouam Romam esse purpuratam meretricem, vtuntur Tertulliani & Hieronymi testimonio.* Sed insignis erat ipsius potiùs vel impudentia, vel stultitia, qui non vidit Hieronymum loqui de Roma sui temporis, & eam Babylonem appellare. nam in [1] epistola ad Marcellam, idcirco eam hortatur, vt relicta Roma se Bethlehem conferat, *quia Roma erat mulier purpurata, & Babylon quæ facta est habitatio dæmonum.* neque vel ipse, vel Tertullianus aliquid habet, cur non minùs intelligamus nouam Romam, quam veterem, esse Babylonem. Disertè etiam hoc dixere Primasius & Arethas, qui tamen non erant hæretici. Sed vt me-

1 *Cant.* 106. 107. & 108.
2 *Nouell.* 2.
3 *Lib. aduers. Iudæos. & lib. 3. aduers. Marcionem.*
4 *Ep. Eustochii ad Marcellam. apud Hieron. Numer.* 17. & *ad Algasiã q.* 11.
5 *In Apocal.* 16.
6 *In Apoc.* 17.
7 *Lib.* 18 *de ciuit. Dei, c.* 22.
8 *In Apoc.* 17.
9 *Lib. 3. de pont. Rom. c.* 13. *col.* 886.
1 *Num.* 17.

retrici inseruiat purpuratæ, meretricis frons facta est ei. Interim verò hæc nota perpetuò fronti nouæ Romæ inusta manebit, quod nō sit illa ampliùs ecclesia, sed meretrix purpurata, & Babylon Apocalyptica: cuius seruus est Bellarminus, qui nunc factus est purpuratus Cardinalis.

Argumentum duodecimum, à mystica Babylonis & Antichristi impietate, CAP. XII.

NOn parum autem valet ad hoc mysterium iniquitatis inuestigandum, quòd omnis pōtificum Romanorū religio & actio plena est mysteriis. omnia enim sua facinora sub pietatis nomine occultant. Dum per sicarios & veneficos, pios principes tollunt; Catholicæ religionis studio se hoc facere simulant: Dum subditos à sacramento & fide principib. data absoluunt; hoc [1] iniquorum odio factum dicunt. Dum per parentes filios interficiunt; hoc se zelo catholicæ fidei accensos facere [2] prætendunt. Bella, tumultus, rebelliones, incendia, cædes, parricidia hoc vno pietatis nomine tegunt. *Sub nomine religionis,* inquit Petrus [3] Crinitus, *nihil non sibi licere arbitrantur.* Nomen etiam ecclesiæ sibi assumunt, & quicquid ipsi delinquūt, hoc ecclesiæ nomine fieri venditant. Hinc ecclesiæ dicuntur milites, qui aduersus pios bella gerunt; & ecclesiæ iudices, qui oues Christi variis cruciatibus mactant. atque ita dum totum terrarum orbem regnandi cupiditate incensi bellis & incendiis miscent, patres patriæ, & patres dicuntur sanctissimi; dum Christi ouile dissipant, summi religionis antistites salutātur. Sed vt verè [4] Beno Cardinalis, *eorum religio nihil aliud redolet, quàm proditionem & auariciam.* Suam præterea missam dicunt esse plenā mysteriis. & à Scripturæ sensu literali cōfugiunt sæpe ad suos sensus mysticos, hoc est, *ad sentētias humano sensu electas, & ingeniosè excogitatas.* Sub specie denique pietatis virginem Mariam, & angelos, & mortuos venerātur & inuocant, eorumque imagines publicè colunt; multasq; sub fictæ religionis nomine nouas superstitiones per aliquot secula populo Christiano obtruserunt. Quod ergo de Gregorio

[1] *Dictat. Gregor. 7. apud Iosephū Vestan. de oscul. pedum pontif.*
[2] *Epist. Pii Q. ad Philippum Hispan. regem.*
[3] *Lib. 8. c. 13.*
[4] *In vita Gregorii 7.*

gorio 12. & Benedicto dixit olim Theodoricus [1] Niemensis, hoc verè de omnibus affirmare licet: *eos per trufas & nugas, ac colores varios, & elenchos sophisticos, Christianum populum decipere.* Nam etsi se omni turpitudine & morum spurcitie polluant, & Christum clam oppugnent, & pios quouis quæsito colore iugulent, & iustitiæ & fidei nullam rationem habeant; se tamen sanctissimos antistites & Christi vicarios, & ecclesiæ pastores, & fidei catholicæ & iustitiæ patronos solos videri cupiunt. Sed & Antichristi impietas velut mysterium la[...]it. *Mysterium,* inquit [2] apostolus, *iam operatur iniquitatis.* In fronte etiam meretricis purpuratæ hoc nomen scriptum est, *Mysterium:* [3] *Babylon, magna mater fornicationum.* Anselmus ideo dixit, *eius impietatem mysticam fore, quia pietatis nomine palliata esset. Simulabit,* inquit [4] Hieronymus, *se ducem esse fœderis, hoc est, legis & testamenti Dei.* Cum ergo hoc sit Antichristi artificium, vt omnia sua scelera & impietates sub religionis nomine occultet, & hoc etiam faciat pontifex Rom. nec præter ipsum eo modo aliquis; nonne sibi etiam in fronte hoc nomen inscribendum ostendit; *Mysterium, Babylon, Magna mater fornicationum?*

[1] *Lib. de schism. 3. c. 40. & 48.*
[2] *2. Thes. 2.*
[3] *Apoc. 17.*
[4] *In cap. 11. Daniel.*

Argumentum decimum tertium, à grauissima sub Antichristo futura aduersus Christi ecclesiam persequutione, CAP. XIII.

ETsi multæ futuræ sint in hoc mũdo ecclesiæ Christi afflictiones & labores; nulla tamen grauior erit persequutio, quàm illa, quam Antichristus aduersus eam excitabit. *Nam cum consummati fuerint mille anni, tum soluetur Satanas de carcere suo,* vt inquit [1] Ioannes. ille autem pugnabit aduersus ecclesiam Dei. Sæuiet etiam eius satelles & præcipuus administer Antichristus, & [2] *faciet vt quicunque nõ adorauerint imaginem bestiæ occidãtur. Reges etiã terræ potestatem suã bestiæ* [3] *tradent, & pugnabunt cum agno;* vt Spiritus sanctus nobis præsignificat. *Hæc erit,* inquit [4] Augustinus, *nouissima persequutio nouissimo imminente iudicio, quã sancta ecclesia toto terrarũ orbe patietur.* Dicit denique [5] Hierony-

[1] *Apoc. 20.*
[2] *Apoc. 13.*
[3] *Apoc. 17.*
[4] *De ciuit. Dei. lib. 20. c. 11.*
[5] *In Dan. c. 7.*

mus *Antichristum contra sanctos praeliaturum, & superaturum eos.* Et hoc nobis Spiritus sanctus futurum significat, vbi [1] dicit *meretricem magnam*, quae figura erat regni Antichristi, *ebriam fore sanguine sanctorum, & martyrum Iesu.*

[1] *Apoc.* 17.

At nulla vnquam grauior excitata est persequutio aduersus ecclesiam, quàm nuper à pontificibus Rom. Auspiciis enim Innocentii tertii, centum hominum millia in vna Gallia ob fidei causam perierunt. In bello Bohemico, quod pontificum Rom. & sacrificorum clamoribus excitatum est, maximam cladem & Bohemia, & vicinae regiones [illegible]ssae sunt. sed haec vetustiora videri possunt. Temporibus Marianis, regnum Angliae pontificum rabies grauiter afflixit. Paulo tertio authore, excitatum est bellum Germanicum aduersus fideles, quod multarum calamitatum origo erat. Bellorum incendiis, quae Antichristi ministri excitarunt, Belgii magna pars ad vastitatem redacta est. nusquam autem magis saeuitum est, quàm in Gallia, vbi nec numerus eorum, qui propter fidei confessionem caesi sunt, iniri potest. In Hispania, Italia, & aliis regionibus, vbi Aegyptiacae adhuc regnant tenebrae, partim carcerum squalore, & taedio, partim suppliciorum acerbitate multi absumpti sunt. neque huius persequutionis vllum adhuc exitum, aut modum videre possumus.

At à piis pastoribus non solent tales motus excitari. non solent enim illi in greges suos saeuire; nec delectat ecclesiam Christi tam inaudita saeuitia & crudelitas. mitis enim est vt columba, & pia velut omnium fidelium communis & indulgentissima mater. *Non nocebunt, neque occident in vniuerso sancto monte meo,* inquit Deus per [2] prophetam. Imò tantum absunt à saeuitia fideles, vt etiam saeuissimi tyranni, postquam in ecclesiae gremium recepti sunt, pristinam suam saeuitiam & feritatem deponant. In ecclesia enim, vt ait [3] propheta, *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hoedo accubabit.* Inter fructus spiritus quibus maximè abundat ecclesia, *mansuetudo* [4] numeratur; quia fideles ex feris mansueti fiunt. Certum est ergo pontificem

[2] *Isai.* 45.
[3] *Isai* 11.
[4] *Gal.* 5.

cem Rom. qui aduersus fideles tanta rabie desæuiit, non pastorem esse, aut seruum Christi, sed ipsum Antichristum, qui nobis tot mala conflauit.

Tempus etiam conuenit. nam inter Constantini tempora & Innocentium tertium, in quo satanas primùm solutus est, & in cuius crudelitate satanæ rabies primùm aduersus pios se ostendit, mille fere anni intercesserunt. Huic olim rex Galliæ; Paulo 3. Carolus quintus; Sixto quinto Philippus Hispaniæ rex; aliisque pontificibus alii principes potestatem suam ad diuexandam Dei ecclesiam dederunt. hoc vnum certè moliuntur illi, vt aduersus agnum & ecclesiam agni numerosos cogant exercitus. Quare, nisi ostendere possit Bellarm. aliquem alium quàm pontificem Rom. has persequutiones aduersus ecclesiam excitasse; manifestò ille tenetur, nec euadere potest, quin ipse ab omnibus orthodoxis pro Antichristo habeatur, & ita esse verè iudicetur.

Decimum quartum argumentum, quia Antichristus conscientiam laqueis suis obligabit.

Cap. XIV.

Antichristus etiam conscientiis iugum imponere, & in interiore hominum mente, siue in conscientia sedere tentabit. *Sedebit in templo Dei,* inquit [1] Apostolus. At nihil verius dicitur templum Dei, quàm mens hominis. idcirco enim ecclesia dicitur templum Dei, quia in mentibus fidelium Deus regnat. Hoc etiam Apostolus confirmat. *An nescitis,* inquit [2] ille, *quod templum estis Dei?* Atque hanc expositionem sequitur Ambrosius. *Abominatio desolationis,* inquit [3] ille, *execrabilis aduentus Antichristi est, eò quod sacrilegiis infaustis mentium interiora contaminet sedens iuxta historiam in templo, vt sibi diuina vindicet solium potestatis.*

1 2. Thess. 2.
2 1. Cor. 3.
3 Lib. 10. in c. 21. Lucæ.

Similiter pontifex Rom. dum se peccata sui vicariatus potestate dimittere, & conscientias hominum suis legibus ad peccatum mortale obligare, & purgatorii pœnas relaxare posse iactat; Diuinæ potestatis solium sibi vendicat, & regnum maius quàm huma-

hum sibi arrogat. Imò non tantùm potestatem Diuinam; sed etiam nomen Dei, eiusque attributa sibi sumit, vt superiùs dictum est. quid autem hóc est aliud, quàm apertè se Antichristum ostendere?.

Decimum quintum argumentum, à negotiatione Antichristi, CAP. XV.

PRæter Antichristum autem & eius pseudoprophetas, nullus de Christianis negotiabitur; nec animas hominum inter merces venales reputabit. At hoc ipsi
[1] 2. Pet. 2. facient. *In auaritia* inquit [1] Petrus, *fictis verbis de vobis*
[2] Apoc. 18. *negotiabuntur.* In Babylone etiam, vt ait [2] Ioannes, *animæ hominum* tanquam merces exponentur venales. Similiter pontifex Rom. pro pecunia peccata, impunitatem peccati, pœnas animarum vendit, & ex ea re quæstum vberem facit. Syluester etiam secundus ex pacto animã suã diabolo vendidit pro Papatu. sed & hoc multi ex eis homines miserrimi faciunt. Missis deniq; suis & indulgentiis, quas magna pecunia vendit, iactat se animas ex purgatorii pœnis liberare posse. quod nihil est aliud, quam de animab. hominum negotiari. Fictis etiam sermonibus solent pontifices Rom. has suas [illegible]las [illegible]es emptoribus obtrudere. missas enim suas, & indulgentias, & omnem potestatem suam Papalem, & clauium virtutem omni verborũ lenocinio exornant, multaque suis promittunt, vt in foro mercatorio venditores solent. *Periuros, falsidicos, & quosuis sceleratos authoritate pontificis se absoluere posse* [3] *dixere olim* pontificum Rom. ap[illegible] Anglos legati. Ipsi etiam [4] dicunt se *tantam habere* [illegible]*statem in purgatorio, vt possint, quas animas velint, ind*[illegible]*berare, & in beatorum sedibus collocare.* Asserunt denique se defunctos pro sanctis canonizare posse; atque ex hoc capite maximum lucrum adipiscuntur. At nihil hoc aliud est, quàm de animabus hominum fictis sermonibus negotiari, & se mercatores Babylonios & Antichristos esse docere.

[3] Matth. Paris in Henr. 3.
[4] In bulla Clement. 6. & Antonin. part. 3. tit. 22. c. 6.

Decimum

Decimum sextum argumentum, ab imagine & figura bestiæ ascendentis è terra, Apocalyps. 13.

CAP. XVI.

ET *vidi aliam bestiam,* inquit [1] Ioannes, *ascendentem è terra, & habebat cornua duo similia agni.* habebit ergo Antichristus obscuram originem, & enascetur velut fungus è terra subitò, & terrena sapiet, & habebit cornua agno similia. *Erit,* inquit *Primasius, similis agno, sed loquetur vt draco.* Quid autem pontifex Romanus? nonne ipse subito ex terra ascendit? certè. nam non ex calo, sed ab hominibus omnis est ipsius potestas, [2] quâ reges deponit, & regna sursum deorsum vertit, & vt inquit Hostiensis, *mutat quadrata rotundis.*

[1] *Apoc. 13.*

[2] *Dictata Gregorii 7.*

Agni præterea humilitatem præ se fert, & se dicit verbis, Seruum seruorum, & piscatoris successorem; idem tamen loquitur vt draco. omnes enim contra eius rem venientes anathemate percutit, principes deponit, bella ciet, cælum terræ miscet voce sua draconina. Neq; tantùm loquitur vt draco; sed etiã vt draco aduersus pios fideles bellum internecinũ gerit, agnorumque Christi sanguinem exugit, eosque & viuos & mortuos persequitur.

Potestatem denique agni sibi vendicat, & se velut agni vicarium peccata remittere, & leges condere, & ecclesiam vniuersam regere posse iactat: adeo vt omnes in eo bestiæ huius è terra ascendentis figuram videre possint.

Decimum septimum argumentum, ab imagine bestiæ prioris, Apocal. 13. CAP. XVII.

REferet, vt dictum est, Antichristus, & imitabitur agnum, sed voce draconem, & violentia & velocitate pardum: hoc est, similis erit bestiæ illi, quæ figura erat imperii Romani *Faciet,* inquit [3] Ioannes, *omnẽ potestatem prioris bestiæ, & faciet terram & inhabitantes in ea adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis.* & postea: *& datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ.* Quod autem per par-

[3] *Apoc. 13.*

dum intelligatur Romanum imperium, iam antea ex Aretha ostendimus. Idem etiam argumentis confirmauimus. & sanè Spiritus sanctus satis hac in re explicat sententiam suam. non enim aliud imperium designauit, quàm cui *data est potestas in omnem tribum, populum, & linguam*: quod sanè tunc Romanum erat, & præterea nullum.

Superest ergo, vt inuestigemus, quis ille sit, quem Spiritus sanctus per secundam bestiam, quæ figura est Antichristi, designarit. illo enim intellecto, nihil supererit in tota hac cōtrouersia obscuritatis. Nos pontificem Rom. apertè designari dicimus. neque enim præter istum aliquis accepit potestatem superioris bestiæ. Ille apertè dicit temporale Romæ dominium ad se pertinere. ille omnia Romæ facit, sicut antiqui imperatores Romani. ille super omnem tribum, populum, & linguam potestatem sibi arrogat. ille fecit vt omnis terra, & inhabitantes in ea Romam iterum instauratam adorarint. ipse plagam mortis eius curauit; hoc est, Romam quæ ab imperatoribus deserta, & à barbaris capta plagam accepit lethalem, arce religionis ibi constituta, restituit. ipse denique effecit, vt noua Roma, quæ est imago prioris imperii, pristinam dignitatem quodammodo recuperarit, & iterum mandatis inde in vniuersum orbem datis loqui cœperit: quod & scriptores etiam pontificii fatentur. [2] Theodoricus à Niem nihil nunc antiqui imperii superesse ostendit, præter imaginem & nudum nomen: nam neque in Alemannia, nec in Italia nunc imperatores quicquam habere. *Nunc principes orbis terrarum*, inquit [3] Blondus, *dictatorem perpetuum non Cæsaris, sed piscatoris Petri successorem, & imperatoris prædicti vicarium pontificem summum adorant, & colunt.* Quis autem dubitet, an pontifex Rom. imperii Rom. speciem retinuerit, & vitam imagini imperii dederit, cùm illud & res loquatur, & Blondus toto illo crasso volumine probet? vndè etiam ei titulum præfixit *Roma instaurata.* Quod si ergo Romanum imperium per primam bestiam, & pontificatus Rom. per secundam designetur; necesse est ipsum Antichristum esse, omnes enim

[2] *Lib. 3. de schis. c. 43.*

[3] *Roma instaurata. lib. 3.*

fere

fere consentiunt interpretes, in secunda bestia Apocalyps. 13. Antichristū figurari: & ipse Bellar. nō negat.

Decimum octauum argumētum, à religionis, quā introducet Antichristus, nouitate, CAP. XVIII.

NOuum etiam nobis præbet aduersus pontificem Rom. argumētum Danielis prophetia. ipse enim vel Antichristum, vel saltem Antiochum Epiphanem, qui figura erat Antichristi, dicit Deum patrū suorum non curaturum, sed alios nouos deos nouo modo culturum. *Deum patrum suorum*, vt est apud [1] Danielē, *non reputabit*. Itemq; *Deum quē ignorarunt patres eius colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis.* Quid autē pontifex Rom. nonne à Deo patrū suorum discessit? certè. primi enim episcopi Rom. vnū Deum coluerunt, & vnum inter Deum & homines mediatorem Iesum Christum. Iste autem tot habet mediatores & deos, quot sanctos: imò quot Dei imagines. has enim eodem cultu quo ipsum Deum immortalem veneratur. neque causa est, quòd se per distinctionem tanquam per angiportum euasurum speret. omnes enim apertam pontificis Rom. idololatriam vident: & ex aduersariis nonnulli, leges recentiores ab antiquis moribus ecclesiæ multum discrepare fatentur *Ecclesiæ Romanæ statum prorsus ab antiquis moribus defecisse* dicit [2] Guicciardinus. Animaduertit etiam Machiauellus, licèt non multum religionem curaret, *miracula noua pugnare cum antiqua religione.* & hoc ille in [3] historia Florentina, quam Clementi septimo dicauit, scribere nō dubitauit. [4] Wernerus ab anno Domini millesimo religionem Christianam *valdè labefactatam fuisse* dicit. Ioannes etiam *Picus Mirandula* in oratione ad Leonem decimum, queritur *pietatem in superstitionem procubuisse, & apud religionis primores aut nullum, aut exiguum esse Dei cultum.*

Sed quid opus est testibus in re tam clara? quid enim habent posteriores pontifices, vnde se vel *Petro*, vel primis episcopis Rom. successisse probent? non docēt, non pascunt, non curant gregem, quod primi & prisci episcopi fecerunt. at contrà, bella gerunt, incendia ex-

[1] *Dan. c. 11.*

[2] *Lib. hist. 2.* le cose della chiesa allontanatesi totalmente dalli antichi costumi.

[3] *Lib. 1.*

[4] *In fascic. tempor.*

citant, principes de regno deturbant, quod primi illi nunquam faciendum cogitarunt. Illi fidem propagarunt: isti fidem Christi ne pili quidem faciũt. [1] Gregorius 7. sacramentum in ignem coniecit. Sixtus 4. eleuationem sacramenti pro tessera dans coniuratis, in medio templo Mediceos obtruncari [2] iussit. hostia toxico illita monachus ex consilio pontificis interfecit Henricum Lucemburgens. imperatorem. Victor pontifex Rom. in calice sacro venenum hausit: quod satis indicat, non omne quod in calice fuit, in sanguinem fuisse conuersum. [3] *Ioannes* 23. animæ immortalitatem non credidit. *Alexander* 6, *Iulius* 2, *Leo* 10. *Clemens* 7, *Paulus* 3, & reliqui aliquot pontifices vix principia religionis Christianæ credidisse videntur.

[1] *Beno cardinal. Volaterranus.*
[2] *Geograph. lib. 5. & Politianus de coniurat. Pactiana.*
[3] *In appẽdic. ad concil. Constant.*

Contra verò nouas multas religiones & regulas confinxerunt, easque partim sub nomine Benedicti, partim sub nomine Dominici & Francisci, aliorumq; monachorum ediderunt. noua etiam nuper edidere missalia & breuiaria. Præterea, contra priscam ecclesiæ disciplinam, idolum missæ & angelos, & homines defunctos, & statuas, & imagines, Diuinis honoribus, aut saltem nouis cultibus prosequuntur. [4] Bellarm. ex eorum sententia *sanctos votis colendos, & ad eos preces dirigendas, & aras & templa eis dicanda* esse docet.

[4] *De sanct. beat. lib. 1. c. 7.*

Sacramentum denique altaris, & reliquias defunctorum, & imagines, & vestes sacerdotales auro & argento & lapidibus pretiosis ornant & colunt. ipsorumque delubra vbique auro & argento fulgent. Ex vno Thomæ Becketti monumento exciso, multa aureorum millia conflata sunt. magnæ etiam opes in huiusmodi sepulchris & in luminibus interdiu accensis vbique apud istos consumptæ sunt. quæ omnia satis ostendunt pontificem Rom. neglecta Christiana religione nouas sectari superstitiones, multoque auro & multis gemmis & lapidibus pretiosis sua colere idola: quod propheta Antichristum facturum prædicit.

Decimum

Decimumnonum argumentum ab impietate, & spurcis moribus Antichristi, Cap. XIX.

MOribus verò & omni genere impietatis pôtifex Rom. ita Antichristum expressit, vt nisi scripturis fidem abrogare velint aduersarii, non possint negare ipsum esse Antichristum. Veniet quidem in nomine Christi, vt [1] Christus prædicit, & tamen vt apostolus Petrus dicit, *Dominum [2] abnegabit, & sectas perditionis introducet, & luxui & voluptati corporis vacabit.* [3] Iudas dicit quod *dominationem spernet, & maiestatem blasphemabit, & ambulabit secundum desideria sua, & os eius loquetur superbiam.* Apostolus [4] Paulus, pseudoprophetarum & falsorum doctorum mores depingens, ostendit, quod *habebunt speciem pietatis, & virtutem eius abnegabunt:* [5] item, quod *doctrinas dæmoniorum proponent, prohibentes nubere, & vesci cibis quos Deus creauit.* Quæ omnia, licèt Christus & Apostoli omnibus pseudoprophetis & falsis apostolis communiter tribuant; in Antichristo tamen velut omnium hæreticorum & falsorum doctorum coryphæo & càpite præcipuè eminebunt. ipsius enim impietas & improbitas, velut cæterorum omnium magistri, singularis erit.

1 Matth. 24.
2 2 Petr. 2.
3 Epist. Iud.
4 2. Tim. 3.
5 1. Tim. 3.

Retexamus nunc ergo omnia ista, & videamus an ea pontifici Rom. conueniant. Nobis sanè optimè quadrare videntur, adeo vt nec lac lacti similius sit quàm pontifex Rom. Antichristo. Venit enim Christi nomine, & se Christi vicarium appellat. *Christi nomine ipsum leges condere* dicit Bellar. disputator pulchellus, & bellus. negat tamen Christum, idque vel apertè. vt Syluester secundus, qui *diabolo [6] fecit homagium*, & Ioannes duodecimus, qui *diabolum [7] inuocauit in alea*, & Gregorius 7. & Paulus tertius, & alii pontifices magiæ & necromantiæ dediti; vel factis, & corde suo, dicens quod non est Deus: & hæc maxima est ratio. nam ex historiis constat plurimos pontifices fuisse nequissimos, & planè impios & prophanos.

6 Wernerus in fascic. tempor.
7 Luitpränd.

Sectas adeo multas introduxerunt, vt complures Gregorius decimus in concilio Lugdunensi amputare

coactus sit. Preterea, multas & veteres & nouas sectantur hæreses, vt iam antea dictum est.

Quam verò auidè obscœnas voluptates sectentur; ostendunt *Sergii tertii, Landi, Ioannis duodecimi, Benedicti noni, Gregorii sexti & septimi*, *Sixti quarti*, *Alexandri sexti, Leonis decimi, Pauli tertii, Iulii tertii*, & aliorũ multorum pontificum nefandæ libidines. [1] Platina idcircó dicit *eos largitione & ambitione pontificatum quærere; & inimicitias inter se non secus, ac tyrannos exercere, vt voluptates suas securiùs postea expleant. Alexander sextus* & *Paulus tertius* filias suas; plus quam decuit patres, amarunt. *Sixtus* 4. & *Iulius tertius* propter nefandas, & non nominandas turpitudines magna infamia laborarunt. luxu & libidine nullum genus hominum corruptius erat.

[1] *In Sergio.* 3.

Aduersantur etiam magistratibus, & dominationem spernunt. [2] summis enim principibus se magistratum abrogare & eos supplicio afficere posse contendunt. nec [3] pudet eos pedes suos impuros eis præbere osculandos. Collum Friderici Barbarossæ pede calcauit Alexander tertius. Celestinus tertius diadema de capite imperatoris pede deiecit.

[2] *Dictat. Gregorii septimi.*
[3] *Ibidem.*

Iidem maiestatem apertè & impudenter blasphemant. Gregorius 7. aduersus Henricum quartũ; Gregorius 9. aduersus Fridericum secundum libellos disseminarunt famosos. turpissimus ille pædico Paulus tertius contumeliosum scriptum à *Polo* cardinali aduersus Henricum 8. conscribendum curauit. multa deniq; maledicta scurræ illi impudẽtissimi Impius quintus, & Sixtus quintus, & alii pontifices aduersus Elizabetham Angliæ reginã, & alios principes Christianos; & viros pios à variis authoribus & sycophantis pecunia & præmiis emptis & conductis conscribi mandarunt. Ipsi etiã pontifices Rom. virus animorũ suorum ex cathedris suis plenis faucibus euomuerunt.

Ambulant etiam *secundùm desideria sua* pontifices Rom. Manes Benedicti 9. cuidam post mortem, vt [4] aiunt, in horrenda apparuerunt figura. Interrogatus autem ille quid illa imago præ se ferret, respõdit, *quia sine lege & ratione vixisset*, hoc sibi contigisse. hoc & de reliquis

[4] *Platin. in Benedict.* 9.

reliquis affirmari potest: non mirum ergo si canonistę [1] *voluntatem pontificis pro ratione esse* dicant.

[1] *In gloss. in c. quanto. de translat. episcop.*

Superbè præterea loquuntur, & omnes mortales præ se despiciunt. *se enim posse regna transferre*, & imperatores deponere dicunt. imò se velut Deos efferunt, & à nullo iudicari posse contendunt.

Magnam pietatis speciem præ se ferunt, & à suis sanctissimi & beatissimi salutantur. Sed si internam mentem, & totam vitam consideres, nihil reperies impurius, aut sceleratius. nos enim iam ostendimus pontificem Rom. rectè dici *hominem peccati*.

[2] Syricius nuptias vocat pollutiones, omnesq; pontifices eas sacerdotibus & monachis interdicunt. nubentes verò eos anathemate percellunt, & ab vxorib. diuellunt. carnes denique secundùm regulas monachorum multis vetant, & ieiunia sua nulla alia re ferè, quàm carnium abstinentia metiuntur. interim verò carnis sectantur desideria, & se homines esse carnales ostendunt. Ex quibus facilè videre licet, in istis Antichristum regnare, & apertè se ostendere, & Papas, regnumque Papale, esse ipsum Antichristum de quo loquitur Paulus.

[2] *In epist. ad Himericum.*

Argumentum vicesimum, quia pontifex Romanus negat Iesum, CAP. XX.

OMnis spiritus, inquit [3] Ioannes, *qui soluit Iesum*, vel, vt in Græcis codicibus rectiùs habetur, *qui non fatetur Christum in carne venisse, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* neque enim vlla re maior cum Christo repugnantia ostenditur, quàm abnegando Christum in mundum ad genus humanum redimendum venisse. Hoc autem pontifex Rom. variis suæ hæresis capitibus effecisse videtur. ipse enim Christi officium propheticum, sacerdotale, & regium cum aliis communicauit, & solum Christum nostrum esse prophetam, sacerdotem, & regem negat.

[3] *1. Ioan. 4.*

Et de prophetico quidem Christi officio nos verum dicere multa probant. Primò enim nouas suas traditiones pari effectu cum verbo Dei scripto recipiendas esse decernit. Deinde, noua fidei dogmata de fide &

sacramentis, de limbo & purgatorio, & huiusmodi aliis rebus edit. Tertiò, suas epistolas decretales de fide necessariò esse recipiendas docet: se enim in fidei decretis errare non posse. Postremò, vocem suam non minùs quam prophetarum, Diuinam esse iactat. imò in synagoga Romana, abiecta Christi doctrina, eius decreta de inuocatione & cultu angelorum & hominum mortuorum, de crucis & imaginis sanctæ trinitatis adoratione, de communione sub vna specie, de missa, de meritis operum, de sacramentis cõfirmationis, ordinis, matrimonii, pœnitentiæ, & extremæ vnctionis, de cœlibatu, & ciborum prohibitione recepta sunt; & multò magis capitale est aduersus prophetiam põtificis, quàm aduersus Christi prophetiam verbum proloqui.

Sacerdotium etiam nouum introduxit. nam & sacerdotes nouos, & noua altaria, & nouas victimas instituit. adeoq; apud illum sordet Christi mediatio, vt crebriùs diua virgo, & alii sancti, quàm Christus inuocetur. seipsum etiam, & non tantùm sanctos, remittere posse peccata credit.

Se deniq; regem esse *& spõsum ecclesiæ iactat: omnemque sibi in cælo & terra potestatem datam* [1] prædicat. suum & Christi consistorium vnum esse dicit. extendit etiam vsque in purgatorium regni sui fines. leges suas conscientias obligare putat, & quæcunque Christi propria sunt, ea sibi audacter sumit: quæ planè docent ipsam Christi regnum in vniuersam ecclesiam inuasisse. Præterea, mysterium Christi incarnationis tollit. ita enim Christi nobis profuit incarnatio, si nostram carnem assumpsit. at ille existimat eum huiusmodi carnem assumpsisse, quæ nec videri, nec tangi potest, & in mille, imò in infinitis locis simul esse pōtest: quod nihil aliud est, quàm Christi incarnationem tollere & negare.

[1] *Lib. cærem. 7.*

Postremò, aliis duobus modis Christum negat. nam aut Christianæ religion[illegible]ia non credit, atque ita impius est, & vt impiu[illegible] de suo non credit esse Deum; aut licèt verbis & ore eum confiteatur, factis tamen Deum negat. Primo modo Ioannes 23. & Ale-

xander sextus, & Leo decimus, & multi alii Christum negarunt: nam primus [1] animæ non credidit immortalitatem. secundus planè atheos erat. *Humana iura,* inquit Sanazarius, *nec minus cælestia,* — [1] *In append. ad concil. Constant.*

ipsosque sustulit Deos.

Leo verò decimus Bembo Cardinali aliquid ei de Christo narranti; *quid,* [2] inquit, *mihi narras fabulam de Christo?* idem cum magnum ex indulgentiis suis prouentum vidisset: *ô quam multum,* inquit, *nobis profuit hæc fabula de Christo!* — [2] *Speculum pontificum.*

In Sixtum quartum hoc est conscriptum distichon:

Riserat vt viuens cælestia numina Sixtus;
Sic moriens nullos credidit esse Deos.

De religione sanè non aliter, quam de nugis existimant.

Pontifices, inquit Palingenius in Capricorno, *nunc bella iuuant: sunt cætera nugæ:*
Nec præcepta patrum, nec Christi dogmata curant.

Atque hoc modo multi pontifices Christum abnegarunt: factis autem reliqui ferè omnes. quis enim eorum ita viuit, vt Deum esse videatur credere? num illi Deum esse credunt, qui tot hominum millia seditionibus & bellis occidunt? qui per sicarios & venena viros optimos tollunt? qui aliena rapiunt? qui omni turpitudine se polluunt? qui nec fas, nec ius curant? At tales sunt horum temporum pontifices, vt res ipsa docet. In Clemētem septimum hoc scriptum est carmen:

Contemptor Diuûm, scelerum vir, publicus hostis,
Perfidus, ingratus, raptor, iniquus, atrox.

At in reliquos multò diriora scribi meruerunt. atque hæc vera esse Roma nouit, licèt pontifices scelera sua, quantum possunt, nunc occultent. *quisquis autem factis negat Christum, is,* inquit [3] Augustinus, *Antichristus est:* & ille maximè, qui suis fœdis factis, & sententiis impiissimis se Christum abnegasse demonstrat maximè. — [3] *Tractat. 3. in epist. Ioan.*

Argumentum vicesimum primum à signis & prodigiis Antichristi, CAP. XXI.

1 2. Thess. 2. ANtichristi aduentus, vt inquit [1] Apostolus, erit *secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.* Narrat etiam Ioannes secundam bestiam Apocal. 13. quam sæpe admonuimus figuram esse Antichristi, *seducturam esse habitantes in terra propter signa, quæ factura est,* quæ proculdubio falsa erunt, & ementita. nam pseudoprophetas Petrus *magistros esse mendaces* [2] ostendit. & certum est, cum vera non possit edere signa, per præstigias tamen suas eum populum decepturum. *In Antichristo*, inquit [3] Hieronymus, *omnes erunt fortitudines, & signa, & prodigia, sed vniuersa mendacia.*

2 2. Petr. 2.

3 Ad Algasiā. quæst. 11.

Similiter etiam pontifex Romanus venit secundum operationem satanæ. armis enim imperatores fregit, mendaciisq; & signis commentitiis populum decepit. Hinc vulgò credita trāsubstantiatio, & purgatorium, & alia dogmata religionis pontificiæ recepta sunt. ex istis falsis miraculis sancti à pontifice canonizati ad gloriam maximam peruenerunt. sed pleraque adeo ridicula sunt, vt omnes vel mendacia, vel præstigias fuisse intelligant. Sanctus Aidus, vt est apud Ioannem [4] Capgraue, *octo agnos à lupis deuoratos, vitæ & integritati restituit* idem *super mare siccis pedibus, vt aiunt, ambulauit.* [5] Cuthbertus *merulam occisam vitæ restituisse dicitur* eiusdem liber qui in mare excidit, à vitulo marino ad ipsum relatus est. vt dicit Ioannes [6] Capgraue. Idem etiam narrat, *mulierem quandam, quæ Cuthbertum stupri accusauit, à terra fuisse absorptam.* [7] Scribit etiam *Answidam trabem nimis breuem oratione sua longiorem fecisse,* & [8] Dunstanum *virgis diabolum grauiter castigasse.* huiusmodi miraculis, seu potiùs mēdaciis legendæ sanctorum refertissimæ sunt. *Nostri fabulatores*, inquit, [9] Laurentius Valla, *inducunt idola loquētia, quod ipsi gētiles & idolorū cultores non dicunt, & sincerius negāt, quā Christiani affirmāt.* Germani etiā olim animaduerterūt, *has* [1] *legēdas similes esse gētilium fabulis.* Dā-

4 In S. Aido.

5 Io. Capgr. in Cuthbert.

6 Ibidem.

7 In Eansuvida.

8 In Dunstano.

9 Cōtra donat. Constāt.

1 Grauam.

tes Florentinus suo etiam tempore significat monachos huiusmodi fabulis populum pascere solitos.

Non ha in firenza,[8] inquit,*tanti Lapi & Bindi,* — [8] *Canto. 29.*
Quante si fatte fauole per anno
In pergamo si gridan quinci & quindi.
Si che le pecorelle,che non sanno,
Tornan del pasco pasciute del vento.

Ex commentitijs etiam *Constantini,Pipini*, & Ludouici pii donationibus pontifex Rom. ius suum in regno Romæ & Italiæ confirmat. mendaciis & sycophantiis & imperatores olim, & nunc viros optimos & sanctissimos in odium & inuidiam inducit.*Falsi tum propheta*, [9] inquit Sigisbertus de temporibus Gregorii 7.verba faciens,*falsi apostoli ,falsi sacerdotes emersere, qui simulata religione populum deceperunt, magna signa & prodigia ediderunt.* Narrat [10] *Beno* cardinalis Gregorium *scripturas sacras violēter intorsisse in adiutorium falsitatis.* Cum ergo non alio magis fundamento nitatur pontificis regnum & religio , quàm miraculis falsis,& mendaciis, & calumniis; in eius sede certum est Antichristum regnare.

[9] *Auentinus lib.* 4.*annal.* & *Sigisbert. in chron.*

[10] *In vita Gregorii septimi.*

Argumentum vicesimum secundum à Nomine,& Charactere Antichristi, CAP. XXII.

QVid nomen Antichristi & character eius significet , multa comminiscuntur aduersarii : nempe vt nebula ob oculos Christianorū obiecta mysterium Antichristi ipsos lateat. Sed siue per hæc duo vnum aliquid designetur,siue plura; & siue per nomen & numerum nominis intelligamus tempus aduentus Antichristi , siue per literas numerales nominis designationem; omnia hæc contra pontificem Rom.faciunt. [1] Irenæus existimat nomen Antichristi futurum aut, *Lateinos*,quia literæ huius vocabuli numerum 666.cuius mentio fit Apocal.13.conficiunt: aut τειτὰν,qui solem significat,& eundem numerum continet. *Ecclesia* etiam *Italica* Græcè, & verbum Romiith Hebraicè eundem numerū conficit. Pontifex autem Romanus Romæ & in Latio regnat, eique ecclesia Italica adhæret. Idem etiam linguam Latinam in celebratione di-

[1] *Lib.*5. *cōtr. hæres.*

uinorum officiorum vbique seruari mandat, & Latinam versionem Bibliorum originalibus [2] codicibus præponit. *Postremò*, se soli in firmamento, & imperatorem lunæ comparat: vt planè se Antichristum esse demonstret, cuius nomen est λατεῖνος, τειτὰν, & Romiith: cuiq; adhæret ἐκκλησία ἰταλικὴ, & Italorum gens propè omnis.

2 c. solita. de maior. & obed.

Si autem per numerum nominis intelligamus tempus aduentus Antichristi, hoc etiam pontifici Rom. aptè conuenit. is enim circa annum Domini 666. vires & dignitatem acquisiuit, & vniuersalis ecclesiæ episcopus, tum primò dici cœpit. eo etiam tempore Romana ecclesia omnium ecclesiarum caput primùm dicta est.

Quod si autem per nomē nihil aliud intelligamus, quàm characterem, hoc est, *determinatum modum viuendi secundùm legem Antichristi*, vt existimat [3] Nicolaus de Lyra: tamen & hoc satis ostendet nobis Antichristum. nam quod dicit Ioannes, *Antichristum suis omnibus characterem quēdam daturum, & neminem passurum emere vel vendere, nisi qui hunc habet characterem:* hoc in pontifice Rom. impletum videmus. ipse enim certas dat suis leges, & cæremonias, nec quēquam patitur emere vel vendere, nisi qui ex charactere illo ad pontificem pertinere dignoscitur. *in dextera manu suis characterem* [4] *imprimit, vt per operationem; in fronte, vt per apertam confessionem* omnes eos ad regnum Antichristi pertinere intelligant.

3 In Apocal. c. 13.
4 Lyra in apoc. 13.

Quicunque autem aliter de sacramentis sentiunt, quàm pontifex Romanus; eos *hæreticos esse* [5] *decernit*, & consortio & communione [6] priuat. Imò nō eos solùm, sed omnes cum eis communicantes. præterea & viuos & mortuos [7] persequitur. excommunicatis autem omnia vitæ subsidia [8] subtrahit. canonistę eorum contractus irritos esse [9] pronūtiant. Martinus Quintus eos, *qui Romanam sedem non agnoscerent, nec domicilia tenere, nec larem fouere, nec contractus inire, nec negotiationes & mercantias exercere, nec humanitatis solatia cum Christianis habere debere* [1] *decernit.* Paulus tertius, postquam Henricus VIII. Angliæ rex fortissimus,

5 c. ad abolēdam. de hæreticis.
6 Ibidem.
7 c. sicut. ibidem.
8 c. nulli. de sentent. excom.
9 Summa Angel. excōmunicatio. § 7.
1 In Bulla eius ad inquisit.

ipsius

ipsius iugum excussisset, magna rabie exardescens, *cunctis* [2] *interdicit ne cum ipso, aut eius subditis commercium in mercatura, aut reliqua vita communionem habeant, omnesq; cum illis contractus factos, aut faciendos irritos facit.* principes autem aduersus se rebellantes pontifex Rom excommunicat, & regno priuat, & posteros hæreditatis paternæ incapaces esse pronuntiat. Hoc ergo metu territi & principes & populi certatim bestiam adorant, & eius characterem & leges recipiunt. principes ipsi fidelitatem [1] iurant, episcopi se eius [2] constituunt mancipia. qui gradum aliquem honoris & dignitatis in Academiis suscipiunt, singulos articulos pontificiæ superstitionis profitentur. sacrifici vnguntur, & initiantur more pontificio. totus denique populus ea omnia credere & amplecti se profitetur, quæ pontifex Rom. & ecclesia Rom. tenet & docet. Ex altè ergo impresso charactere omnes orthodoxi intelligere possunt omnes istos, qui ad factionem pontificis Romani pertinent, etiam ad Antichristum pertinere.

[2] *In excom. Pauli tertii, in Bullario, & apud Sanderum de schis. lib. 1.*

[1] *c. Romani. Clement. de iureiurando.*

[2] *c. ego N. de iureiurando.*

Argumentum vicesimum tertium ab origine, progressu, comitatu, & interitu Antichristi & comitum ipsius, Cap. XXIII.

De origine Antichristi iam antea diximus. *Et vidi,* inquit [3] Ioannes, *aliam bestiam ascendentem de terra.* potestatem autem accepit à regibus. *Deus,* vt est apud [4] Ioannem, *dedit in corda eorum, vt faciant quod placitum est illi, vt dent regnum suum bestiæ,* hoc est, Antichristo. Regnum autem hoc Antichristi paulatim extructum est, & sic tandem in magnam molem excreuit. *Mysterium iniquitatis,* [5] inquit Apostolus, *iam operatur.* comites autem habebit pseudoprophetas, qui erunt eius etiam ministri. *Vidi,* inquit [6] Ioannes *de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modum ranarum. sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium.* Vbi nota pseudoprophetam esse comitem bestiæ, id est, Antichristi; & ab illis ranas istas aduersus veritatem obstrepentes

[3] *Apoc. 13.*

[4] *Apoc. 17.*

[5] *2. Thess. 2.*

[6] *Apoc. 16.*

exire. *Maligni spiritus erunt duces eius*, inquit author tractatus de Antichristo apud Augustinum, *& comites indiuisi.* Dicit etiam eos, *inspirante Diabolo, in omni iniquitate, & falsitate, & nefaria arte homines edocturos.* Tandem verò ex verbi prædicatione gloriosum illud Antichristi regnum euertetur. *eum enim Dominus Iesus interficiet spiritu oris eius*, vt ait [7] Apostolus. Hoc etiam [8] Hieronymus futurum significat, vbi dicit *veritatem Christi mendacium Antichristi deuoraturum.* illi denique qui *adorabunt bestiam aut imaginē eius, aut eius characterē in fronte accipient, aut in manu sua; illi bibēt de vino iræ Dei, quod mixtum est mero, in calice iræ ipsius.* neque enim perpetuum erit eorum gaudium; nec in finem durabit aut luctus piorum, aut grauis hæc ecclesiæ afflictio.

[7] 2. Thess. 2.

[8] *Ad Algasiam epist.* 151. q. 11.

Atque hæc omnia Apostoli, & sancti Dei viri in figura viderunt, in pontifice autem veritas eorum completa est. Regnum enim ipsius terrenum est: & ipse à regibus, vt antè dictum est, potestatem accepit. partim enim à *Phoca*, partim à *Francorum* regibus auctus opibus & priuilegiis decoratus caput suum attollere cœpit. Non autem vniuersum simul se profudit hoc mysterium, sed paulatim operari cœpit. neque enim statim à vera doctrina defecerunt mortales; nec simul Papistæ omnes hæreses, quas nunc defendunt, amplexi sunt. Victor primus in alias ecclesias potestatem exercere cœpit. huius exemplum Zozimus, Bonifaciu- & Celestinus imitati, iurisdictionem sibi super ecclesias Africanas arrogarunt. [9] Communionem sub vna specie à *Manichæis*, leges ieiuniorum à Montanistis acceperunt. Cœlibatum lege primus sacerdotibus indixit [1] Syricius. Gregorius 7. aliique pontifices illud vi perfecerunt. Imaginum & statuarum adorationem Synodus Nicena secunda introduxit; transubstantiationem Innocentius tertius; concomitantiam Thomas Aquinas; aliaque dogmata alii stabilierunt, donec tandem extructum esset illud Antichristi regnum, quod patres nostri viderūt: nos vergere ad interitum speramus.

[9] *Leo serm. de quadragesima.*

[1] *c. proposuisti. dist.* 82.

Magnum autem adiumentum attulere huic regno

exædi-

exædificando *primò* monachi, deinde *Dominico* & *Francisco* ducibus exorti fratereuli. isti enim suis mendaciis, & sycophantiis, & dogmata pontificis confirmarunt, & soli ferè nunc aduersus veritatem obstrepunt: homines sanè ranis palustribus loquaciores. De istis ergo rectè [2] Petrus de Alliaco: *Ecclesiam nunc*, inquit, *quidam baritatores destruxerunt, quam primitiui Theologi ædificarunt.* isti *sunt sacerdotes Priapi, & Dagon*, vt inquit [3] Holcot, præcipui Satanæ in ædificando Antichristi regno ministri. isti libros edunt plenos calumniarum. isti in cathedris pro Christi veritate docent Antichristi mendacium. isti ad regum perniciem regna clàm ingrediuntur, ad furandum & rapiẽdum. isti seditiones excitant & tumultus. ex istorum numero [4] vnus nuper Henricum tertium Galliæ regem trucidauit. Iebusitarum quidam discipulus ex eorum disciplina cultro iugulum Henrici quarti petiit. isti [5] sicarios & assassinos & veneficos ad principes iugulandos emittunt. isti deniq; reges terræ ad bella contra sanctos gerenda congregarunt, & seditiosis orationibus inflammarunt.

[2] *De reform. eccles.*
[3] *In sapient. lect.* 182.
[4] *Iacobus Clemens Dominicanus.*
[5] *Vt Parrrũ, Lopezium, Someruiliũ apud Anglos.*

Sed Deus istorum scelera non semper passus est impunita. iam enim nutare incipit regnum Antichristi. omnes viri pii istorum hominum deprehenderunt mendacia, sycophantias & dolos. Iebusitæ ex regno Galliæ exclusi sunt. Dissipatæ sunt Hispanorum classes. fusæ sunt vbiq; coniuratorum copiæ. Perierunt ex Antichristi factione nobilissimi duces. nec quicquam iam superest, nisi vt vbique sonet verbum Dei, vt pontifex Rom. quem Antichristum esse constat, cum omni monachorum, & sacrificorum, & magorũ & sicariorum, & veneficorum colluuie funditus eradicetur & intereat.

Vicesimum quartum argumentum ab authoritate patrum ecclesiæ, & aliorum testium fidedignorum.
Cap. XXIV.

Et si omnis de rebus futuris, quas Deus propter suam immensam sapientiam occultas esse voluit, difficilis sit coniectura; *& certius sit, & magis sine peri-*

[1] *Lib. 5. aduers. hæres.*

culo, vt inquit [1] Irenæus, *sustinere adimpletionem prophetiæ*: multa tamen patres de Antichristo, eiusque regno diuinarunt, & scripserunt, vnde intelligere liceat papatum nihil aliud esse, quàm Antichristi regnũ. Irenæus suspicatus est, nomen Antichristi futurum λατεῖνος, aut τειτὰν. nam Latinos tunc regnasse, & vocabulum τειτὰν *continere ostentationem vltionis.* at si apud Latinos regnaturus sit Antichristus, necesse est hoc nomine designari pontificem Roman. quod inde etiam colligitur, quia se *Soli* [2] comparat, vt imperatorem *Lunæ*. sol autem Titan dicitur. Idemq; ad vltionem est paratissimus, odioq; suo aduersus pios longo interuallo crudelissimos ecclesiæ persequutores superauit. Dicit etiam [3] Irenæus *in bestia illa*, seu Antichristo, *recapitulationem futuram vniuersæ iniquitatis, & omnis doli.* quæ autem vnquam extitit bestia pontifice Rom. astutior, aut dolis & sycophantiis instructior? nonne in ipso existit omnium fallaciarum compendiũ, & recapitulatio? iampridem [4] Petrarcha Romã appellauit dolorum & fallaciarum officinam: & hoc nos experientiâ edocti verum esse sentimus. Significat denique Irenæus Antichristum sibi diuinos & regios arrogaturum honores. *Existens apostata & latro,* [5] inquit ille, *quasi Deus vult adorari; & cum sit seruus, regem se vult præconiari.* at præter põtificem Rom. nullus nostra ætate se Deum in terris dici sustinuit; nec quisquam diuinos sibi honores ascribi passus est insolentiùs. Idem etiam non tantùm episcopum, sed etiam regem temporalem se esse iactat, vt supra ostendimus; armorumq; præsidio latrocinia sua & apostasiam defendit.

[2] *c. solitæ de maior. & obed.*

[3] *Vbi supra.*

[4] *Fucina de inganni.*

[5] *Vbi supra.*

Templum esse scripturam exposuit quidam ante nos, inquit [6] Origenes, *& quoniam qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, qui sedet in templo Dei Antichristus falsus est sermo, qui in scripturis habetur, qui simulat veritatem proferens testimonia impiorum dogmatum, de scripturis placari aliunde nolentibus: & ipse est qui aduersatur, & super cathedram scripturarum & super ædificationem earum sedet, ostendens se quasi sit Deus.* At nullus vnquam scripturas detorsit violentiùs, nullus

[6] *In Matth. tractat. 24.*

lus corrupit earum sententiam audaciùs, quàm pontifex Rom. ipse etiam super cathedram scripturarum sedet, & vt ædificationem scripturarum euertat, nouam & falsam proponit doctrinam decretalinam, & scholasticam.

Quisquis Christum, 7 inquit Hilarius, *qualis ab apostolis est prædicatus, negauit, Antichristus est*. at hoc pontifex Rom. planissimè facit. Christum enim vnicum nostrum mediatorem, & vnicum prophetam, & vnicum noui testamenti sacerdotem, & vnicum cōscientiarum nostrarum regem esse negat; quod tamen apostoli prædicarunt, & euangelii doctrina vbertimè demonstrat. 7 *Cōtr. Auxentium.*

Tam sceleratus est pastor, inquit 8 Hieronymus de Antichristo verba faciens, *vt non idolorum cultor, sed ipse idolum nominetur, dum se appellat Deum, & vult ab omnibus adorari*. quis autem per multos iam annos se Deum appellari, & ab omnib. adorari passus est, præter pontificem Romanum? quis se pastorem vocat vniuersalem præter ipsum? quis idola coli sustinet apertiùs, aut impudentiùs? postremò, vt omnia quadrent, Iebusitæ hunc vnum tanquam suum Deum, in quem omnes eorum cogitationes terminantur, colendum, & tanquam ipsum Christum audiendum esse censent. Dicit etiam 9 Hieronymus, *Antichristum omnem religionem suæ potestati subiecturum*. At hoc præter pontificem Rom. nullus facit, ipse autem maximè facit. neque enim scripturas dicit esse authenticas, saltem quoad nos, nisi ipse eas consignarit; & hoc declararit, vt inquit 1 Stapletonus. neque vllas probat scripturæ interpretationes, nisi quas vel ipse ediderit, vel quæ cum ipsius decretalibus non pugnant. Præterea, ipse sibi potestatem sumit & dogmata fidei proponendi, & negotia religionis controuersa summo iure diffiniedi, & determinandi. qua autem re potest quis religionem omnem suæ voluntati subiicere apertiùs? 8 *Lib. 3. comment. in c. 11. Zachariæ.* 9 *In epist. ad Algasiam. q. 11.* 1 *Doctrinal. princip.*

Omnes qui exeunt de ecclesia, inquit 2 Augustinus, *& ab vnitate ecclesiæ præciduntur, Antichristi sunt*. Idem etiam in Antichristorum numerum 3 refert omnes, 2 *Tract. in epist. Ioannis.* 3 *Ibidem.*

qui licèt sint in ecclesia, factis tamen Christum negant. Quis autem dubitat orthodoxus, quin pōtifex Rom. & factis Christum negarit, & veterem Christi deserendo fidem & doctrinam ex ecclesiæ apostolicæ vnitate exierit? fecerunt quidem hoc alii hæretici: sed tot & tam grauia fidei Christianę capita nullus vnquam hęreticus negauit: nullus pręter ipsum hæreticus ecclesiæ vnitatem funditus euertit.

Ambrosius postquam propriè dicendum Antichristū [4] ostendisset, *qui in domo Domini in sede sedet Christi*; eos etiam Antichristos dici posse [5] affirmat, *qui prauanos interpretatione seducunt.* In quam etiam sententiam Hieronymus *tot esse Antichristos dicit, quot sunt falsa dogmata.* Quis ergo non videt, nos tot habere contra pontificem Rom. testimonia, quot falsa dogmata, & prauas interpretationes: at falsa pontificis Rom. dogmata, & prauas ipsius interpretationes innumerabiles esse constat: eisque ille multos miseros mortales decepit, seduxit, & in fraudem illexit. Pręterea, in templo Dei sedet, & in sede Christi, & suum & Christi tribunal vnum facere consistorium docet; quod Ambrosius Antichristi esse proprium putat.

[4] In 2. Thessal. 2.
[5] Lib. 10. cōmentar. in c. 21. Luc.

Decem reges Romanorum, inquit [6] Cyrillus, *excitabuntur in diuersis locis, eodem tamen tempore regnantes. post istos autem vndecimus Antichristus per magicum maleficium Romanorum potestatem capiens.* Quis autem vnquam maiori astutia & artificio regnum acquisiuit, quàm pontifex Rom. [7] Valla dicit eum *inaudita fraude* vrbis Romæ imperium adeptum esse. quis Romanorum potestatem cepit, & ad se transtulit præter ipsum? quis ille est, qui præter decem reges, qui inter se Romanum imperium partiti sunt, exortus est loco vndecimo, præter pontificem Romanum? Dicit præterea Cyrillus, quod *Antichristus mentem habebit homicidiariam, præfractam, immisericordem & variam, cum contra alios omnes, tum verò maximè contra Christianos*: quo in loco graphicè ille pontificis Rom. descripsit mores. est enim ille vir sanguinum, & homicida sæuus, & grauissimè pios Christianos odit & persequitur.

[6] Catech. 11.
[7] Contr. dōnat. Constāt.

Quando istud fuerit destructum imperiū, inquit Chrysostomus,

sostomus, de imperio Romano verba faciens, *vacantem imperii principatum inuadet* (Antichristus) *& tentabit ad se rapere hominum & Dei imperium.* Quis autem vacantẽ imperii principatum inuaserit; & quis se in temporalibus & spiritualibus dominum dixerit, omnes vident. nam capta ab *Odoacre* Roma, nullus ibi regnauit, donec pontifex Rom. vacantem sedem occupauit. vnde etiam [1] Ambrosius dicit *Antichristum Romanis libertatem restituturum, sed non suo, sed alieno nomine.* hoc enim facit, nō vt successor Petri, sed vt princeps politicus. ita enim loquitur Antichristi seruulus [2] Bellarminus.

Matrem fornicationum vocans, [3] inquit Arethas, *rursum quamcunque volueris, siue veterem Romam, siue nouam, siue tempus vitæ Antichristi; à vero aberrare non poteris: eo quod singulæ imperium susceperunt aliarum ciuitatum, & vnaquæque satiatur sanguine sanctorum martyrum.* Quod si ergo noua Roma sub pontificis imperio sedes sit Antichristi, & sanguine martyrum satietur; necesse est pontificem Rom. esse Antichristum.

Ego, [4] inquit Gregorius, *fidenter dico, quod quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* Idem [5] dicit *omnia quæ prædicta sunt, facta esse, & regem superbiæ propè esse, & quod dici nefas est, sacerdotum ei præparari exercitum.* quis autem nescit iam ante multos annos pontificem Romani se vniuersalem dicere episcopum, & ipsum regnum suum monachorum & sacrificorum exercitu defendere, & firmare?

Antichristo, inquit [6] Oecumenius, *tanquam Deo crediderunt, & eum adorauerũt.* quod haud dubiè ad pontificem Rom. attinet. nam & Iebusitæ, & alii Monachi se pontifici, tanquam Christo obtemperaturos promittunt: & omnes eum, tanquam numen aliquod adorant, & venerantur.

Atque hæc patres, vtpote de rebus futuris, de Antichristo, quem velut longè positum per transennam viderũt, & de eius regno & moribus obscurius loqu-

[1] In 2. Thessal. 2.

[2] Lib. 5. de pont. Rom.

[3] In Apocal. 17.

[4] Lib. 6. epist. 30.

[5] Lib. 4. epist. 30.

[6] In 2. Thessal. 2.

ti sunt. sequuntur autem nonnulli, qui nullis ambagibus vsi, pontificem Rom. apertè Antichristum esse dixerunt.

Sigebertus postquam periuria, homicidia, ciuilia bella, perfidiam & flagitia Gregorii 7. & partium eius reprehendisset; *Plerique,* 7 inquit, *omnes boni, aperti, iusti, ingenui, simplices tum imperium Antichristi cœpisse, quod ea quæ Christus seruator noster tot annos antè nobis cantauit, euenisse cernebant, memoriæ literarum prodidère.*

7 Apud Auentinum, lib. 5. hist. Boior.

Disertè verò episcopi plures Germani Gregorium septimum Antichristum appellabant. *Pietatis sub specie,* inquiunt illi, *debacchatur; honestis nominibus bonum publicum simulat; titulo Christi, negotium Antichristi agitat; in Babylonia, in templo Dei sedet; supra omne id, quod colitur, extollitur; quasi Deus sit, se non posse errare gloriatur.*

Grauiter etiam [1] Fridericus secundus pontifices Rom. reprehendit, nec dubitauit Antichristum in eis regnare. dicit enim eos *affectare dominationem atque diuinitatem, nempe vt ab omnibus haud aliter, imò magis, quàm Deus timeantur. nam multos Antichristos inesse Romanensibus illis, nec vllos alios, quemadmodum opera ostendunt, exitio Christianæ religioni esse.*

1 Auentin. annal 5. p. 678.

Flamines Babyloniæ, inquit episcopus [2] Salisburgensis, *soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt. non desistent, donec omnia pedibus suis conculcauerint, atque in templo Dei sedeant, extollanturque supra omne id quod colitur.* Et paulò post: *Noua consilia sub pectore volutat, vt proprium sibi constituat imperium. leges commutat, sua sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit perditus homo ille, quem Antichristum vocare solent, in cuius fronte contumeliæ nomen scriptum est: Deus sum, errare non possum. in templo Dei sedet, longè lateque dominatur.*

2 Apud Auentin. annal. Boior.

Qualis sit discessio, inquit [3] Theodoricus Niemensis *in ecclesia Rom. & etiam prælatorum ecclesiasticorum religio, siue sanctimonia in partibus occidentis, non oportet describi. patet enim vtrumque istorum in sacerdotio & in regno, & si ipsa sunt prognostica aduentus Antichristi, discu-*

3 De schism. lib. 3. c. 43.

tiant si qui sunt, qui nouerunt sensum Dei. Atq; hæc ille dicit, significans tum Antichristi reuelationem instare. idem etiam Romam [4] appellat *Babyloniam.*

[4] *Tractat. vnion.6.c.8.*

Bestia illa de Apocalypsi, inquit [5] Bernardus, *cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum sanctis, Petri cathedram occupat; tanquam Leo paratus ad prædam.* Idem alio in loco [6] dicit, *ministros Christi seruire Antichristo*, & imminere tempora reuelationis Antichristi.

[5] *Epist.125. p.1316.*

[6] *Serm.33. in cant.*

[7] Arnulphus in synodo Remẽsi, quæ anno Domini 991. celebrata est: *Quid hunc*, inquit, *reuerendi patres in sublimi solio residentem veste purpurea & aurea radiantem; quid hunc, inquam, esse censetis? nimirum si charitate destituitur, solaq; scientia inflatur & extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens, & se ostendens, tanquam sit Deus. si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur, in templo Dei tanquam statua, tanquam idolum est, à quo responsa petere, marmora consulere est.* Hic autem Arnulphus omnium erat Galliæ episcoporũ eius temporis sapientia, & eloquentia præstantissimus, vt ex præfatione synodi constat: & tamen hæc de pontifice Rom. loquutus est.

[7] *In codice membranaceo antiquo.*

Petrus [8] Blesensis ex vrbe Roma tanquam ex Babylone amicum suum euocat, & de pontifice Rom. pessimè loquitur. *Aufer*, inquit ille, *Domine de domo tua idolum, & confringe cornua peccatoris. munera Romæ omnia peruertunt, & omnia monachis licere permittunt: imò omnes carnis illecebras, quas annua redimunt pensione. cantantur eorum turpitudines in tentoriis Geth, & in compitis Ascalonis. sic factus est princeps Sodomorum, discipulus post eum in cathedra pestilentiæ sedentibus.*

[8] *In epistola ad officialem quendam episcopi.*

Nullus autem clariùs contra pontificem & eius aulam, quàm *Petrarcha* perhibet testimonium. vixit ille temporibus Benedicti 12. Ioannis 22. & Clementis 6. quando curia papalis in Auinione iuxta ripam Rhodani degebat. audire ergo ipsius de hac curia sententiam. *Quis*, [9] inquit, *non Rhodanum vitet? quis oro non fugiat Babylonem, & vitiorum simul omnium, & laboris ac totius miseriæ mœstam domum?* Et [1] postea: *Nulla ibi lux, nullus dux, nullus index anfractuum, sed caligo*

[9] *Epist.16. sine nomine.*

[1] *Epist.17.*

vndiq; & vndiq; confusio, ne parum vera sit Babylon; at perplexitas rerum mira, vtque Lucani verbo vtar, nox ingens scelerum, tenebrosa, inquam, & æterna nox expers syderum.

Et in epistola 19. *Ecce*, inquit, *iam oculis vides, iam manibus palpas, qualis est illa Babylon nouissima, feruens, æstuans, obscœna, terribilis, quam nec Cambysis opus Babylon Niliaca, nec illa vetustior regia Semiramidis Babylon æquet Assyria. Nilum & Euphrate Rhodanus vincit, nempe qui Tartarea flumina vincit Cocytum & Acherontem. quicquid vsquam perfidiæ & doli, quicquid inclementiæ superbiæq;, quicquid impudicitiæ effrenatæq; libidinis audisti, aut legisti, quicquid deniq; impietatis & morum pessimorum sparsim habuit orbis terræ; totum istic cumulatim videas, aceruatimq; repertum est.*

1 *Epist.* 20. Et [1] rursum: *Bonorum hostis, & malorum hospes atque asylum pessima rerum Babylon feris Rhodani ripis imposita: famosa dicam, an infamis meretrix? fornicata cum regibus terræ. illa equidem es, quam in spiritu sacer vidit euangelista: illa equidem es, non alia, sedens super*

2 *Ibidem.* *aquas multas.* Et [2] postea: *quod sequitur*, inquit, *tibi vni conuenit, non alii, Babylon mater fornicationum & abominationum terræ, mater impia partuum pessimorum, quando quicquid vsquam terrarum abominabile, quicquid fornicatorium, ex te prodit.* Et iterum: *Audi*, inquit, *reliqua: & vidi*, inquit, *mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. quid siles? aut aliam hoc sanguine ebriam ostende; aut omnino si non*

3 *Ibidem.* *potes, te hanc ebriam nega.* Idem [3] præterea dicit aulam pontificis factam esse *habitationem & regnum dæmoniorum.*

In carminibus etiam Italicis grauiter curiam papalem insectatur, eamq; *proditionum nidum, & scelerum officinam.* & [4] meretricem impudentem & *Babyloniam*

4 *Putta Sfacciata.* vocat.

5 *Can.* 106.

Nido di tradimenti, inquit [5] ille, *in cui si cuona*
Quanto mal per lo mondo hoggi si spande,
Divin' serua, di letti, è di viuande.

6 *Cant.* 108. Et [6] postea:

Fontana di dolore, albergo d' ira,

Schola

Schola d' errori, è tempio d' heresia
Gia Roma hor' Babylonia falsa è ria.

7 Robertus Grosthed, qui vixit temporibus Innocētii quarti, à quo multas passus est grauesq; iniurias, episcopus *Lincolniensis*, eo tempore & doctrina & pietate nulli secūdus, moriturus, pontificem Rom. & hæreticum, & Antichristum esse ostēdit. *Christus*, inquit, *venit in mundum, vt animas lucraretur. ergo si quis animas perdere non formidat, nōne Antichristus meritò dicendus est?* hoc autem pontificem facere, clarè constare dixit. 7 *Matt. Paris in Henr. 3.*

Aliquot ante illum annos vixit Ioachimus Abbas, prophetiæ dono, vt aiunt, insignis. multa certè ille de Antichristo non malè vaticinatus est: cumq; studiosè de hac re quæsiuisset, Richardus primus Angliæ rex in terram sanctam, vt vocant, iam nauigaturus, sic ei [1] respondit: *Antichristus iam natus est in ciuitate Romana, & in sede apostolica sublimatur.* 1 *Rogerus Houeden. in Richardo primo.*

Ioannes & eius sectatores, inquit Michael [2] Cesenas Franciscanorum generalis de Ioanne 22. verba faciēs: *Iudaizant, & erroribus Iudæorum, & secta magni Antichristi viam præparant, & fomentum.* Constat ergo posteriores pontifices Rom. per hanc viam ipsis præparatam diu ambulasse, & ad finem tandem eius peruenisse. 2 *In epist. ad fratres minores, coniunct. cum operibus Guliel. Ockam.*

Vertete, inquit [3] Honorius Augustodunensis, *ad ciues Babyloniæ, & vide quales sint, & per quas tendant plateas, &c. vide, veni huc ad supercilium montis, vt cuncta possis ædificia cernere damnatæ ciuitatis.* Loquitur autem ille de pontificum Roman. aula, & synagoga Romana. 3 *In dial. de prædest. & lib. arbit.*

Hodie meretrix antiqua, inquit [4] Volquinus, qui vixit in Germania circa annum Domini 1480, *habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, fornicatione, & immunditia, mirabiliter inebriat sacerdotes & clericos.* Gregorius [5] Heimburgensis à Pii secundi sententia ad cōciliū appellauit, & eo nomine grauiter est ab eo exagitatus. sed se causamq; suam defendens ostendit *papam, & ei adhærentem synagogam, esse Babylonicam meretricem.* 4 *In homil. de zizaniis.* 5 *In libel. contr. pont. Rom.*

6 In confession. Waldens. apud Orthuin. Grat. in fascic. rerum expet. & fugiend.

Ideo se à synagoga Rom. discessisse dicunt 6 Waldenses, *quod sacerdotes in concionatoriis cathedris magna hominum multitudine assistente, tum authoritate diuinarum vocum, tum rationibus validissimis, tumque argumentorum exemplis firmissimis, demum paternorum canonum astructionibus & minacibus censuris, se schismaticos, hæreticos, sacrilegos, pseudoprophetas, lupos rapaces, belluamque atque meretricem Apocalypticam profanè notantes, & concionantes argutè approbare moliebantur.*

7 Lib. 8. Sibyl. oracul.

7 Sibyllæ denique graphicè nobis describunt Antichristi nomen & mores, & regni sedem. eum enim futurum regem capite cano, & habiturum nomen à Ponto, & muneris loco daturum pedes osculandos, ostendunt. Asserunt prætetea ipsum multum auri & argenti collecturum, & Deum contempturum, & multa erroris mysteria proditurum, & magnarum calamitatum causam futurum, & regnaturum iuxta Tyberim, & Romam denique perituram: quæ omnia pontificem Rom. esse Antichristum apertissimè demonstrant.

Ἔσσετ' ἄναξ πολιόκρανος, inquit Sibylla, ἔχων πέλας οὔνομα πόντου.
Κόσμον ἐποπλεύων μιαρῷ ποδὶ δῶρα προτείνων.
Χρυσὸν μὲν πάμπλειστον ἔχων, καὶ ἄργυρον ἐχθρὸν
Πλείονα συλλέξας, καὶ γυμνώσας ἀναλύσει,
Καὶ μαγικῶν ἀδύτων μυστήρια πάντα μεθέξει.
Παῖδα θεὸν δείκνυσιν, ἅπαντα σεβάσματα λύσει:
Κἀξ ἀρχῆς τὰ πλάνης μυστήρια πᾶσιν ἀνοίξει.
Αἴλινος ἔκθοτε καιρὸς, ὅτι λίνος αὐτὸν ὀλεῖται.
Καί ποτε δῆμος ἐρεῖ, μέγαν οὖ κράτος, ἄστυ πεσεῖται:
Εἰδὼς εὐθὺ τὸ μέλλον ἐπερχόμενον κακὸν ἦμαρ.
Καὶ τότε πενθήσουσιν ὁμοῦ τὴν σὴν προβλέποντες
Οἰκτροτάτην μοῖραν πατέρες καὶ νήπια τέκνα.
Αἱ αὖ θρηνήσουσι λυγραῖς παρὰ Θύβριδος ὄχθαις.

Hæc sanè vt ad pontificem Rom. rectè accommodantur; ita ad nullum alium referri possunt.

Argu-

Argumentum vicesimum quintum à confessione aduersariorum, CAP XXV.

POstremum argumentum ex pontificum Rom. & aliorum aduersariorum nostrorum confessione & conscientia sumitur. *Si quis contra hoc decretũ nostrum,* inquit [1] Nicolaus Papa in synodo *Lateranensi, per seditionem, vel præsumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus, seu inthronizatus fuerit, authoritate diuina, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, perpetuo anathemate cum suis authoribus, & fautoribus, & sequacibus à liminibus sanctæ Dei ecclesiæ separatus abiiciatur, sicut Antichristus, & inuasor, & destructor totius Christianitatis.* At nullus iam multos annos illam sedem ascẽdit pontifex, nisi qui simoniacè, & cõtra illud Nicolai decretum Papatum adeptus est. quid ergo superest, nisi vt Antichristus ab omnibus habeatur pontifex Romanus? Negabit forrasse Iebusita aliquis, istos per seditionem, præsumptionem, callidas molitiones, & petitiones, & Simoniam electos. Sed res palàm est, neque vlterius vel occultari vel excusari potest. hoc.n. omnes loquuntur historici: hoc aduersariorum conscientia nouit; hoc sermone vulgi iactatur: hoc viri boni grauiter reprehẽderunt. Gregoriũ 7. velut simoniacè ingressum [2] dãnauit synodus Brixinensis. [3] Gregorius sextus à Benedicto nono pro 1500. libris papatum mercatus est. Cardinalium suffragia palàm emit [4] Alexander sextus. [5] Iulius secundus iureiurando se pro maxima pecuniæ summa, quam pro papatu obtinendo promiserat, obstrinxit, & fidem fefellit. omnes pecunia, gratia, & artificio hunc honorem adipiscuntur. Damasus & Vrsicinus olim armis de sede illa decertarunt. vi armorum potentiaq; papatum obtinuere Alexander 2. & Gregorius 7. Ioannes 22. & Ioannes 23 & multi alii pontifices Romani. Ioannes vicesimus tertius *armata manu Bononiam ingressus, se papam constituit,* vt inquit [6] Orthuinus Gratius.

[7] Felinus *eum Diabolum vocat, qui non est canonicè electus in Papam, & eum habere claues non cœli, sed inferni dicit.*

[1] *Dist. 23. c. in nomine.*

[2] *Beno Card.*

[3] *Ibidem.*

[4] *Guicciardin. histor.*

[5] *Ibidem.*

[6] *In fascic. rer. expet. & fugiend. p. 202.*

[7] *In c. ego N. de iureiurando.*

[1] *In confut. apol 1. Ievv. part. 5. c. 9. sect. 1.*

Hardinghus fatetur [1] *eum esse Antichristum, qui populo communionem, verbum Dei, rectum Dei cultum, & sacramentorum & orationis legitimum vsum aufert.* Hoc autem omnes quibus Deus huius seculi oculos non occlusit, à pontifice Romano factum vident, & agnoscunt. nam populo calicem, & astantibus in missa cõmunionem eripit; lectionem scripturarum in lingua vernacula publicè fieri vetat; idola colenda proponit; sacramenta noua instituit, vetera mutat, & cæremoniis idololatricis conspurcat. orationes deniq; ad homines mortuos, & in lingua ignota fieri præcipit. Circa annum Domini 1345. vt testatur Hēricus de [2] Herfodia, fraterculus quidam ex Minoritarum secta prædicauit *papam Rom. & cardinales esse Antichristũ, & meretricem Babylonicam:* quo nomine à Clemente sexto in carcerem coniectus, ibi computruit. inde egressum nullus postea vidit.

[2] *In chronic.*

Ipse etiam Bellar. imprudens hunc suũ de Antichristo tractatum inscripsit, *De pontifice Rom.* Deus enim ei hanc confessionem exprimere voluit vel inuito. Preterea multa loquitur de desolatione imperii Rom. & sede Antichristi, eiusq; doctrina; quæ planè ostendunt pontificem Rom. illum Antichristum esse, quem quærimus.

Ipsa deniq; consciẽtia, quæ est instar mille testium, contra pontificem Rom. testimonium clarissimum dicit. ipse enim rectè sentiens ad se hæc attinere, prohibet quenquam de Antichristo verba facere. *Tempus præfixum futurorum malorum*, inquit [1] *Leo* decimus in concilio Lateranensi, *vel Antichristi aduentum*, &c. *prædicare, vel asserere nemo præsumat.* Sauonarolæ, qui liberiùs de Antichristo loquutus est contra Alexandri sexti voluntatem, fuit ea res capitalis: flammis enim hoc nomine exustus est.

[1] *Sess. 11.*

[2] Paschalis secũdus cum accepisset episcopum Florentinum (alii habent Fluentinum) prædicare, Antichristum iam natum esse, Florentiam ipse profectus est, vt homini silentium indiceret. verè enim [3] dixit ille, *nihil esse miserius, quàm animũ hominis conscium.* nam licèt alios accusatores non haberent põtifices Rom.

[2] *Platina in Paschali 2. & Antoninus, Palmerius, & Sabellicus.*

[3] *Plaut. in Mostellar.*

tamen

tamen eos hoc nomine conscientia, quæ est instar plurium testium, intus accusat, & condemnat, & in ipsis Antichristum regnare testatur.

Cum ergo tot nobis aduersus pontificem Rom. suppeterent argumenta & testimonia; qua fronte ausus est [1] Bellarm. ea omnia, velut deliramenta, nugas, ineptias, & mendacia contemnere? hæc sanè neque ipse, neq; aduersariorum quisquam adhuc ausus est attingere: nemo sanè, quod ego videre potui, hactenus dissoluit. Imò quæ ipse attigit, eà malè dissoluit. Ipsius verò argumenta quibus demonstrare conatur pontificem Rom. non esse Antichristum, aut mendacia continent crassa, aut deliramenta ridicula, aut deniq; meræ sunt nugæ, &, quod dici solet, gerræ germanæ, & delirantis & somniantis monachi Lyræ, lyræ.

[1] *Lib. 3. de pont. Rom. c. 18. & sequentib.*

Dissoluitur primum Bellarm argumentum, quo probare conatur pontificem Rom. non esse Antichristum.

CAP. XXVI.

PRimum ipsius argumentum etiam à nomine Antichristi sumitur. *Nam quia Antichristi nomen significat hostem & æmulum Christi;* idcirco [2] concludit *pontificem Rom. non esse Antichristum. ipsum enim esse Christi famulum, & se Christo in omnibus subiectum fateri, neque vsquàm se Christo parem facere.*

[2] *Lib. 3. de pontif. Rom. c. 1. in fine.*

Respondeo, antecedens huius argumenti nobis maximè placere. nam non tantùm nostram de Antichristo sententiam continet, sed etiam omnem ipsius in primo capite lib. tertii disputationem euertit. Nostram confirmat & continet, quia Antichristum dicimus & Christo aduersari, & eum quodammodo æmulari seu imitari. nec hæc pugnant, aduersari, & imitari. Dicit enim Cæsar Gallos, aduersus quos ille pugnabat, opera Romanorum solerter [3] imitari. Ipsius verò euertit disputationem, vbi ostendere conatur hoc vocabulum *Antichristus*, aduersarium tantùm designare, & non æmulum, seu vicarium Christum imitantem & æmulantem. Quomodo enim potest *Antichristi* nomen aduersarium tantùm designare; quod ille toto hoc capite ex nominis notatione, ex scriptu-

[3] *Lib. 5. & 7. Cōmentar. de bell. Gall.*

ris scilicet, & patrum scriptis probare conatur, si æmulum etiam significat?

Præterea, valde errat, vbi existimat æmulum significare aduersarium solùm, qui cum aliquo de dignitate certat. *æmulus* enim in bonam partem sæpè accipitur. *Licebit*, [1] inquit Cicero, *eum solum ames, me æmulum non habebis*. Ita etiam verbum *æmulator*. *Seruilius*, inquit [2] Cicero, *æmulator Catonis*. Ita denique *æmulari*. *Eius vrbis instituta*, [3] inquit Cicero, *faciliùs laudare possumus, quàm æmulari*. Sic etiam Horatius: *Quisquis*, inquit, *Pindarum studet æmulari*.

[1] *Ad Attic. lib.* 1. *epist.* 6.
[2] *Ibid. Lib.* 1.
[3] *In orat. pro Flacco.*

Fallitur etiam, vbi [4] existimat vel Musculum, vel aliquem nostrûm, pontificem Rom. ideo tantummodo putare Antichristũ, quia Christi vicarius est. nam non tãtùm, quia vicarius est Christi, vt aiunt, sed quia dum Christi dicit se vicarium, reuera Christo aduersatur. idcirco pontificem Rom. Antichristum esse dicimus: & ipse Bellar. nequicquam se respondendo fatigat.

[4] *Col.* 836.

Consequens deniq; huius argumenti infirmum est, nam etsi Antichristus aduersariũ significet, & aduersantem æmulum Christi, idq; tantũmodo: nihil tamẽ hoc pro pontifice Rom. facit. nos. n. [5] ostẽdimus ipsum esse aduersarium, idq; multis argumentis: & æmulum esse aduersantem constat in eo, quod se Christi facit vicarium, & omnẽ Christi ad se transcribit in peccatis remittendis, & legib. condendis potestatem: & quod se & Christum vnum facere consistorium credit.

[5] *Huius libri c.* 2.

Nec obstat, *quod se Christi famulum fateatur*. Quid enim nos verba audiamus, cum facta videmus? *Ipse omnem sibi in cælo & terra datam potestatem* [6] dicit, quod Christi proprium est: & se Deum vocat, & Diuinos honores sibi arrogat. quomodo ergo verum est quod dicit [7] Bellarm. illum nusquam Christo se parem facere? Ipse autem ridiculus est disputator, qui quod nemo negat, multis probat, nempe *Antichristum significare aduersarium*: & quod in controuersia est, sumit: *nempe pontificem Rom. non esse aduersarium, vel æmulum Christi.* at hoc nos negamus; atque hoc ipsi probandum erat.

[6] *Cærem. lib.* 1.
[7] *Col.* 837.

Retorqueri ergo potest hoc argumentum in caput

caput aduersarii isto modo: qui aduersarius est Christi, & æmulus, is est etiam ex confessione Bellarmini Antichristus: sed pontifex Romanus est aduersarius & æmulus Christi: ergo est Antichristus. propositionem aduersarius dat: assumptionem nos suprà argumentis euicimus.

Ad secundum argumentum, à locis Scripturæ & patrum ductum, quæ de Antichristo velut certo homine loquuntur, respondetur.

CAP. XXVII.

SEcundum [1] argumentum est, *quia Scripturæ & patres loquuntur de Antichristo velut de certo homine, & singulari persona, & pontifices Rom. multi sunt; propterea alibi quærendum esse Antichristum, quàm in Romana sede.* Argumentum sanè claudum, debile, & infirmum. nam antecedens falsum est, vt ex multis liquet. Primò, Scripturæ loquuntur de pluribus Antichristis. *Audistis*, inquit [2] Ioannes, *quia Antichristus venit, & nunc multi Antichristi facti sunt.* Idem [3] dicit, *omnem spiritum qui soluit Iesum, esse Antichristum.* at eius generis homines multi erant, multique fortasse futuri sunt. & vbi de vno loquuntur, necesse est, vt genus vnum, vel speciem vnam, vel vnam apostasiam intelligant, ad quam omnes Antichristi pertinent, & vnum Antichristum conficiunt postremis mundi temporibus reuelandum. Quod autem Scripturæ vbi de Antichristo loquuntur, non intelligant eum vnum & singularem hominem futurum, inde probatur; quia de singularibus hominibus futuris loquentes, eos disertè & articulatè nominant; vt Iesum Christum, Cyrū, & Iosiam: at Antichristum non nominant, nec nomen eius clarè designant.

Patres etiam de pluribus Antichristis loquuntur. *Tot*, inquit [4] Hieronymus, *sunt Antichristi, quot sunt falsa dogmata.* Similiter [5] Augustinus: *Certè*, inquit, *inuenimus multos Antichristos, qui ore confitētur Christum, & morib. dissentiunt à Christo.* [6] Ambrosius dicit, *omnes esse Antichristos, qui praua nos interpretatione seducunt.* [7] Chrysostomus denique: *Audite*, inquit, *fratres dile-*

[1] *Lib. 2 de pontif. Rom. c. 2.*
[2] *1. Ioan. 2.*
[3] *1. Ioan. 4.*
[4] *Comment. in Nahum. c. 1.*
[5] *Tract. 3. in epist. Ioan.*
[6] *In c. 21. Luc.*
[7] *Hom. 3. in Psal. 9.*

ctissimi; multi sunt in saeculo isto fœneo, & caduco Antichristi. Nec dubium est, quin omnes isti propriè sint Antichristi, quamuis aliquando & scripturæ & patres de Antichristo singulariter loquantur; quia omnes singulares Antichristi ad generalē apostasiam & regnum Antichristi pertinent. *Generaliter*, inquit [1] Origenes, *vnus Antichristus est, species autem eius multæ.*

[1] Tractat. 30. in Matt.

Tertiò, per Antichristi regnum intelligitur apostasia à fide. *Non enim veniet dies Domini, nisi*, vt inquit [2] Apostolus, *venerit discessio primum.* apostasia autem generalis, nec in vno momēto fieri potest, nec ab vno homine. Respōdet [3] Bellar. *per apostasiam rectissimè Antichristum intelligi: nam ita cōmuni consensu exponere Græcos interpretes, Chrysostomum, Theodoretum, & Theophylactum, & ex Latinis [4] Augustinum: sed hoc dici per metonymiam, quia multis causa erit recedendi à Deo; & κατ' ἐξοχήν, quia tam excellens erit apostata, vt Apostasia dici possit.* Sed dum videtur velle respondere, seipsum loquacitate sua impedit, nostramque sententiam confirmat. Nam si rectissimè dicatur Antichristus Apostasia, & ita exponant patres; tum rectè nos dicimus, & rectè patres exposuerunt, per Apostasiam Antichristum designari. Reperit ergo aliam rimam per quam effugiat, & *per metonymiam, & per excellentiam Antichristum vocari Apostasiam* dicit. At nihil de hac figurata loquutione habēt Augustinus & Chrysostomus; & sanè absurda est interpretatio, quæ per apostasiam vnum hominem intelligit, cum apostasia nisi per plures fieri, & nisi in plurib. intelligi non possit.

[2] 2. Thess. 2.
[3] Col. 842.
[4] Lib. 20. de ciuit. Dei. c. 19.

Respondet ergo alio modo & dicit, *per Apostasiam intelligi defectionem à Romano imperio.* Sed hæc duo non pugnant, vt sit defectio à fide, & vt sit defectio à Romano imperio. nam vtramque defectionem fore prædicit Spiritus sanctus: & Hieronymus & Augustinus, & alii intelligunt per defectionem hanc, defectionem à fide. [5] Primasius per Apostasiam intelligit desertionem *veritatis.* νῦν δ' ἐστὶν ἀποστασία, inquit [6] Cyrillus, ἀπέστησαν γὰρ οἱ ἄνθρωποι τῆς ὀρθῆς πίστεως. [7] Lyra per Apostasiam putat apostolum intelligere *recessionem à fide catholica:* cui interpretationi pulchrè consentit, quod

[5] In 2. Thes. 2.
[6] Catech. 11.
[6] In 2. Thes. 2.

Aposto-

Apostolus [1] dicit, *in nouissimus temporibus quosdam discessuros à fide.* [1] 1. Tim. 4.

Respondet tertiò, *etsi discessio à fide intelligatur; non tamen necesse esse, vt fiat in pluribus seculis.* Quasi verò non omnibus seculis aliqui à fide discedant; & quasi mysterium iniquitatis paulatim, & plurib. seculis non operetur, & verisimile sit tribus annis & dimidio tantam rerum conuersionem fore, vt totus propè mundus à vero Dei cultu deficiat, & Antichristo adhæreat. Dicimus ergo ridiculè quæri, quid fieri possit; cū nos aliter factum esse videamus. Augustinus certè, quem ille testem citat, non dicit *Apostasiam hanc in vno momento, aut vno seculo futuram.*

Respondet quartò, *per hunc discessionem non intelligi regnum Antichristi, sed dispositionem ad illud regnum* Sed hoc & patres refellunt, vt ex prima eius responsione constat: & illis quæ antè dicta sunt à Bellarmino aduersatur: & pugnat denique cum apostoli sententia. ipse enim hæc duo coniungit, nempè *defectionem, & hominem peccati*: ita vt omnes intelligere possint, hanc defectionem ipsum esse Antichristi regnum: & illam ab homine peccati profecturam esse.

Respondet [2] postremò, *etsi concederetur generalem apostasiam à fide, quæ iam multos annos durauit, esse regnum Antichristi, non tamen propterea sequi pontificem Rom. esse Antichristum: nam nostros potius homines, quàm Papistas à fide defecisse.* Sed hoc ostendit ipsum non meminisse, qua de re agatur. hoc enim loco quæritur; vtrum Antichristus sit singularis persona. ipse autem concedens Antichristi regnum esse generalem apostasiam multorum annorum, causam cedit; nempè Antichristum non esse singularem personam. Ad illam autem accusationem ipsius contra nos institutam facilè responderi potest. Apostolum loqui de fide Christi, & apostolica religione: à qua ipsos discessisse, & non nos, facilè intelligi potest. Nos enim ad hanc fidem, & ad scripturas appellamus: illi autem nobis semper fidem synagogæ Rom. & pontificum Rom. obtinunt decretales; & se stare non posse vident, si secundùm regulam Scripturæ, & Apostolicæ doctrinæ, iudicium fiat. non- [2] Col. 842.

ne ergo mirum est tam multa respondentem, nihil tamen respondere?

Quartò, mysterium impietatis ab ipsis apostolorum temporibus Antichristus operari cœpit. *Mysterium*, inquit [1] apostolus, *iam operatur iniquitatis*. at vnus homo ab apostolorum temporibus ad nos vsque viuere non potuit. necesse est ergo plures homines & personas ad propagationem regni Antichristi cócurrisse. quod & Ioannes [2] significat, qui *Antichristum suo tempore in mundo fuisse* dicit. Respondet [3] Bellar. *Antichristum in typo primum venisse, & in suis præcursoribus; & deinde in propria porsona venturum*. atque hoc ille confirmat primò exemplo Christi, quem dicit *ab initio mundi venisse in patriarchis & prophetis; & deinde authoritate patrum, qui per mysterium iniquitatis vel persequutiones ecclesiæ, vel hæreses intelligunt*. Sed neq; patres negant, Antichristum propriè dictum apostolorum temporib. in mundo fuisse; neq; Christi exemplum rectè accommodatur Antichristo. *Non primum*, quia Ioannes dicit disertè Antichristum tunc suo tempore in mundo fuisse. Præterea, non est verisimile patres Ioanni repugnaturos fuisse. neq; sanè repugnant. nam vt per mysterium iniquitatis intelligamus vel *Neronis* & aliorum tyrannorum persequutiones, vel hæreses; paulatim tamen tunc temporis in persequutionibus istis, & hæresib. Antichristus regnum suum moliri cœpit. *Non secundum*, quia nusquam legimus Christum in mundum venire cœpisse in patriarchis & prophetis. imò nec pseudopropheta hic & Iebusita ostendere potest, aliquem doctum virum ita loquutum esse. inter Christi ergo & Antichristi aduentū, vt nec inter Christum & Antichristum, quicquam simile. Præterea, non sequitur, quia dicimus sedem Romanam nunc esse sedem Antichristi, *propterea Petrum & Paulum fuisse Antichristos, si tunc temporis mysterium iniquitatis operari cœpisset*, vt [4] Bellarm. ineptè colligit. nam operari potuit mysterium iniquitatis, etsi non semper in eodem loco, aut eodem hominum genere. Præterea, paulatim Antichristi regnum propagatum est, & post aliquot demum secula se in arce vrbis Romæ, & in se-

de pon-

[1] 2. Thess. 2.
[2] 1. Ioan 4.
[3] Col. 840.
[4] Col. 841.

de pontificum Rom. collocauit, & serò tandem ibidem reuelari cœpit.

Quintò, vt per primam bestiam seu pardum Apocalyp. 13. intelligimus imperium Rom. & omnes imperatores ecclesiam Christi persequentes: ita per secundam bestiam, quæ similis erat agno, intelligimus Antichristi regnum, & omnes in eo Christo aduersantes. Nec ratio aut caussa vlla dissimilitudinis ostẽdi potest. per duas enim bestias duo simillima regna designata sunt, & earum posterior priori successit, & eius imaginem refecit, & instaurauit. Quod si ergo pardus nõ designauit vnum singularem hominem; cur secunda bestia, quæ agno similis erat, vnum designaret singularem hominem?

Sextò, meretrix purpurata, quæ figura est Antichristi, & eius regni, figura est etiam omnium eorum, qui poculo aureo idololatriam & falsa dogmata populis propinarũt. at istos plures fuisse vidimus: nec dubium est, quin singulis ætatibus tales fuerint.

Septimò, soluto Satana, qui mille tantùm annos ligandus erat, Antichristum velut præcipuum eius ministrum in mundo fuisse verisimile videtur. At à solutione Satanæ, siue mille annos à temporib. Constantini, siue altiùs computemus, aliquot secula præterierunt. Quare, nisi plures ad Antichristi regnum pertineãt, necesse est iam Antichristum & regnasse, & mortuum esse.

Postremò, vt in figuris Bestiarum[1] Daniel propheta describit statum diuersorum imperiorum, & imperatorum & regum sibi inuicem succedentium: sic in vno Antichristo, seu vno rege, eiusq; figura Apocalyps. 13. & Danielis c. 7 & 11. Spiritus sanctus formam totius regni Antichristi nobis proponit: nec ratio vlla dissimilitudinis afferri potest. Respondet Bellar. *Danielem per singulas bestias non semper singula regna intelligere.* Sed nobis satis est, si sæpiùs hoc faciat. hoc enim satis docet in figura vnius bestiæ, aut hominis, vnius regni, & plurium regũ statũ posse describi. Præterea, in capite 7. Danielis, de quo nos loquimur, semper per singulas bestias singula regna intelligi, nec ipse aduersarius ne-

[1] *Daniel.* 9.

gare potest. Ostendat ergo Bellar. cur in eodem loco propheta magis singularem designaret personam in vno rege & cornu, quod figura erat Antichristi, quàm in reliquis decem cornibus, & bestiis illis quatuor, quæ aliorum regnorum erant figuræ.

[1] *Dan.* 7. Prætereà, consequens argumenti huius non multum valet. nam scripturæ loquuntur de [1] regibus & figuris regnorum, vt de singularib. personis: & tamen sub vnius persona totam regni descriptionem, successionem, & statum describunt. Sed ipse fortasse argumentis euincet Antichristum fore vnum singularem hominem. nam hoc ipse, non obstantibus nostris argumentis, pollicetur se facturum. videamus ergo quid effecerit.

[2] *Col.* 838. Primò, ex verbis his Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis:* [2] concludit, *Antichristum propriè acceptum esse singularem personam.* Sed Christus hoc in loco non de vno Antichristo, sed indefinitè loquitur: & dicit *eos*, non vnum tantùm, sed, *si quis alius in suo nomine venerit, eum recepturos.* atque ita Nonnus explicat, Εἰ δέ τις ἄλλος ἵκοιτο νόθος ψευδώνυμος ἀνὴρ αὐτίθετος. & hanc etiam expositionem probat Lyra: & ea vera est. non enim loquitur de Iudæis, qui sub finem seculi futuri erant, sed de illis, quos tum alloquebatur, à quib. Antichristum recipiendum significat. At, inquit Bellarm. *patres hæc verba de vno Antichristo exponunt.* At Bellar. non vnũ & simplex hoc loco dicit mendacium. Exponunt illi quidem hæc verba de Antichristo: sed nec vnum esse dicunt, & certum hominem, nec singularem personam: nec isto modo exponere potuerunt. quomodo enim potuit ille vnus Antichristus, qui sub finem tantùm seculi venturus erat, ab istis recipi?

[3] *Col.* 839. Dicit [3] præterea, *Dominum hîc sibi opponere alium hominem, hoc est, personam personæ, & non regnum regno.* Sed debuit ostendere Dominum singularem hominem sibi opponere; aut aliter nugas agit. Dominus enim se malis pastoribus opponit Ioannis decimo capite; verum pastorem, alieno, seu mercenario. deliraret tamen qui per *alienum* putaret intelligi vnam singularem personam tantùm.

Tertiò,

Tertiò, contendit *Christum hic dicere Antichristum à Iudæis pro Messia recipiendum.* Sed apertè mentitur. hæc enim verba, *Pro Messia*, neque in contextu reperiuntur, neque ex contextu eliciuntur. neque enim venturus erat Antichristus de quo somniant Papistæ, illis viuētibus, quos Christus alloquutus est. nec vt de Messia hæc intelligerētur; verum est Iudæos vnum tātùm aliquem hominem pro suo Messia recepturos esse. Illi enim Iudam Gaulonitem, Bencosbam, & plures falsos prophetas nomine Messiæ receperunt.

Insurgit quartò & dicit, *omnes falsos prophetas venturos in nomine alieno, & non in nomine suo; & propterea non loqui Christum de falsis prophetis, sed de vno Antichristo, qui veniet in nomine suo.* Sed hæc ratio nihil aliud est, quàm deliratio. Nam si omnes falsi prophetæ venient in nomine alieno; tum non erit Antichristus falsus propheta, qui non venit alieno nomine: quod planè absurdum est. Rectiùs ergo, quàm iste, [1] Toletus. [1] *In cap. Ioan.5.*
dicit enim *falsos prophetas in suo nomine venire, quia non sunt missi: & in alieno, quia fingunt se missos.* Hæc ergo ratio non concludit. nam multi venient in nomine suo, hoc est, qui nō sunt missi. Dicit postremò, *non dicturum fuisse Christum,* si alius venerit: *si de falsis prophetis loqui voluisset.* Sed quid ita obsecro? nonnè enim rectè & articulatè loquitur, qui pōtificem Rom. pro beneficio habiturum dicit, si alius causam eius egerit; etiamsi nō vnus Bellar. sed alii multi similes pseudoprophetæ causam ipsius defensuri essent? rectiùs ergo fecisset Bellar. si has ineptias missas fecisset. sanè si alius posthac tales nugas egerit, omnes illum alium ineptissimum esse oratorem iudicabunt.

Secundò. concludit *Antichristum esse singularem personam, quia* [2] *dicitur*, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, & ὁ ἄνομος. [2] *2. Thess.2.*
articulos enim Græcos contrahere significationem ad vnam rem certam, vt dicit [3] *Epiphanius.* Sed neq; hoc semper [3] *Hæres.9.*
fit, nec ita semper fieri dicit Epiphanius. Illud probatur infinitis exemplis. Matth 12. legimus, ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος, ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά. & Luc.4. οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος. Luc.12.24. ὅταν τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ ἐκ τοῦ ἀνθρώπου. & 2. Tim.3.

ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος. quibus omnib. locis nullus singularis homo designatur: neq; ex articulis in his locis restringitur vocabulorũ significatio. Similiter vbi dicit Apostolus, δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, non vnum aliquẽ intelligere debemus, sed quemuis episcopũ. Matt. 16. legimus ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. At hæc Bellar. nõ vult, vel de vno Petro, vel de vno Christo, sed de omnib. pontificibus etiã Rom. intelligi. Ipse deniq; Ioannes de Antichristo loquens, qui tũ in mundo erat, articulũ addit: τοῦτο ἐστὶ, inquit ille, τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, ὃ ἀκηκόατε ὅτι ἔρχεται, καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη: non tamen fatentur aduersarii singularem hoc loco designari Antichristũ. Aduersarius ergo dum argutus & peritus videri cupit, suas omnib. deridẽdas propinat ineptias, & se linguæ Græcæ imperitum esse
[1] Heres. 9. ostẽdit.[1] Epiphanius verò non tã restringi dicit, quam demonstrari aliquid ex additione articuli. Exempli gratia ὁ ἄνθρωπος non dicit singularem hominem, sed illum hominem, quicunque fuerit.

Confirmat sententiam suam tertiò ex verbis Ioan-
[2] 1. Ioan. 2. nis, ἠκούσατε, [2] inquit ille, ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν,
[3] Col. 839. ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν. hinc ille [3] existimat concludi posse, *Antichristũ fore vnam singularè personã, quia præponitur articulus Antichristo propriè dicto, & nomen Antichristi cõmuniter accepti sine articulo effertur.* Sed nos argumẽta hæc ab articulis iam articulatim concidimus. ostendimus. n. articulum demõstrare potiùs quam restringere: & illum solere præponi nominib. & indefinitè, & generaliter acceptis. Imò Ioãnes præponit articulũ Antichristo cõmuniter accepto, ne quis delicias faceret in articulis. Nullũ ergo contra nos firmum argumentũ hinc peti potest: at contra Bellarm. duo satis firma ex hoc loco ducuntur argumenta. Nam de suo tẽpore verba faciens Ioannes dicit, quod ἀντίχριστος ἔρχεται, hoc est, *venit*, & non, *veniet*: quod ostendit illum Antichristum iam tũ in mundo fuisse, & regnũ suum tunc cœpisse moliri. deinde ostẽdit *multos eo tẽpore fuisse Antichristos*, fortasse vt eorũ corrigeret sententiam, qui vnum aliquem in fine seculi, & nullum alium Antichristum venturum exspectabant.

Quartum

Quartum argumentũ ex Danielis prophetia sumit, vbi *Antichristus vocatur vnus rex, & non vnum regnum, vt ipse* [1] *ait.* Ex Caluino etiam ostendit *Danielem ad literam loqui de Antiocho Epiphane, & allegoricè de Antichristo: Antiochum verò singularem fuisse personam.* Sed antea ostensum est, [2] Danielem per figuras bestiarum intelligere regna & imperia pòst futura. Vnde sequitur idem intelligendum de regno Antichristi, quod in cornu paruo figuratum erat. Nec obstat, quod vnus rex figura esset Antichristi. nam Pharao & Saul figuræ sunt omnium regum improborum: & sæpe in singulari persona figuratur regnum & resp.

[1] *Col. 839.*

[2] *Cap. 7.*

Quintum argumentum sumptum est ex Apoc. 13. & 17. *ibi enim mentio fit decem regũ, qui erunt in terra, quando veniet Antichristus; & significatur, quod regnabit tres annos cum dimidio; & idem etiam habetur in Daniele,* vt ait Bellarm. vnde concludit, *quod sicut Daniel loquitur de vno certo rege, ita Ioannes in Apocalypsi.* Sed facilè ista diluuntur: seu potiùs ipsa sponte sua cadunt. nam à figuris & allegoriis non potest duci argumentum extra sentẽtiam sacræ Scripturæ. illa autem nusquam dicit Antichristum vnam fore certam & singularẽ tantùm personam. Præterea, ostendimus nos Danielem de regnis plurib. loqui sub figura vnius bestiæ, & certæ personæ. vnde sequitur & Ioannem ita loqui, si vera sit Bellarmini conclusio. Quare etsi figura sit res certa, & vna; non sequitur tamen rem figuratam esse vnam numero. Tertiò, non dicit Daniel Antichristum regnaturum tres annos & dimidium, sed *tempus, tempora, & dimidium temporis,* hoc est, tempus incertum: quis enim ausit diffinire, quod Deus incertum, & indefinitum reliquit? Quartò, Ioannes vbi loquitur de tribus annis cum dimidio, tempus incertum designat. nullus enim diem aut annum nouit, quando vltimum futurum est iudicium. At si Antichristus tantùm tres annos cum dimidio præcisè regnaret, & abolendus esset illustri aduentu Christi, vt apostolus loquitur; tum omnes sub finem seculi superstites intelligerẽt, quando futurus esset secundus Christi aduentus. Postremò,

vt de vno rege loquantur Daniel & Ioannes; tamen ille rex tantùm erat figura Antichristi. homines autem vnius generis plures, per vnam rem singularem figurari possunt.

Postremum ipsius argumentum est ab authoritate patrum. Sed neque in hoc aliquid est firmitatis. nam vt plurimi ex ipsis asseruerint Antichristum fore *electum diaboli organon*, & *eum regnaturum esse tres annos & dimidium*; non tamen sequitur eos docere, eum singularem aliquam personam, & certum hominẽ futurum. nam hæc duo competere possunt Antichristo, qui vnus est in specie. ipse enim erit proculdubio electum diaboli organum. Præterea, communiter docẽt, multos fuisse, & fore Antichristos. Sunt etiam qui numerum certum pro incerto poni putant, vt Augustinus
[1] *Lib. de ciuit. Dei, 20. c.23.* in numero regum. *Quid,* [1] inquit ille, *si numero isto denario vniuersitas regum significata est.* Ipsi deniq; patres licèt Antichristum vnum esse dicant, tamen aggrega-
[2] *Tract. 30. in Matth.* tione, & non numero vnum fore docent. *Generaliter,* inquit [2] Origenes, *vnus est Antichristus species eius multa sunt.* Augustinus etiam aggregatum quid per An-
[3] *De ciuit. Dei. lib. 20. c.19.* tichristum intelligit. *Nonnulli,* [3] inquit, *non ipsum principem, sed vniuersum quodammodo corpus eius, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso suo principe, hoc loco intelligi Antichristum volunt.*

Præterea, nusquam dicunt patres, *quod in Antichristo omnis inhabitatura sit diabolicæ malitiæ plenitudo corporaliter, sicut in homine Christo habitat omnis plenitudo*
[4] *Col. 840.* *diuinitatis corporaliter,* vt falso [4] affirmat Bellarm. nam tum diabolus hominem assumeret; & non homo tantùm, sed diabolus esset Antichristus: quod verè affirmari non potest. nunquam enim sacræ Scripturæ, aut patres ita loquuntur.

Verùm vt aliquid haberent patres, quod pro Bellarmini sententia faceret; non tamen existimare debemus eos prophetas fuisse, vt omnia viderent. nam sermones de Antichristo ante eorum impletionem obscurissimi erant, & paucis intellecti. *Clausi sunt,* inquit
[5] *Daniel. 12.* [5] angelus apud Danielem, *signatique sermones vsque ad prafini-*

præfinitum tempus. At si patres omnia vidissent; tum non erant clausi. Prophetiæ etiam Ioannis de Antichristo [1] conclusæ erant *in libro septem sigillis signato.* quomodo ergo ista interpretes explicarent ante eorũ impletionem? *Omnes prophetiæ,* inquit [2] Irenæus, *priusquam habeant efficaciam, ænigmata & ambiguitas sunt hominibus.* Patres etiam tantùm explicant, quid ipsi opinentur, & non quid certò verum sit. nonnunquam ingenuè fatentur se nescire, quid sibi velit spiritus. *Quid est,* inquit [3] Augustinus, *Iam mysterium iniquitatis operatur: tantùm qui modò tenet, teneat donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus? ego prorsus quid dixerit, me fateor ignorare.* [4] Idem dubius est de sessione Antichristi in temple Dei, quid sibi velit. [5] Hieronymus etiam de eadem re incertum se ostendit. hoc etiam verbis aliorum patrum confirmare licet. [6] Irenæus ergo dicit *certius esse, & sine periculo sustinere adimpletionem prophetiæ, quàm suspicari & diuinare de rebus futuris.*

[1] *Apoc.* 5.
[2] *Lib.* 4. *aduers. hæres. c.* 43.
[3] *Lib.* 10. *de ciuit. Dei. c.* 19.
[4] *Ibidem.*
[5] *Ad Algas. q.* 11.
[6] *Lib.* 5. *aduers. hæres. paulo ante finem.*

Patres denique de hoc mysterio non modò diuersa, sed contraria sentiunt; & eos aduersarii pro arbitratu suo sequuntur, vel non sequuntur. Hippolytus asserit Antichristum fore diabolum; cæteri negant. Alii dicunt Hierosolymis regnaturum; alii in ecclesia Dei. Eorum sententiam [7] Bellar. de origine Antichristi ex tribu Dan, & de [8] Gog & Magog, & aliis multis reiicit. iniquissimus ergo est, qui nobis leges fert, quas ipse non patitur.

[7] *Lib.* 3. *de pont. Rom. c.* 12.
[8] *Lib.* 3. *de pont. Rom. c.* 17.

Ad hoc secundum argumentum præterea respondeti potest; licèt patres verè dixissent, Antichristum vnum hominem fore; nihil tamen hoc contra nos facere. nam licèt plures sint pontifices; omnes tamen vnum habent Papatum, & nullus est, qui non dicitur pontifex, aut Papa.

Tertium argumentum, à tempore aduentus Antichristi; & signa illa sex, quibus docere conatur Bellarm. Antichristum nondum venisse, refelluntur. CAP. XXVIII.

AT inquit [9] Bellar. *Antichristus nondum venit, & hoc sex demonstratur rationibus; ergo clarè ostenditur*

[9] *Lib.* 3. *de pont. Rõ. c.* 4.

pontifices Rom. nõ esse Antichristos. Certè: si Antichristus nõdum venerit. at nos certi sumus Antichristum iam venisse, imò & reuelatum esse. Illud nos docet Spiritus sanctus: hoc iampridem experiētia docuit. Paulus [1] ostēdit *mysterium iniquitatis iam suo tempore operari cœpisse.* quomodo autem potuit operari, quod in mundo non erat? Ioannes verò hoc disertè affirmat. *Omnis spiritus*, inquit Ioannes, *qui soluit Iesum, ex Deo non est. & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* Disertè dicit eum Antichristum quem acceperant venturum, iam tum in mundo fuisse; licèt infantulum, & infirmum, & ignotum fuisse eo tempore constet.

[1] 2. Thess. 2.

Præterea, signa illa omnia, quæ in aduentu Antichristi euentura dixit Spiritus sanctus, iam præterierunt. euersum enim est imperium Rom. magnaque facta est inclinatio in fide. pontifex Rom. vulnus primæ bestiæ, hoc est, Romani imperii quodammodo sanauit. Imagini idem bestiæ vitam dedit, hoc est, Romanum imperiũ & vrbem Romam refecit. poculo deniq; aureo dogmata suæ abominationis põtifex Rom. toti orbi propinauit: regesque terræ ei potestatem & regnum suum iamdudum dederunt.

Signa etiam, quæ [2] Bellar. dicit vel præcessura, vel coniuncta iri cum aduentu Antichristi, clarè visa sunt. nam euangelii sonus in omnem terram exiuit, & imperium Rom. destructum est funditus, & Henoch & Helias, hoc est, euangelistæ, & prophetæ, & viri docti multos iam annos aduersus Antichristũ prædicarunt; & Antichristus maximam aduersus omnes pios excitauit persequutionem, vt nos postea vberiùs dicemus.

Patres denique suo tempore Antichristum appropinquare senserunt. [3] Cyprianus *pro certo credendum esse dicit, Antichristi tempus appropinquasse. Qui tenebat*, inquit [4] Hieronymus, *de medio fit, & non intelligimus Antichristum appropinquare?* [5] Gregorius *eum qui se vniuersalem diceret episcopum, nõ dubitat quin Antichristum præcurrerit.* [6] Idem dicit, *omnia quæ prædicta sunt facta esse, & regem superbiæ propè esse.* [7] Bernardus mox Antichristum reuelandum esse dixit, venisse autem

[2] Lib. 3. de pont. Rõ. c. 4.
[3] Lib. 4. ep. 6.
[4] In epistola ad Geront. seu ad Ageruchiam.
[5] Lib. 6. epist. 30.
[6] Lib. 4. epist. 38.
[7] Serm. 33. in cant. & serm 1. in cõuers. Paul. & ser. 6. in Psal. 90.

autem non dubitauit, neque hoc negare potest Bellarminus.

Nos verò non modò venisse Antichristum, sed etiam reuelatum esse omnibus, qui oculos veritati non claudunt, multis argumentis & authoritatib. ostendimus. & sanè nisi me animus fallit, ad argumenta illa & authoritates nunquam aduersarii articulatim respondebunt. Sed videamus núc interim quibus argumẽtis Bellar. ostendere conatur Antichristum nódum venisse. erit enim operæpretium insaniam futilis monachi minutatim animaduertere. *Sex ille signis demonstrari*[1] *dicit, Antichristum nondum venisse.* sed antequam illa explicaret, in lõgam euagatur de veterum & recentiorum de aduentu Antichristi, sentẽtiis[2] narrationem; eaque dicit, quæ nihil attinent. quid enim attinet hominem de controuersiis disputantem ea narrare, quæ à controuersia aliena sunt, & ab eis, cótra quos disputat, non tenentur?

1 *Lib. 3. de pont. Rom. c. 4.*

2 *Lib. 3. de pont. Rõ. c. 3.*

De tempore aduentus Antichristi,[3] inquit ille, *multæ falsæ suspiciones, multique errores extiterunt, tam catholicorum, quàm hæreticorum.* Sed nullus vnquã hæreticus grauiùs errauit, quàm ipse Bellarminus. patres certè qui existimarunt Antichristi instare reuelationem, nõ errarunt: nec hoc ille docere potest. Conatur quidem strenuè. & omnem eis fidem abrogare conatur: qua in re aduersus patres potiùs, quam nos pugnam instituit. nostram verò sententiam non malè confirmat, qui dicimus patres de Antichristi sede, regno, & eius duratione parum prospexisse. sed tamẽ nihil dicit, cur non rectè patres de aduentu Antichristi existimasse videantur.

3 *Ibidem.*

4 Recitat etiam *Samosatenianorum Transyluanorum* errorem de Antichristo. sed cum istis nihil nobis est, neque vnquam erit negotii. imò nostræ ecclesiæ viri aliquot pii teterrimorum istorum hominum hæreses, quas illi ex monachorum claustris, & ex hæreseôn omnium sentina Italiâ attulerãt, istis stertentib. accuratè refutarunt. isti verò fusis & cæsis hostib. articulatim eos concîdunt, vt victoriæ alienæ laudes ad se trãsferant, aut saltem rei gerendæ interfuisse videantur.

4 *Col. 845.*

1 Col. 845. & 846. & seq. Nostrorum deinde hominum 1 recitat opiniones, quas valde cupit discrepantes videri. Sed nostri omnes præclarè sibi consentiunt, & vna voce asserunt Antichristum venisse. ipse verò, vt speciem aliquam repugnantiæ in eis ostendat, de nostris multa suo more mentitur. Asserit *Illyricum in catalogo testium veritatis dicere Antichristũ venisse, quando cœpit Romanum imperiũ inclinare, hoc est, tempore Honorii imperatoris.* Sed hoc mendacium est crassum. ipse enim nihil eius dicit eo in libro. imò cõtrarium docet: nempe *circa Phoca tempora apertè se ostendisse Antichristum, & eius regnum postea quotidiana incrementa cepisse.*

De Chytræo affirmat, *quod apertè significarit Gregorium primum fuisse pontificem Antichristianum.* Sed hoc nec apertè, nec clàm facit: nec ea nostra est sententia. nam & ante Gregorium noxia quædam dogmata, quæ ad fundandum Antichristi imperium conferebant, aliqui episcopi Rom. tenebant: non tamen omnes, qui ad regnum hoc fundandum operam suam accommodabant, Antichristi erant.

2 Col. 849. De Bullingero 2 scribit, *quod in præfatione in homilias suas in Apocalypsim dixerit, Antichristum apparuisse anno Domini 763.* Sed nihil eius dicit Bullingerus. imò nec de origine Antichristi verbum facit, sed tantùm numerum 666. cuius mentio fit Apocal. c. 13. ab edita Apocalyps. computat. De pontifice autẽ Rom & Antichristo nobiscum pulchrè cõsentit, & aliter existimat, quàm iste narrat, vt ex ipsius verbis satis liquet. *Ponti-*

3 In c. 13. Apoc. *fex Rom.* inquit 3 Bullingerus, *initium quidem dominii iecit sub Phoca: sub regibus Francorum fundauit regnum: ampliauit sub Henricis & Fridericis: confirmauit demum sub sequentibus aliquot regibus: regnat nostro seculo, ac præcedentibus aliquot.*

4 Col. 848. *Lutheri* quoq; sententiam arrodit 4 Bellar. sed dentem allidit solido. stat enim illa inuicta & semper stabit. nam in gladio spirituali & temporali omnis stat Papatus: & illum pontifex Rom. eminentissimè habuit tempore *Phocæ*; hunc demum post annũ millesimum adeptus est: atque hoc verè Lutherus affirmauit.

Affirmat postremò, *Musculum in locis communibus,*

capite

capite de Ecclesia 12. docere, *Antichristum venisse paulò post tempora Bernardi.* Sed aut non inspexit locum, aut omni conscientiæ abiecto sensu mentitur. Musculus enim eo in loco ne verbum quidem vnum facit de aduentu Antichristi.

Sed satis iam Bellarminum extra viam euagantem persequuti sumus: nunc ergo in viam iterum regrediemur. *Sex esse signa aduentus Antichristi* [3] dicit: nempè *Prædicationem euangelii in toto mundo*, *Imperii Romani desolationem*, *Prædicationem Henoch & Heliæ*, *Persequutionem ecclesiæ generalem*, *Interitum Antichristi*, & *Finem mundi*. atque hæc signa ille *à Spiritu sancto in scripturis data esse contendit*. Sed neque verum est Spiritum sanctum hæc omnia signa aduentus Antichristi præmonstrasse; neque illa signa quicquam demonstrant, præter insignem Bellar. stultitiam & impudentiam.

[3] *Lib. 3. de pont. Rom. c. 4.*

Quod ad primum signum attinet, [4] negamus vel prædicationem euangelii signum esse aduentus Antichristi; vel euangeliū non esse ante multa secula vbiq; prædicatum. Primum probatur primò, quia Christus asserit prædicationem euangelii generalem præcessuram aduentum suum, & non aduentum Antichristi. *Prædicabitur*, inquit [5] Christus, *hoc euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio*. Secundò, quia similiter patres asserunt prædicationem euangelii præcessuram consummationem seculi, & non aduentum Antichristi. Ita disertè asserit [6] Hilarius, ita [7] Cyrillus, ita [8] Theodoretus & reliqui omnes, præter vnum Damascenum. Tertiò, quia Antichristus non antea palam dominabitur, quàm euangelium palàm prædicari desierit. ipse enim ex ecclesia & templo Dei efficiet synagogam Satanæ: quod nisi cessante vera & Apostolica prædicatione fieri non potest. Postremò, quia apostolorum temporibus operari cœpit mysterium iniquitatis, quo tempore multæ gentes de Christo nihil fere audierāt. at tum videtur Antichristus & originem habuisse, & sui regni primum fundamentum posuisse.

[4] *Primum Bellarm. signum, quod Antichristus nondum venerit, refellitur.*

[5] *Matt. 24.*

[6] *Can. 25. in Matth.*

[7] *Catech. 15.*

[8] *In 2. Thessal. 2.*

At, inquit [9] Bellar. *Scripturæ testantur in toto mundo*

[9] *Col. 850.*

prædicandum Euangelium antequam veniat vltima persequutio, quæ excitabitur ab Antichristo. Sed neq; illud verum est: neque, vt verum esset, propterea prædicatio euangelii erit signum aduentus Antichristi. *Non primum*, quia Christus non dicit prædicationem euangelii præcessuram aduentum Antichristi, sed *consummationem seculi. Non secundùm*, quia multa præcedunt, quæ non sunt signa eius quod sequitur. sic præcessit aduentum Christi regnum Machabæorum, quod tamen eius signum non erat, & tempestas præcedit serenitatem, cuius tamen nihil minùs est, quàm signum.

Dicit præterea hoc *signum confirmari testimoniis patrum.* Sed nisi frontem planè perfricuisset, nunquam ille patres in hac causa citasset. omnes enim, excepto Damasceno, dicunt prædicationem præcessuram aut consummationem seculi, aut desolationem Hierusalem, & non aduentum Antichristi; de quo in locis à Bellarm. citatis altum est silentium. Damascenus autem, etsi putet prædicationem euangelii vbique futuram ante aduentum Antichristi: non tamen dicit eam signum esse aduentus Antichristi. imò potiùs signum est, vt dixi, quod non palàm aduenerit. non ostendet enim se in templo Dei, antequam verbi lucem sub modio occultauerit, & suas leges pro verbo Dei obtruserit.

Secundum, hoc est, *Euangelium iampridem vbique esse prædicatum*, probatur *primò*, quia Apostolorum temporibus [1] *exierat sonus eorum in omnem terram:* & euangelium tum [2] *prædicatum fuit vniuersæ creaturæ sub cœlo*, vt loquitur apostolus. neque sanè dubitare debemus apostolos Christi mandatum implesse, qui illos ad [3] *omnes gentes* prædicatum emisit. Probatur *secundò* ex historiis, & patribus, ex illis enim intelligimus euangelii doctrinam per apostolos, & ipsorum successores vbique propagatam esse. *Signum Dominici aduentus*, inquit [4] Hieronymus, *est, euangelium in toto orbe prædicari, vt nullus sit excusabilis: quod aut iam completum, aut in breui cernimus esse complendum. non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret.*

[1] Rom. 10.
[2] Coloss. 1.
[3] Matth. 28. & Marc. 16.
[4] In Matth. 24.

ignoret. Similiter Cyrillus: *Et ferè, vt videmus,*[5] inquit, *totus mundus doctrina Christi repletus est. Ipse terrarum orbis,* inquit[6] Chrysostomus, *ipsi terrarum fines audiuerunt.* [5] *Catech.* 15. [6] *Hom.* 18. *in epist. ad Ro.*

Respondet Bellarm. ad loca Pauli Rom. 10. & Coloss. 1. *apostolum accepisse præteritum pro futuro, vbi dicit,* sonum eorum exiuisse in omnem terram: & cum ait Coloss. 1. Euangelium esse in toto mundo, *non voluisse dicere esse actu, sed virtute.* atque ita dicit *exponere*[1] *Augustinum in epistola ad Hesychium.* Sed nec loci ad Colossenses meminit: tantum abest vt ita exposuerit: nec verum est apostolum accipere præteritum pro futuro. loquitur enim de eis, qui audientes non obediebant. eos autem iam audiuisse necesse erat. Præterea; ridiculum est quod dicit, *Euangelium non fuisse in mũdo actu, sed virtute.* nam apostolus dicit, *iam prædicatum fuisse in vniuersa creatura; quæ sub cælo fuit.* & sanè ab initio mundi Euangeliũ fuit in toto mundo: & apostolus aliud dicere voluit. nostræ ergo rationes rectè consistunt; rationes autem ipsius oppositæ nihil valent. [1] *Epist.* 80.

Dicit[2] Christus Euangeliũ *in vniuerso orbe esse prædicandum in testimonium omnibus gentibus.* at non loquitur de aduentu Antichristi, sed de aduẽtu suo. Præterea, quod Christus dicit faciendum, hoc apostolus Rom. 10. & Col. 1. factũ dicit. At, inquit Bellar. *Christus simpliciter & propriè loquitur, vbi dicit, omnibus gentibus.* quasi verò non idem spiritus loquutus sit per Paulum, qui per Matthæum & Christum; & non eadem sit ratio vtriusq; loci. [2] *Matth.* 24.

Præterea,[3] dicit *in omni gente prædicari debere Euangelium, & ecclesias constitui: nam ita docere Augustinum, Origenem & Hieronymum: & illud tribus argumentis confirmari. nempe, quia prædicatio hæc signum erat consummationis seculi; & quia omnes gentes Christo datæ erant; & quia aliter gentes non essent inexcusabiles.* Sed primum repugnat Christi verbis. dicit enim Euangelium prædicari debere *in testimonium gentibus,* & non ita, vt ex omnibus gentibus constituantur eccle- [3] *Col.* 15.

4 Epist. 80. siæ. [4] Augustinus in omni parte mundi ecclesias constituendas dicit, & non in omnibus gentibus & insulis. Origenes & Hieronymus nihil habent de constituendis ecclesiis, & hic dicit, *ideo prædicandum esse euangelium omnibus, vt sint inexcusabiles.* illi autem sunt inexcusabiles, qui vel audierunt, vel audire potuerunt. Ad argumenta respondeo, sufficere vt ita prædicetur Euangelium, vt omnes gentes sint inexcusabiles. nam ita prædicationem posse signum esse consummationis seculi, & ita omnes gentes Christo datas esse, vt possint ad Christum venire. quod autem ex prædicatione generali omnes gentes redduntur inexcusabiles, non docet ecclesias in omnibus gentibus constituendas esse.

Dicit præterea *Vandalos, Morauos, Polonos, & alios non audiuisse prædicationem Euangelii, nisi post annum Christi* 800. *& in oriente & occidente regiones haberi vastissimas, in quibus nulla extat memoria Euangelii.* Sed
5 Rom. 10. quis hoc illi significauit? Apostolus [5] dixit *sonum Eu-*
6 In Matth. 24. *angelicæ prædicationis exiisse in vniuersum orbē.* & [6] Hieronymus *nullam putat remansisse gentem, quæ Christum ignoraret:* nec quisquam hoc factum fuisse negat. Prȩterea, nō sequitur, licèt nunc memoria perierit Euangelii apud nonnullas gentes, eas nunquam antea Euangelium audiuisse: aut quia Vandali, Poloni, Moraui, & aliæ gentes serò conuersæ sunt, propterea nullū inter eos ante illud tempus Euangelium vnquam audiuisse.

7 Lib. 3. de consid. ad Eugen. Bernardus autem non [7] dicit, *quasdam fuisse gentes, quæ suo tempore non audierant Euangelium,* vt mentitur Bellarm. sed *quæ non erant conuersæ ad Euangelii prædicationem.* multum autem interest inter hæc duo, non audire, & non conuerti ex auditu verbi Dei.

Ex hoc signo ergo nihil pro pontifice Rom. rectè concluditur. contra ipsum verò optimè argumentamur. Nam vt concedamus prædicationem Euangelii generalem esse certum signum aduentus Antichristi; tamen certum est fidem Euangelii vbique sonuisse. hoc enim nos probauimus. venit ergo Antichristus.

Quod

Quod ad secundum signum attinet, non [8] negamus euersionem imperii Rom. signum esse, non aduentus quidem, sed certè regni & reuelationis Antichristi: atque si non sit signum, hanc euersionem tamen præcedere debere reuelationem Antichristi censemus. neque opus erat, vt tam multis argumentis & testibus Bellarm. hoc confirmaret. Sed nos hoc signum iam euenisse & præteriisse dicimus, & hoc etiam multis argumentis confirmauimus. Nam Roma non iam imperat, sed seruit. imperator, qui dicitur Romanorum, Germanus est, & non Romanus; idemque non Romanis imperat, sed Germanis. Postremò, non succedit imperatoribus Rom. sed Francis, qui debellatis imperatoribus Græcorum, qui antea dicebãtur imperatores Rom. ius illud armorum potentiâ acquisiuerunt.

[8] *2. demonstratio ex 2. signo, quod Antichristus nondum venerit, refellitur.*

Respondet [9] Bellarm. *imperium Rom sine vrbe Roma posse consistere, & imperatorem Rom. dici, modò succedat alteri imperatori Rom. Valentem enim, & Arcadium, & Theodosium iuniorem, & alios eorum successores vsque ad Iustinianum imperatores fuisse, licèt Roma caruissent. Carolum etiam Magnum & successores imperatores fuisse Rom. licèt vrbe potiti non essent.* Sed primò absurdè comparatur, qui nunc dicitur Romanorum imperator, cum *Valente*, & *Arcadio*, & *Iustiniano*, & *Caroli* successoribus. nam isti aut ius in vrbe habuerunt, tanquam legitimi imperatorum successores, aut nullo modo dici meruerunt imperatores. Valens autem & Arcadius, & Iustinianus vrbe potiti sunt. Similiter Carolus & eius successores ius dixêre Romanis, & magistratus ibi cõstituerunt At post Bonifacii 9. tempora omne ius suum successores Caroli amiserunt, & põtifices Rom. illud ad se transtulerunt. neque enim post Bonifacii 9. tempora imperatores magistratus in vrbe Româ constituerunt, nec leges dedêre, aut ius dixêre Romanis.

[9] *Lib. 3. de pont. Rom. c. 5.*

Dicit præterea, *manere adhuc successionem, & nomen imperatorum Rom. & imperium occidentale esse alteram tibiam statuæ Danielis.* Sed frustra ille nomen imperatoris Rom, iactat, vbi sedes imperii ad alium pertinet.

Præterea, falsissimum est, successionem manere. Carolus enim Magnus non aliter successit imperatoribus Rom. quàm victores regibus debellatis. tibiæ denique statuæ Danielis non tantùm Romanum imperium diuisum, sed etiam integrum significarunt.

Vniuersa denique huius capitis disputatio, aut res à proposito alienas, aut falsas continet. Dicit [1] primò *imperium Romanum ita desolandum, vt nullus futurus sit, qui dicetur rex Romanorum. & hoc probare Irenæum ex Dan. cap. 2. & 7. & idem probari ex Apocalyps. 17. & 2. Thessal. 2. & ex Tertulliano, Lactantio, Hieronymo & Augustino.* Quo in loco nescio vtrum maiorem stultitiam, an impudentiam ostenderit. Stultum erat falsum asserere illud verò impudentiæ signum euidentissimum est, testes adhibere, qui vel nihil deponunt ad propositum, vel contra producētem loquuntur: quod ipse tamen fecit. Irenæus *quartum regnum* [2] dicit *diuidendum esse inter decem reges.* sed vtrum eorum aliquis dicendus sit rex Romanorum; aut secus; ne gry quidem habet. At, inquit [3] Bellarmin. vt *decem digiti ex duabus tibiis orientur, quorum tamen nullus est tibia: sic decem reges orientur ex imperio Romano, quorum nullus erit Romanorum imperator.* Sed hoc Bellarmini est argumentum, & non Irenæi testimonium. Præterea, argumentum hoc ex allegoria ductum extra Scripturæ sententiam nihil valet. Imò stultè conclusum est. tibiæ enim illæ designabant imperium, & non imperatores: atque ita rectè concludere potuit decem reges non fore Romanum imperium; potiùs quàm non fore aliquem ex eis Romanum imperatorem appellandum. Contra ipsum verò rectè ex hac allegoria concludere licet: quoniam decem reges ex duabus tibiis enasci debuerunt, & vna tibia, hoc est, imperium orientale, funditus interiit; idcirco iam saltem quinque esse reges ex decem. deinde, quia digiti isti sunt pars tibiæ, ideo reges illos partem, aut speciem habere Romani imperii. idque experientia quodammodo docuit. nam ex ruina imperii orientalis partem illam imperii quæ reliqua erat, Franci ad se transtulerunt. [1] Dicit præterea *decem reges quorū mentio fit*

[1] Col. 853.

[2] Lib. 5. aduers. hæres.

[3] Col. 853.

[1] Col. 854.

tio fit Apocal. 17. odio habituros fornicariam, & desolatam eam facturos. Sed non inde sequitur, nullum eorum habiturum nomen imperatoris Romanorum. nam victores gentium victarum se reges appellare solent, vt Galli & Normanni se appellarunt reges Neapolis & Siciliæ. Ex hoc autem loco validum contra ipsum habemus argumentum: nam etsi perdent illi imperium Romanum; tamen dicit [2] Spiritus sanctus, *quod regnum dabunt bestiæ,* hoc est, pontifici Rom. seu vbi Romæ. nam per septem capita bestiæ, septem colles intelliguntur. [2] *Apoc. 17.*

Significat quidem [3] Paulus imperium Romanum *desolandum fore ante aduentum Antichristi*, & hoc nos impletum videmus: sed vtrùm ita sit desolandum, vt nullus vlteriùs dicatur imperator Rom. quod Bellarmino probandum erat; nihil ex ipsius verbis colligimus. [3] *2. Thess. 2.*

Ex [4] Cyrillo etiam, [5] Chrysostomo, Theophylacto, & Oecumenio intelligimus exscindendum fore imperium Rom. ante aduentum Antichristi. quæ omnia docent põtificem Rom. esse illud cornu, quod inter alios reges, tanquam ex ruinis & ruderibus imperii Rom. enatum, vt inquit [6] Daniel, os habebit loquens grandia; & Antichristum post imperii Rom. desolationem exortum esse. sed vtrum aliquis post imperii Rom. ruinam & occasum sequi, & regnare debeat, qui dicẽdus sit rex Romanorum, illi ne verbum quidem vnum loquuntur. adeo vt prorsus oblitus videatur Bellarminus eius, quod probandum susceperat. [4] *Catech. 15.* [5] *In 2. Thessal. 2.* [6] *Dan. 7.*

[7] Tertullianus dicit post clausulam imperii Rom. magnas in orbe terrarum consequuturas calamitates: & [8] Lactantius ante finem mundi magnam fore regnorum cõuersionem & mutationem vaticinatur. Similiter [9] Hieronymus & [1] Augustinus existimant nõ ante reuelatum iri Antichristum, quàm sublatum fuerit imperium Rom. Sed nihil illi de modo huius tantæ desolationis loquuntur: neque sanè negant aut aliquam superfuturam imaginem imperii, aut aliquem dicendum esse imperatorem Romanum, quod [7] *Apol. c. 32.* [8] *Instit. lib. 7. c. 5.* [9] *Ad Algasium. q. 11.* [1] *Lib. 20. de ciuit. Dei.*

Bellarmin. cui exciderunt fortasse mandata, probandum erat. nequicquam ergo isti in hac causa testes citantur.

[a] Lib. 2. c. 4. Dicit [a] Orosius Deum mitiùs egisse cum Romanis, quam Babyloniis: capta enim vrbe à Gothis *Honorium* superfuisse, & imperium non prorsus occidisse. Sed nihil hoc ad propositum. imperium enim Rom. licèt valdè concussum & attenuatum, non antè interiisse putamus, quàm Roma & Italia imperatorib. Ro. erepta esset; quod sub Bonifacii noni papatum euenisse videmus.

Asserit deinde Bellarm. *nostros existimare sufficere inclinationem imperii ad aduentum Antichristi.* Sed nostram ille sententiam non intelligit, aut studiosè celat & occultat. nos enim existimamus Antichristum primò venisse occultò & clàm, idque stante imperio. mysterium enim hoc iniquitatis maturè operari cœpit. sed aduentum eius apertum, seu potiùs eiusdem reuelationem, non nisi post euersum imperium Rom. factam credimus. Existimamus etiam non ita tollendum imperium, quin aliqua eius imago superesse debeat, idq; vel in imperatore, dum aliquis dicetur Romanorum rex; vel in pontifice Rom. idque præcipuè, dum ipse vrbe Roma, & papatu Rom. potitus, imperii Rom. quandam speciem præ se feret. Hoc autem probatur primò, quia secunda bestia Apocal. 13. hoc est, Antichristus, potestatem omnem illam habebit. quam habuit prima bestia, hoc est, Romanum imperium; & quia datum est ei, vt spiritum daret imagini primæ bestiæ, id est, pontificio regno.

[8] Apoc. 17. Secundò, bestia illa cui reges terræ post desolatum imperium Rom. regnum [9] dabunt, significat imperium Rom. sub Antichristo. necesse est ergo vt species imperii remaneat.

Tertiò, verba Apoc. 17. *bestia erat, & non est, & tamē est*; de Romano imperio necessariò intelligenda videntur. nam sublata potentia, maiestate, & robore imperii, nomen tamen supererit.

[1] Daniel. 2. Quartò, tibiæ [1] ferreæ cum pedibus partim ferreis, par-

partim fictilibus, quæ confitente Bellarm. imperium Rom. significant, non nisi à Christi regno æterno cōminuendæ erant. manere ergo debuit quasi imago & vmbra imperii euersi in pedibus fictilibus vsque ad secundum Christi aduentum.

Postremò, dicit [2] Daniel post quartum regnum *regnaturos sanctos in secula seculorum:* quod ostendit mansuram esse imperii imaginem vsq; ad finem seculi. Nec huic sententiæ aduersantur vel Pauli verba, vel patrum testimonia. nam licèt funditus asserant tollendum imperium, quod nos iampridem impletum videmus; non impediunt tamen quò minùs aliquis dicatur imperator Romanorum, & aliqua supersit imperii imago. — [2] *Ibidem.*

Ad argumentum nostrum aduersus pontificem, qui sanauit quodammodo vulnus primæ bestiæ, respondet [3] Bellar. *nusquam se legisse ab Antichristo sanandam bestiam, quæ Romanum imperium significabat.* Quasi verò prima bestia Apocal. 13. non significet Romanum imperium; aut vllum tum esset aliud imperium, quod super omnes nationes, linguas & tribus dominaretur; aut non ita patres exponerent; aut omnino verisimile esset, per hanc primam & secundam bestiam Apocal. 13. vnum Antichristum figurari; aut denique non planè absurda sit Bellarmini interpretatio. dicit enim *per caput lethaliter vulneratum intelligi Antichristum, qui finget se mortuum, & arte diabolica se iterum excitabit.* sed non opus erat arte diabolica ad eum excitandum, qui tantùm se fingeret mortuum. Præterea, Spiritus sanctus dicit vnam bestiam nō à se seipsa, sed ab alia sanatam iri. Nec obstat, quod Gregorius, & aliqui recentiores ex patribus hanc interpretationem aliqua ex parte probasse videantur. nam qui vixerunt ante tempora reuelationis Antichristi, diuinare non poterant, quid futurum esset. qui autem post eius reuelationem vixerunt, nesciuerunt quid fingerent, vt à pontifice Rom. suspicionem hanc, quòd ipse esset Antichristus, abstergerent. — [3] *Col. 856.*

Dicit [4] *postremò textum cogere, vt per illud caput bestiæ, quod lethaliter vulneratum erat, & reuixit, non intelliga-* — [4] *Col. 856.*

imus Carolum Magnum, sed Antichristum. Sed veriùs ineptiæ istæ cogunt vel ipsos aduersarios fateri Bellarminum planè captũ esse, & nihil habere quod respondeat. Nos sanè per caput illud vulneratum nec Carolum Magnum intelligimus, nec Antichristum, sed imperium Rom. quod primò per Gothos & Vandalos, deinde per Francorum violentiam grauiter vulneratum est, & à pontifice Roman. qui ex consensu populi Rom. Carolum Magnum dixit imperatorem, & postea Romæ imperare ipse cœpit, quodammodo restitutum. Quod si ergò hæc contra nos disputauit; aut somniauit, aut delirauit, aut conscientiæ stimulo ictus malè cohærentia & aliena loquutus est.

Atq; ita videmus nihil impedire signum hoc, quò minùs Antichristus venerit, & in põtifice Rom. se publicè & palàm ostenderit. quod etiã ex hoc signo probari potest. nam si euerso imperio Romano, & Spiritus sanctus, & patres ecclesiæ prædixerint Antichristum reuelandum fore; necesse est, iamdudum euerso imperio isto Antichristum reuelatum esse. si nolint ergo aduersarii suum pontificem esse Antichristum; ostendant alium, nos istum interim, dum illum alium quærunt, Antichristum esse non dubitabimus.

5 3. demonstratio quod Antichristus nondum venerit, refellitur.
6 Lib. 3. de pont. Rom. c. 6.
7 Matth. 17.
8 In cap. 4. Malach.
9 Matth. 11.
10 Col. 859.

5 Tertium signum quod Antichristus nondum venerit, 6 Bellarminus hoc dicit esse, *quod Henoch & Helias, qui adhuc viuunt, non venerint vt se opponant Antichristo.* Sed hoc signum nihil aliud est, quàm vanũ Iudæorum ex traditione Rabbinorum suorum receptũ somnium. *Quid ergo scribæ dicunt,* 7 inquiunt discipuli ad Christum, *quia Heliam oportet primùm venire?* Scribarum ergo erat hoc somnium. quod & 8 Hieronymus testatur. *Iudæi & Iudaizantes hæretici,* inquit ille, *ante ἠλειμμένον suum putant Heliam esse venturum.* videant ergo aduersarii, quomodo hæresis suspicionem à se amoliri queant, si hanc de Helia traditionem recipiant. Hoc Iudæorum & hæreticorum commentum 9 Christus refellit. Loquens enim de Ioanne baptista: *iste est,* inquit, *Helias qui venturus est.* Respondet 10 Bellarm. *Dominum velle dicere, Ioannem fuisse Heliam promissum, non ad literam, sed allegoricè.* Sed Christus osten-

dit

dit nullum alium aut promissum fuisse, aut exspectandum esse. neq; potest ille ex Christi verbis euincere, alium Heliam venturum esse. De aduētu Henoch nullum habet vel Scripturæ canonicæ textum, vel Patris alicuius antiquioris testimonium, quo sententiā suam probet. at contra ipsum nos habemus istas rationes. Primò, nullum locum assignare possunt aduersarii, vbi Henoch & Helias tamdiu vixerint. Deinde, causam dicere non possunt, vel huius longæ ætatis, vel cur isti duo aduersus Antichristum depugnent. Præterea, nihil probabiliter comminiscuntur, vel cur illi à facie Dei tam diu excludantur, vel quomodo Helias raptus in curru igneo viuere potuerit. Postremò, dicit Spiritus sanctus [1] Heliam *per turbinem ascendisse in cœlum*, & non in paradisum, quem isti vel in terra, vel in aere esse fingunt extra cœlum. [1] 4.*Reg*.2.

Rationes autem à Bellarmino allatæ non docent Heliam & Henoch sub finem seculi vēturos, vt se Antichristo opponant. Dicit quidem Deus per prophetam Malachiam, *quod missurus sit Heliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus.* sed verba ista [2] Christus, interpres longè præstantissimus, de Ioanne Baptista intelligenda esse docet, vt antè diximus. [2] *Matth*.11.
[3] Angelus etiā ad Zachariam de Ioanne verba faciens. [3] *Luc*.1.
Ipse, inquit, *præcedet in conspectu illius cum spiritu & virtute Heliæ.* Hanc deniq; interpretationem confirmat [4] Hieronymus, & dicit *prophetam per Heliam intellexisse* [4] *In cap*.4.
Ioannem Baptistam. At inquit [5] Bellar. *non possunt verba* *Malach.*
Malachiæ intelligi de quibuscunq; doctoribus. Malachiam [5] *Col*.857.
enim loqui de Iudæis conuertendis, & Ecclesiasticum dicere tribus Iacob restituendas esse. Sed de Ioanne rectissimè hæc exponuntur, vt diximus. nugas ergo agit Bellarm. nec pugnat illa expositio vel cum verbis Malachiæ, vel Ecclesiastici; nec aliquid aliud affert, quò minùs illa ad omnes etiam pios doctores pertineant. neq; enim putandum est Scripturas pro Iudæis tātùm fuisse editas, aut solum Heliam cōtra Antichristū pugnaturum. Respondet præterea *non posse intelligi hæc de Ioanne Baptista ad literam. nam Malachiam loqui de secundo Domini aduentu, & de die Domini magno &*

horribili. At Christus multo melior interpres nostram interpretationem confirmat, & ipsius reiicit: & ipse contextus & historia nobiscum facit. non est enim in contextu dies horribilis, sed dies reuerendus, seu gloriosus: in Hebræo enim est הנורה. & Ioannem ante faciem Christi missum intelligimus, qui præpararet corda hominũ, ne propterea Deus percuteret terram anathemate, quia illi Christum reiiciebant. Postremò, prophetæ veteris testamenti missi sunt, qui de primo Christi aduentu prophetarent. hæc ergo ad Christum & Ioannem potiùs, quàm ad Antichristum & Heliam prophetam pertinent.

Ecclesiasticus loquitur quidem de Henoch & Helia, sed non dicit eos vel iterum in terram redituros, vel cum Antichristo pugnaturos; quod Iansenius vir Bellarmino multò melior, exponens locum istum fatetur. Præterea, non dicit istos simul venturos, quod isti contendunt. Postremò, non dicit Henoch *venturũ, vt det gentibus pœnitentiam,* vt habet Bellar. *sed translatum esse in exemplum pœnitentiæ.* nam ita est in originali Græco, μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας: nempe vt homines à peccatis resipiscerent, dum viderent in gloriam translatos, qui se à sceleratis segregassent.

Christus verò vbi opinionem scribarum *de venturo*
7 Matth. 17. *Helia* à discipulis audiuisset; statim 7 subiũgit, *Elias iã venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt.* Nec obstat, quod dicit *Heliam quidem venturum:* nam nihil aliud dicere voluit, quàm verè scribas sensisse Heliam venturum. sed non alium intellexit Heliam, quàm Ioannem Baptistam: nisi fortè veri & fideles Christi serui, qui contra Antichristum pugnabunt, Heliæ nomen mereantur.

In Apocalypseôs cap. 11. nec nomen extat Henoch vel Heliæ; tantùm abest, vt Ioannes eos redituros, & contra Antichristum prædicaturos dixerit. Præterea, nec verisimile est Spiritum sanctum eos intelligere, cum prophetia illa in piis quibusuis doctoribus impleri possit, ne necesse sit homines iam vitæ laboribus defunctos, ex cœlo ad stabilienda Papistarum somnia deuocare.

Patres ecclesiæ prophetias de rebus futuris exponẽtes, dubiè & incertè loquuti sunt. ne aduersarii quidem omnes eorum sententias recipiunt: & meritò. erant enim interpretes, & non prophetæ. in hoc autem somnio de Henoch & Helia, ex veteribus aut paucos, aut nullos habent suffragatores. [8] Hilarius asserit *Ioannem in spiritu & virtute Heliæ venisse.* neq; præterea vllum alium Heliam venturum significat. [8] *Can. 17. in Mattth.*

Hieronymus de Helia [9] narrat traditionem Iudæorum, sed de Henoch nihil habet. imò nihil habet, quomodo Helias cum Antichristo pugnabit, & ab illo occidetur: quæ tamen isti credunt. in epistola verò ad Marcellam non aliter, quàm fabulam, hanc traditionem habet. *De Henoch & Helia,* inquit ille, *quos Apocalypsis venturos & morituros refert, non est huius temporis disputatio, cum totus iste liber aut spiritualiter intelligendus sit, vt nos existimamus, aut si carnalem interpretationem sequimur, Iudaicis fabulis acquiescendum sit, vt rursus ædificẽtur Hierosolymæ, & hostiæ offerantur in templo, & spirituali cultu imminuto, carnales obtineant carem oniæ.* Videtis ergo eum existimare, eos Iudaicas fabulas sequi, qui Henoch & Heliam corporaliter expectant. [9] *In Matth.* 17.

Dicit quidem [1] Origenes *Christum nõ reprobare, quæ à scribis tradita fuerant de Helia:* sed nec dicit eum traditionem hanc probare. Papistę autem quæ nec Iudęi vnquam somniarunt, ea credunt: nempe Henoch & Heliam contra Antichristum prædicaturos, & ab eo occisos iri, quarum rerum nullum extat apud Origenem vestigium. [1] *In Matth.* 17.

Chrysostomus nihil habet de Heliæ pugna cũ Antichristo, aut de eius persequutione. neque vel Theophylactus, vel Zigabenus huius aduentus Heliæ meminerunt, vbi exponunt 17. cap. Matthæi. Falsum est ergo quod dicit [2] Bellar. *omnes huius loci interpretes de Helia ea sentire,* quæ ipse credit. [2] *Col. 860.*

[3] Lactantius de Helia ne gry quidem loquitur. tantùm meminit magni cuiusdam prophetæ, quem dicit non cum Antichristo, sed cum rege ex Syria nascituro pugnaturum. [4] Augustinus prorsus euertit Bellarmini [3] *Lib. 7. instit. c. 17.* [4] *Tractat. 4. in Ioan.*

sententiam. dicit enim *prophetiam de Helia in Ioanne Baptista impletam esse.*

De prædicatione Henoch, & pugna eius cum Antichristo nullum pro se habet Bellar. ex veterum scriptis testimonium. *De Henoch*, inquit [5] Arethas, *testimonium quidem, quod ad aduentum spectat, ex Scriptura non habemus, præter transpositionem, ne gustaret mortem:* idem tamen ex traditione illud receptum dicit. sed vnde nobis constet talem olim temporibus apostolorum fuisse traditionem, cum ex vetustioribus patribus nemo hoc asserat, & nonnulli planè fabulam esse Iudaicam [6] doceant?

[5] *In Apocal. 11.*

[6] *Hieron. in epistol. ad Marcellam.*

[7] Augustinus quidem scribit Henoch & Heliam credi redituros ad vitam; sed nec tempus, nec causam reditus eius dicit, nec ad Bellar. sententiam vllo modo appropinquat.

[7] *Lib. 9. de Gen. ad literam.*

Gregorius lib. 21. moralium nullam facit de Helia & Henoch mentionem. eius autem libri tantùm 16. capita sunt. librum ergo Bellar. aut non inspexit, qui caput 36. allegat, aut memoria lapsus est. Libro autem moralium 9. cap. 4. meminit quidē Heliæ Gregorius, sed nihil habet de agone eius aduersus Antichristum: de Henoch autem nullum ibi habetur verbum. tantùm *duos eximios prædicatores* dicit *morte dilata subtractos esse.* sed quid hæc ad prædicationem ipsorum contra Antichristum, & ad mortem, quam aduersarii credunt eos subituros?

Ioannes Damascenus, Beda, & Richardus de sancto Victore recentiores sunt, & somnia hæc sua fortasse ex monachorum antris acceperant. nos autem testes incorruptos & antiquæ fidei patres exhiberi postulamus.

Illa oratio de cōsummatione mundi, quæ sub Hippolyti nomine edita est, nec ipsius esse videtur, nec alicuius viri docti. Præterea noua quædam de Antichristo, & prædicatione contra ipsum futura docet. Antichristum enim dicit Diabolum futurum; quod Ioannes [1] Damascenus & reliqui ferè omnes negant: & nō tātùm Henoch & Heliam, sed etiam Ioannem Baptistam

[1] *Lib. 4. de fide.*

stam contra Antichristum prædicaturum existimat; & multas præterea tales effutit nugas.

At inquit [2] Bellar. *nulla reddi potest ratio, cur isti duo rapti in carne adhuc viuant, nisi vt prædicent contra Antichristum, & ab eo occidantur.* At fides nostra non debet rationi, sed verbo Dei inniti. Præterea, nulla ratio cogit, vt eos qui hinc translati sunt in loca beatorũ, contra communẽ hominum sortem ad vitam redituros, & mortem perpessuros credamus. Patres certè qui dicunt eos viuere, huiusmodi rationem tacent: vnde constat eos alia ratione ductos, eos translatos fuisse, & adhuc viuere, credidisse. [2 *Col. 869.*]

Postremò, nulla ratio afferri potest, cur non mortui esse credantur. *Qua ratione*, inquit [3] Augustinus, *qui in Adam mortui erant, non gustarent mortem, dici non potest.* Huc accedit, quod tẽpore Christi Helias glorificatus fuisse videtur. Apostoli enim videntes Mosem, & Heliam, & Christum transfiguratum, obstupuerũt. quomodo autem glorificatus est homo mortalis, qui non est mortuus? Præterea, dicit [4] apostolus, quod caro corruptibilis incorruptibilitatem possidere non potest. Deinde locum paradisi terrestrem, vbi dicunt Henoch & Heliam asseruari, diluuio periisse constat. *Postremò*, patres in paradisum asserunt Henoch & Heliã translatos, vbi nunc patres beatitudine fruuntur. At nullus fruitur beatitudine æterna, nisi Deum videat; nec quisquam in carne ista mortali Deum videre potest. necesse est ergo mortuos esse, & in cœlum translatos, quod & magistri [5] Iudæorũ sentiunt. Nulla certè in contrariũ adduci potest Scriptura. nam vbi apostolus dicit *Henoch translatum, ne videret mortem:* illud intelligendum est vel de morte communi, vel de morte ei ab impiis inferenda, vel de sensu aut mora mortis. [3 *In Genes. ad lit. lib. 9. c. 6.*] [4 *1. Cor. 15.*] [5 *Rabbi Salomon in c. 5. Gen.*]

Patres etiam loquũtur de morte communi, quæ est separatio animę à corpore: & ea morte negant Henochum & Heliam mortuos esse. Irenæus [6] dicit *translatos esse in paradisum, vbi & patres sunt.* Sed hoc fieri non potest, nisi post corporum immutationem. neq; potest quisquam mortalis, nisi deposita mortalitate, ibi degere, vbi patres visione Dei fruuntur. [6 *Lib. 5. aduer. hæres.*]

[7] *Lib. de Henoch.*

7 Tertullianus dicit Henoch esse *candidatum æternitatis*. quomodo autem æternitatis frui potest luce & candore, qui postea est moriturus?

[8] *In Anchorato.*

8 Epiphanius putat Henoch & Heliam *manere in anima & corpore propter spem*. Sed non negat eos immutatos, nec vllo modo significat postea occidēdos. nam ita minùs essent beati, quàm aliæ beatorum animæ separatæ.

[9] *In epist. ad Pammach.*

9 Hieronymus vbi mortuos istos negat, de cōmuni hominum morte loquitur. neq; enim omnes morientur, scilicet morte communi, sed immutabuntur; quod loco & vice mortis est.

[1] *De peccat. orig. c. 23.*

Quod dicit [1] Augustinus *eos in corporibus viuere*; nos non diffitemur. sed ita viuunt, vt sancti post resurrectionem, nempè vt semper beati sint. at beati non essent, si adhuc eis moriendum, & vitæ huius calamitates & ærumnæ ferendæ essent.

Dicimus ergo illos translatos esse, vt omnes intelligerent spem esse repositam piis, & vt resurrectionem corporum & æternam beatitudinem crederent: non autem vt iterum morerentur. Quod etiam ex verbis apostoli probatur. ipse enim dicit *Henoch translatum, ne videret mortem*. at si ipsi ab Antichristo moriendum esset, nequicquam translatus fuisset. Hæc ergo demonstratio monachi est altùm stertentis deliratio & somnium confusum.

[2] *Quarta demonstratio Bellar. quod Antichristus nondum venerit, refellitur.*

[3] *Lib. 3. de pont. Rom. cap. 7.*

2 Quartum signum *quod Antichristus nondum venerit*, inquit [3] Bellar. est, quod *nulla videatur adhuc ecclesia grauis persequutio, nec cessarint publicæ religionis cæremoniæ, & sacrificia*. Sed valdè ille hospes est in republ. Christiana, & imperitus rerū nostrarum, & religionis Christi, qui nullam agnoscit ecclesiæ Christi factam persequutionem. fortasse etiam oculos suos ad lucem veritatis occlusit, & nec ecclesiam, nec Antichristum tanquam lupum sanguinarium in ouile Christi irruētem & grassantem videre voluit. Ignorat deniq; quæ sint veræ religionis cæremoniæ & sacra, & maximè, quæ sit vera Christi ecclesia. omnes autem qui studio partium non planè insaniunt, aut saltem cæcutiunt, hæc clarè vident.

Post

Post tempora quidem Constantini mille annos ligatus est Satanas, adeo vt more solito grassatus non sit. sed eo tandem soluto, circa Innocentii 3. tempora, & Antichristo iam confirmato, diabolo instigante põtifices Rom. aduersus pios sæuire cœperunt.

Atque *primò*, ex eorum odio profectæ sunt sanguinariæ leges. [1] Deinde eorum auspiciis bella & seditiones excitatæ sunt. in Gallia piorum [2] ducenta millia odio pontificum Rom. cæsa sunt. Ioannes 22. in Armenos & alios Christianos imperium suum detrectãtes [3], Saracenos cõcitauit. post tempora Synodi Constantiensis pontifices Rom. totum terrarum orbem in Bohemos immiserunt. interim verò in Anglia & Gallia, & aliis orbis Christiani regionibus quæsitores Papales in omnes pontificum Rom. voluntati repugnantes multa sæuitiæ suæ exempla ediderunt.

[1] Extr. de hæreticis. nã ita appellant pios.

[2] Hos odiosè appellarunt Albigenses & hæreticos.

[3] Ioa. Villan. hist. Florent.

Postquam verò veritas diu oppressa, & pontificum Rom. pedibus conculcata, patrum nostrorum temporibus elucere cœpisset; Deus bone, quanta strages piorum, vbique pontificum Rom. rabie & furore incitante facta est? In Germania, duce Carolo quinto, & authore cardinale Farnesio truculento illo lupo, cædes administrari cœpta est. eius exemplum sequutus Frãciscus rex Galliæ primus, & legibus & iudiciis in homines pios sæuiit. Illo regnante iudicum tribunalia facta sunt carnificinæ piorum. Merindolenses, & aliquot pagorum vicinorum populi indignissimè mactati sunt. vbique per Galliam fideles quærebantur, & exurebantur. Transiit postea ad nos flamma, quæ temporibus Mariæ Angliæ reginæ sæuissimis, multos fideles Christi martyres absumpsit. Postremis verò his temporibus in Gallia & Belgio tanquam in magno theatro tragicas istorum hominum crudelitates totus terrarum orbis vidit. In vnis puellæ regiæ nuptiis funestissimis, quadraginta piorum hominum millia contra fidem datam, magistratuum summa crudelitate, & populari furore, trucidata sunt. eorum qui aliis temporibus iugulati sunt, nec numerus iniri potest. In Hispania deniq; Italia, Polonia, & aliis regni põtificii regionibus, etiam hodie multi quotidie propter testimonium Iesu interficiuntur.

Quare si vel diuturnitatem temporis, vel numerum occisorum, vel cruciatuum varietatem & grauitatem spectes; reperies hanc esse persequutionem grauissimam. hæc enim trecentos annos ferè durauit. Primi autem Christiani sæpe interualla habuere à sæuitia persequutorum; & tandem persequutio finem accepit. at huius vltimæ persequutionis exitum nullum videmus. Scribit Damasus [1] 17. *millia martyrum tempore Diocletiani cæsa fuisse.* nostrorum verò plures vna nocte iugulati sunt in vna Gallia. Dicit etiam [2] Eusebius carceres fuisse plenos Christianorum tempore persequutionis Diocletiani. at nostros, carceres capere non potuerunt: idcirco in eos populariter Papistæ irruerunt. Illis temporibus infantibus pepercerunt: nunc pariter viros, fœminas, senes, puerosq; lactentes iugulare solent. Impius ille Pius quintus militibus suis in Galliam contra nostros profecturis edixit, ne cuiquam parcerent. atque omnia hæc euenerunt nostris propter confessionem fidei Iesu Christi, & dum abominationes Antichristi admittere noluerunt. in illos ergo oculos debuit intẽdere sæuus iste Antichristi discipulus, Satanæque satelles, & non tantùm in eos, qui ferro & flammis & publicis iudiciis absumpti sunt; qui tamen innumerabiles sunt: & sic hãc persequutionem maximam esse peruidisset.

[1] *In vita Marcellini.*
[2] *Lib. 8. hist. c. 6.*
[3] *Hieronym. Catena in vita Pii quinti.*

At inquit [4] Bellar. *si hac persequutio dicenda sit, Catholici eam potius patiuntur, quàm Lutherani.* Sed primò impudenter sibi & suis, qui hæretici sunt, & hæreticorum duces, & lupi sæuissimi, Catholicorum nomen sumit. deinde, malè nobis Lutheranorum nomen imponit, qui nullum tale nomen admittimus, nec aliter appellandi sumus, quàm Christiani. Falso deniq; affirmat aliquos propter hæreses Papistarum, qui nõ aliàs in leges maiestatis & alias sanctiones politicas incurrerunt, apud nos occisos. Cæsi quidem sunt, seu potiùs pœnas dederunt aliquot Iebusitæ; & sacrifici, & alii pontificis asseclę in Anglia: sed qui iudiciorum monumenta scrutari velit, is vel propter rebellionem, vel coniurationem contra remp. & principes, vel homicidia, vel veneficia, vel seditionem cæsos esse reperiet.

[4] *Cal. 562.*

Ali-

Aliquando etiam in Gallia in foueam inciderunt homines sanguinarii, quam aliis fecerant. At nostrorum hominum longè dispar est ratio. Nam vt de antiquis [1] Christianis Tertullianus; sic verè dicere licet, *nostros pro innocentia, pro probitate, pro iustitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo viuo cæsos esse.* Illi dum piis insidiãtur, propter scelera; nostri propter Christum. Illi dum Antichristo famulãtur: nostri dum Christi fidem profitentur. Ex illis nulli sunt cæsi infantes, & fœminę raræ, nullæ eorum publicæ sunt factæ populi impetu strages: ex nostris, aduersarii nulli parcunt. Videant ergo lupi isti sanguinarii, qui sanguinem tot hominum innocentissimorum iniustissimè fuderũt, annon ipsi etiam Antichristi in hac sæuissima persequutione ministri sint.

[1] *Ad Scapulam.*

Præterea, vbi pontifex Rom. rerum potitur, vbique ferè cultus Dei cessauit legitimus; idola publicè coluntur; abominatio desolationis stat in locis sanctis; preces in lingua ignota conceptæ nõ intelliguntur; sacramenta à Christo instituta aut mutilata, aut mutatą sunt. hinc ergo cõstat pontificem Rom. cuius authoritate omnis hæc desolatio in ecclesiam introducta est, ipsum esse Antichristum. Nec obstat, quod sacrificium apud Papistas vigeat altaris, aut quod pontifex Rom. illud ornet, & tueatur. nam sacrificium hoc nec apostolis; nec patrib. nec priscæ Christi ecclesiæ notũ erat; & nihil aliud est, quàm idolũ in ecclesiã Dei loco Christi introductũ, à quo omnes pii abhorrere debẽt.

[2] Quintum signum quod Antichristus nõdum apparuerit, dicit esse, *quod Antichristus non nisi tres annos cum medio regnabit. inde enim colligit nondum venisse, quia pontifex Rom. multos iam annos regnauit, & non tantum tres & dimidium.* antea autem dixit interitum Antichristi esse quintum signum, quod Antichristus nõ venerit. ita loco signorum nihil aliud affert, quàm leues & futiles cõiecturas & nugas. quid enim futilius, quàm vt illud sit signum aduentus Antichristi, quod nõ nisi post aduentum eius aut exitum potiùs cõplebitur, vt interitus Antichristi; vel saltẽ tempus regni cõtinet, vt temporis certa duratio, & circumscriptio: si-

[2] *Quinta Bellarm. demonstratio, quod Antichristus nõdũ venerit, refellitur.*

gna enim diuersa sunt à rebus significatis; & eas præcedere solent.

Præterea, toto cælo errat Bellarm. in computatione temporis regni Antichristi. nam quod dicit [1] Daniel *post ablatum iuge sacrificium, abominationem desolationis duraturam* 1290. *dies*: & quod ipse ad tempus Antichristi refert, illud propriè ad prophanationem templi factam ab *Antiocho Epiphane* pertinet, vt ex [2] Machabæorum historia colligitur. Atque vt ad tempora Antichristi pertineat, vt ex [3] Irenæo, [4] Hieronymo & [5] Theodoreto coniicere licet; numerus tamen iste cum tribus annis & dimidio non congruit: vnde necessariò sequitur, certum numerum pro incerto poni: quod etiam aliâs Spiritus sanctus, vbi de rebus futuris loquitur, facere solet.

[1] *Daniel.* 12.
[2] 1. *Mach.* 1.
[3] *Lib.* 5. *adv. hæres.*
[4] *In Daniel.* 12.
[5] *In Dan.* 12.

Secundò, duo illi testes, quorum meminit Ioannes Apocalyps. 11. & quos Bellarm. existimat futuros Henoch & Heliam, prædicare debent dies 1260. At illi non incipient prædicare, nisi post aduentum Antichristi, & occidi debent ante ipsius interitum. Antichristus ergo plùs debet regnare, quam tres annos & sex menses. neque enim causa erit cur prædicent, nisi confirmato iam imperio Antichristi; nec verisimile est Antichristũ verbo Dei subitò post interitum duorum illorum prophetarum extinctum iri.

Tertiò, quadraginta duo menses regni primæ bestiæ, de qua Ioannes Apocal. 13. significant tẽpus longè diuturnius, quam si literaliter, & præcisè hos menses accipias. neque enim putandum est tantillum temporis duntaxat datum, in quo tyranni ecclesiam affligerent. nec congruit illud tempus cum tempore persequutionum sub ethnicis imperatoribus, quos certum est in prima illa bestia figurari. Quod si ergo hoc in loco per numeros certos incertum & indefinitum tempus designetur; cur non per mille ducentos sexaginta dies Apoc. 11. maius spatium & tempus diuturnius designetur?

Quartò, Christus etsi Deus esset, & Dei filius æternus, non tamen collegit ecclesiam suam in tribus annis & dimidio. Ipse enim Iudæis ferè solis prædicauit,

&gen-

& gentes per apostolos vocare instituit. quomodo ergo verisimile est, tantam fore in Antichristi prædicatione potentiam, vt ipse in tantillo spatio orbem ferè vniuersum à Christo auertat? cum, inquam, difficile erit tam exiguo temporis spatio tot nationes obire; cui credibile erit, eum omnes nationes ad se conuertere posse? num maior erit efficacia prædicationis Antichristi, quàm Christi Iesu?

Quintò, quo tempore solutus est Satanas, eo tempore Antichristus magis strenuè regni sui moliri cœpit fundamentum. neque enim putandum est Satanam solutum cessasse; nec verisimile est eum per alium potius, quam per primogenitum suum, & principale instrumentum operari voluisse. At Satan mille annos tantùm ligatus dicitur; quos si vel à Cõstantini regno, vel cessatione persequutionum cõputaueris, iampridem eos exiisse constat. multos ergo iam annos Antichristus regnasse videtur.

Sextò, dicit [1] apostolus, *mysteriũ iniquitatis iam suo tempore operari cœpisse.* & Ioannes dixit Antichristum, quem venturum homines exspectabant, iam tum in mundo fuisse. quomodo ergo potuit ille tam citò regnum suum exordiri, quod vsque ad mundi consummationem duraturum erat, si tribus annis & medio eius regnum circumscriptum fuisset? nec excipere potest Bellarm. *eum cœpisse operari in præcursoribus suis.* aut Antichristum à Ioanne impropriè acceptum fuisse. nam præcurrunt, qui paulò antè currunt, & sic Ioannes dicitur Christi præcursor. & aduersarius dicit, *singularem personam designari, quando articulus præpositiuus cum nomine coniungitur:* quod hoc loco factum est. Ioannes denique loquitur de Antichristo, quem homines venturum exspectabant; quod nõnisi de Antichristo propriè accepto intelligi potest.

1 2. *Thess.* 2.

Septimò, omnes ferè patres narrant Antichristum magna bella gesturum, & maximam orbis partem armis subiugaturum, ipse etiam [2] Bellar. multa de prœliis Antichristi fabulatur. At trib. annis & dimidio vix circuire potest tot nationes, nedum vincere, quot ille subiugaturus dicitur. nec potest ille in tantillo tem-

2 *Lib.* 3. *de pont. Rom. c.* 16.

pore copias, neruosq; belli, aliasque res ad bellum necessarias parare.

Octauò, necesse est per annos tres & medium intelligere tempus incertum. nam neque menses 42. Apoc. 11. & 13. nec dies mille ducenti sexaginta Apoc. 11. nec dies mille, ducenti nonaginta Danielis 12. tres annos efficiunt cum medio. nam si annus sit *tempus à bruma ad brumam, dum sol redit*, vt [1] Varro dicit; aut annus sit, *vbi sol suum totum cōfecit & peragrauit orbem*, vt [2] Cicero definit; & mensis sit *spatium, quo luna signiferum percurrens eodem* [3] *reuertitur*: tum nec 42. menses, nec dies 1260. aut 1290. tres annos cum medio cōficiunt. nam vbi annus habet 365. dies & aliquot horas, ibi tres anni & media vnius anni pars habent 1277. dies & medium, & aliquot horas. Præterea, si luna in viginti & octo diebus, & hora circiter ampliùs cursum suum conficit, & ad idem signum redit; tū quadraginta duo menses nō efficiunt mille ducentos sexaginta dies. desunt enim aliquot dies.

[1] De lingua Latina.
[2] De vniuersitat.
[3] Ibidem.

At inquit [4] Bellar. *Hebræi vtebantur annis & mensib. lunaribus, etsi eos reuocarent ad solares, addēdo sexto quoq; anno vnam lunationem. tres autem anni lunares cū medio faciunt rectissimè 42. menses, siue mille ducentos sexaginta dies. siquidem annus lunaris plenus & perfectus constat ex duodecim mensib. quorū quilibet habet triginta dies, vt Augustinus docet lib. 15. de ciuitate Dei. c. 14.* Sed ille dum iactat scientiam suam & mirificam lectionē, se rerū istarum & mathematices prorsus ignarum ostēdit. Nam primò, nō addunt Hebræi sexto quoq; anno vnam lunationem, vt lunaticus iste monachus dicit; sed tertio quoq; anno intercalant mēsem vnum dierum triginta trium. *Tertio quoq; anno*, inquit [5] Lalamātius, *intercalant mensem vnum dierum triginta trium, non alia ratione, quàm vt illorum annus ad cursum solis etiam congruat.* atque hæc ille ex Rabbinis confirmat.

[4] Col. 863.
[5] De anni Hebræi ratione.

Deinde, non vtebātur Hebræi mensibus lunaribus, quorū quilibet habet 30. dies, sed, vt ipse docet [6] Lalamātius, *mensibus inæqualibus, quorum vnus 30. alter 29. habuit dies*: quod etiā Galenus significat in *Epidemicis*.

Tertiò, [7] Augustinus non docet singulos menses apud

[6] Vbi supra.
[7] Lib. 15. de ciuit. Dei. c. 14.

pud Hebræos continere 30. dies, sed potiùs cõtra Bellar. testatur, eum non cõtinere 30. dies. *Tantus*, inquit, *mensis, quantus & nunc est, quem luna cœpta & finita concludit.* at ille cursus conficitur 28. diebus vna hora ampliùs.

Quartò, anni Hebræorum non continebant duodecim menses lunares præcise; sed tot menses, & aliquot dies. *Tantus annus*, inquit [1] Augustinus, *quantus & nunc est, quem duodecim menses lunares, additis propter cursum solarem quinq; diebus & quadrante, consummant.* Ludouicus Viues longiùs à Bellar. discrepat. *Mensis*, inquit [2] ille, *lunaris dupliciter potest considerari; nam vel est dum luna discedit & redit ad idem punctum, quod fit diebus septem & viginti; vel dum solem percurso signifero circulo consequitur; id fit diebus vndetriginta, horis duodecim & minutis 44.* Eius etiam sententiam refellit Ioannes Lucidus. *Prædictos annos priscorum patrum*, [3] inquit ille, *quos describit Moses, non fuisse menstruos, vt quidem olim falso putarunt, sed annos quidem solares continentes lunares menses duodecim & 11. dies, manifeste probatur ex verbis Moysis.* hæc ergo ostendunt plane nec menses 42. nec dies vel 1260, vel 1290. tribus annis & medio respondere, & Bellarm. in ista computatione planè delirasse, & tanquam peregrinum in repub. mathematicorum temere per loca incognita oberrasse.

Quod autem Antichristi regnum non definietur trib. annis & medio, probatur postremò, quia [4] Christus dicit, *neque angelos, neque homines scire vel diem, vel horam consummationis seculi.* At si certum esset & definitum tempus regni Antichristi; tum omnes tunc viuentes diem illum intelligerent. scirent enim post tres annos & dimidiũ, mundi fore consummationẽ: & Bellar. audacter & arroganter [5] definiuit. *ad dies 45. post mortem Antichristi Dominum ad iudicium venturum.* At Apostolus Paulus dicit Christũ illustri aduẽtu suo aboliturum Antichristum. vnde sequitur ex sententia aduersariorum certò sciri posse diem extremi iudicii, & consummationis seculi, quem Christus sciri posse negauit. Quis non ergo videt nugas esse & somnia,

[1] *Ibidem.*

[2] *In August. de ciuit. Dei. lib. 15. c. 14.*

[3] *Lib. chron. 1. cap. 5.*

[4] *Marc. 13.*

[5] *Lib. 3 de pont. Rõ. c. 9.*

quæ isti de tempore præciso trium annorum & dimidii docent? Bellarmini certè probationes & infirmæ sunt, & ineptæ, & nihil aliud, quàm tramæ putridæ.

[1] *Cap.* 7. Dicit [1] Daniel sanctos traditos iri in manum Antiochi, qui figura erat Antichristi, *in tempus, tempora, & dimidium temporis.* Sed cum Spiritus sanctus hæc tempora diffinire noluerit, magna est præsumptio, certum aliquod & definitum tempus statuere. nusquam certè legimus in scripturis, vbi tempus annum, & tempora duos annos præcise significent. Præterea, vt præcise tempus annum, & tempora duos annos significarent; solet tamen Spiritus sanctus per hebdomadas, & per dies annos; & per numerum certum, incertum subintelligere. [2] Nabuchodonosor 7. tempora è regno dicitur eiectus; nemo tamen scit, an præcise tempora illa septem annos significent. figuræ denique & figurata in omnibus sibiinuicem non respondent.

[2] *Daniel.* 4.

Capite verò Danielis 12. dicit Spiritus sanctus *abominationem in desolationem futuram dies mille ducentos nonaginta, & beatum fore, qui peruenerit ad dies* 1335. Sed si hæc de Antichristo exponenda sint, prorsus euertitur Bellar. sententia de tribus annis & dimidio. nam hic numerus superat tempus illud, & ab aliis numeris etiam nonnihil discrepat.

Apocalypseôs cap. 12. mulier fugit in solitudinem à dracone, & ibi mansit *diebus mille ducentis sexaginta*; vel, vt postea dicit Ioannes, *per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Sed nihil ista ad persequutionem ab Antichristo attinent. loquitur enim Ioannes de persequutione à dracone facta, & ea narrat quæ ante Antichristi tempora contigerunt. de ipso enim demum capite 13. loqui incipit. Præterea, vt mulier figura erat ecclesiæ, & puer eius, omnium fidelium, sic figuratum est etiam quod Spiritus sanctus loquitur de persequutione draconis. est enim valde ridiculũ existimare draconem persequutum esse ecclesiam tantùm tres annos & dimidium, vel saltem 1260. dies. numerus denique 1260. dierum, vt iam diximus, nõ conficit tres annos cum dimidio. Hinc ergo sequitur impudenter [3] Bellarm. affirmare, *Ioannem cap. Apocal.* 12.

[3] *Col.* 863.

de Anti-

de Antichristi regno loqui, & per tempus, tempora, & medium temporis, intelligere tres annos cum medio, & ita ipsum hac verba explicare. Sed non mirum est, vbi probationes desunt, ibi & modestiam & pudorem in Iebusitis desiderari.

Apocalypseôs 11. & 13. meminit quidem Ioannes mensium 42. & significat ecclesiam tempore illo affligendam esse. sed hæc ad persequutionem pertinent ab ethnicis inferendam. *Atrium,* inquit [1] angelus ad Ioannem, *ne metiaris, quoniam datum est gentibus, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Similiter Apoc. 13. legimus ecclesiæ persequendæ potestatem datam bestiæ, quæ habuit *capita septem, & cornua decem, & cui potestas data erat in omnem tribum, populum & linguam,* quam bestiam certum est figuram fuisse imperii Rom. Roma enim super septem colles sita erat, & multis imperauit populis, & nullum vnquam imperium latius fuit. Præterea, tum demum Ioannes incipit de Antichristo loqui, vbi dicit, bestiam quæ agno similis erat ex terra exorituram; & loquuturam vt draconem: adeo vt necesse sit hoc tempus omne, quod eius ortum præcessit, ad persequutionem ab imperatoribus Rom. pertinere: quod & Arethas dicit, & euentus etiam ita esse confirmat. At Antichristus non gentium erit, sed Iudæorum, & fictorum, vt isti aiunt, Christianorum rex. Ex eo denique capite hoc argumentum nihil valet, quia tempus 42. mensium, non conficit vel 1260. dies secundùm Hebræorum computationem, vel tres annos cùm dimidio. neque aliquid huic malo affert remedii distinctio de mēsibus solaribus, & lunaribus; in quibus turpiter Bellar. allucinatus est.

Patres quidem nonnulli existimarunt *Antichristum regnaturum tres annos cum medio.* sed patres illi, vt sæpe admonuimus, interpretes erant, & non prophetæ. *Secundò*, coniecturas tantùm suas posuerunt, & nihil certi definiuerunt. [2] Cyrillus de tempore Antichristi loquēs, sæpe ingeminat hoc verbum *fortasse*; quod dubitantis est. idem etiam fatetur, quosdam regnum Antichristi vltra tres annos & sex menses extendisse.

[1] *Apoc.* 11.

[2] *Catech.* 15.

Tertiò, omnes ferè verba scripturæ sequentes, numeros eosdem posuerunt, quos in scripturis inuenerant: certum tempus designari per tres annos & dimidium apertè non dixerunt. *Postremò*, multa de Antichristo dicunt, quę nec aduersarii probant, nec vero sunt similia.[1] Hippolytus, vt antea dictum est, asserit Antichristum fore diabolū. Cyrillus [2] dixit diabolum in eo personaliter habitaturum. Hieronymus de eius præliis multa comminiscitur parum probabilia.

[1] *Orat. de consummat. mundi.*
[2] *Vbi supra.*

Verùm vt scripturæ & patres certum aliquē numerum temporis, quo Antichristus regnaturus est, posuissent; certum est tamen per certum numerum incertum tempus intelligendum esse. nam nec 42. menses, nec mille ducenti sexaginta dies, vt diximus, tres annos & medium conficiunt. Præterea, per diuersos numeros Spiritus sanctus idem tempus designare videtur: nam nonnunquā ponit [3] 1260. dies: nonnunquam 1290. dies: [4] nonnunquam ad 1335. extendit. hæc enim omnia aduersarii ad tempus Antichristi pertinere dicunt. Si autem per diuersos numeros idem tempus designetur; necesse est incertum designari tempus. Respondet ad hoc [5] Bellar. *apud Danielem poni 1290 dies pro tempore regni Antichristi, hoc est, triginta dies, plusquā posuit in Apocalypsi Ioannes, quia iste loquitur de prophetis, qui vno mense occidendi erant ante interitum Antichristi.* Sed non animaduertit homo ineptus 1290. dies in tribus annis & medio non contineri; quod omnem funditus euertit ipsius sententiam. *Præterea*, illud dicit, quod nulla ratione probari potest. quomodo enim occidendi sunt duo illi prophetæ vno mense ante interitum Antichristi; cum ille eos 1260. dies prophetare, & Antichristum non ampliùs, quam 1260. dies seu menses 42. regnare debere sæpiùs affirmarit? *Postremò*, frequenter scripturæ per certum numerum incertum tempus intelligunt: quarum vestigia non mirum est, si patres sequuti sint. Per 70 hebdomades Danielis 9. intellexit Dominus alium numerū tunc incertum. [6] *septuaginta hebdomades*, inquit angelus, *abbreuiata sunt super populum tuum.* Idem dicit, *in hebdomade vna, & dimidio hebdomadis defecturam hostiam, & sacri-*

[3] *Apoc. 12.*
[4] *Daniel. 12.*
[5] *Col. 863.*
[6] *Daniel. 9.*

& sacrificium. Similiter Ezech. 4. *ego dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecētos & nonaginta dies:* vbi Deus ostendit annum per diem significari. *diem,* inquit, *pro anno dedi tibi.* Luc. 13. Christus dicit, *oportet me hodie, & cras, & perendie ambulare.* vbi per numerũ certum, incertum etiã tempus designatur. Apoc. 9. soluti dicũtur quatuor angeli, *qui parati erant in horam, & diẽ & mẽsem & annum:* id est, *in omne tempus illius persequutionis;* vt interpretatur [1] Richardus à sancto Victore. Quid autem mulier quæ in eremo [2] dicitur latitasse 1260. dies? num tantillum tantùm temporis à draconis ira fugisse videtur? nihil sanè minùs verisimile. nam vt draco continuò persequitur ecclesiam, sic Deus semper ei parat tutum refugium. Quod ergo dicit [3] Bellar. *tum certum numerum pro incerto poni, quando aliquis numerus plenus & perfectus ponitur, vt* 10. 100. 1000. sine ratione & temere affirmatur. nos enim in numeris prædictis, qui ex diuersis constant articulis & figuris ostendimus incertos numeros significari. nec potest ille rationem ostendere, cur potius per numerũ 1000. annorum, quibus satanas ligatus fuisse dicitur, incertus numerus significetur; quàm per dies 1260. Apoc. 11. & 12; nec cur numeri articulati magis perfecti sint, quàm digitales.

Post scripturas & patres etiam rationes [4] affert Bel. quibus sperat se probare posse Antichristum tantùm tres annos & dimidium regnaturum. Sed & cum ratione, & sine ratione semper insanit. Diabolus quidem, vt ait Bellar. post solutionem *sæuiet modico tempore.* nam ita est Apoc. 20. sed & eius sæuitia ante solutionem [5] prædicitur modicum tempus duratura. per modicum ergo tempus tres anni & sex menses intelligi nõ possunt: quod etiam inde constat, quia totũ tẽpus post solutionem satanę dicitur modicum tempus. Siue ergo ab Innocentii tertii temporibus, solutionẽ satanæ cõputes, siue altiùs repetas; nunc aliquot secula ab eius solutione effluxerunt. Nec mirum est, si omne tempus post solutionem satanæ modicũ censeatur. nam omne tẽpus post reuelatũ Euangelium, nouissimum dicitur [6] tẽpus, & hora [7] nouissima; ne infinitũ aliquod

[1] In Apoc. 9.
[2] Apocal. 12.
[3] Col. 866.
[4] Col. 864.
[5] Apoc. 12.
[6] 2 Tim. 3.
[7] 1 Iohan. 2.

huius ecclesiæ à Deo peregrinationis tempus cogitaremus.

[1] *Lib. 20. de ciuit. Dei. c. 8.*
[2] *Lib. 33. moral. c. 12.*

Deinde, non dicunt [1] Augustinus & [2] Gregorius *sæuissimam Antichristi persequutionem breuissimam fore, quia aliàs multi perirent, qui aliàs perituri non essent,* vt dicit Bellar. sed loquitur ille de credentibus & credituris, *quorum fragilitati dicit consultum, dum satanæ datum est tantum modicum tempus sæuire.* hic ne verbulum quidem vnum habet de Antichristi persequutione, sed ostendit *hamo attractum Leuiathan, ne quos vellet, deciperet.* sed quid ista ad tres annos & dimidium, quos ex verbis istis elicere debuit Bellarminus?

Christus quidem prædicauit tres annos & dimidiū, aut circiter. sed absurdè inde Bellar. colligit Antichristum tantùm tres annos & dimidium regnaturum. nam Christus non nisi impiè cum Antichristo comparatur. & si ita facere voluit, debuit tamen Christi regnum cū Antichristi regno cōparare. Præterea, si probari possit Christū non totū hoc tēpus præcise prædicasse; tum periit vnà Bellarm. causa & argumentum.

Multum verò fallitur Bellar. si nullum nos habere numerum censeat, qui & numero dierum apud Ioannem Apoc. 12. & temporum Daniel. 7 cōueniat. Nam si per dies, annos intelligamus; & per tēpora, insignes mutationes; non multum à vero aberrabimus. Verùm vt fateamur ingenuè nos tempora certa non tenere, quæ Deus incerta esse voluit; non propterea sequitur ita numerandum esse tempus regni Antichristi, vt numerus ille cum reliquis scripturis pugnet; quod tamen aduersarii faciunt. Quid sibi numerus 666. velit, homines doctissimi ignorant: non tamen propterea prophetiæ ratio mutanda est, vel temerè quicquam affirmandum, aut de veritate prophetiæ dubitandum. *Postremo,* malè comparatur tempus illud quo Nabuchodonosor è regno exclusus erat, cum tēpore Antichristi. hoc enim futurum est, & incertū: illud præteritum & certum: & tamen vtrum per tempora 7. Dan. 4. intelligantur septem anni, certò intelligi non potest: interpretes sanè coniecturas incertas afferunt.

[3] *Sexta demonstratio, quod Antichristus nōdū venerit, refellitur.*

3 *Vltimum signum quod Antichristus nondum venerit,* inquit

inquit Bellar. *est mundi consummatio. nam, si mundi consummatio statim sequi debet Antichristi aduentum, tum debuit mundus iampridē consummari, si Antichristus iamdudum venisset.* Sed ridiculè hoc signum ponit aduētus Antichristi, quod non nisi post interitū Antichristi complendum erit: pariterq; facit, ac si brumam diceret esse signum æstatis, aut autumni, quæ non nisi diu pòst sequitur. Præterea, ineptè confundit aduentum & interitum Antichristi, inter quæ duo maximū est interuallum. nam maturè dicimus aduenisse, & diu post regnasse, & sub finem seculi credimus interiturum. *Tunc*, inquit [1] Paulus, *reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Cum ergo consummatio seculi non sequatur aduentum Antichristi, sed interitum; absurde colligit Bellarm. Antichristum non venisse, quia mundus adhuc non est consummatus. At omnes scripturæ, quas ille ex Dan. 7. & 12. & Apoc. 12. & Matth. 24. & 2. Thess. 2. protulit, ostendunt mundi consummationem non aduentum, sed interitum Antichristi consequuturam. nusquam sanè intelligimus, vbi statim post aduentum eius mundus interire debeat. Imò ex Ioanne intelligimus diuturnum fore ab Antichristi aduentu ad finem seculi tempus. [2] Dicit enim suo tempore Antichristum in mundo fuisse. At finem tamen nondum videmus.

[1] 2. *Thess.* 2.

[2] 1. *Ioan.* 2. & 4.

Postquam ergo ex hoc futili argumento nihil rectè concludi posse animaduertisset; ex hoc signo coniuncto cum superiore dicit insolubilem fieri posse demōstrationem. Sed nos & signi superioris, & istius etiam nodos omnes facilè dissoluimus: & Bellarminum non tam demōstrationem, quàm somnium suum de regno Antichristi triennali & semestri, seu potiùs de pusillo suo & infantili Antichristo, attulisse ostendimus.

Quare, cum nihil possint aduersarii comminisci, quin omnes intelligant Antichristum & iam venisse, & Romæ iamdiu regnasse; necesse est, vt se vilia ipsius mancipia fateantur, qui in eius gratiam tantos labores frustra sumunt.

Quartum argumentum Bellarm. à nomine Antichristi ductum refellitur. CAP. XXIX.

QVartum argumentum quod pontifex Rom. non sit Antichristus, sumit Bellarm. à nomine ipsius. *nam Antichristi nomen fore notissimum.* Sed quis hoc ipsi dixit? aut quo argumēto ductus istud credidit? Io-
1 *Apoc.* 13. annes quidem obscurissimum esse dixit. *Hic,* inquit[1] ille, *sapientia est. qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. numerus enim hominis est, & numerus eius* 666. loquitur autem de numero nominis Antichristi; vt ex superioribus colligitur. & hoc obscurissimum fore significat. per bestiam enim ille Antichristum in-
2 1. *Ioan.* 4. tellexit: idemq; Antichristum iam[2] venisse subindicat. Irenæus etsi quædam afferat vocabula, quæ numerum 666. contineant: *certius* tamen esse dicit, *& magis*
3 *Sibyll. orac. lib.* 8. *sine periculo, sustinere adimpletionem prophetiæ.*[3] Sibylla etiam quædam habet de nomine Antichristi: sed quis illa nobis mysteria aperiat?

Ἔσσετ' ἄναξ πολιόκρανος ἴχων πέλας οὔνομα πόντου.
Κόσμον ἐποπτεύων, μιαρῷ ποδὶ δῶρα πορίζων.

quæ sine dubio ad pontificem pertinent: & nomē eius designant, sed obscurissimè. Et sanè si Antichristi nomen proprium, quod omnes in eius notitiam induceret, notissimum esset, vt Bellar. significat; quî factum est, vt nemo hactenus aliquod eius nomen vel dixerit, vel intellexerit? Postremò, hinc certissimum est, nomē Antichristi, etiam cum venerit, obscurum fore, quòd multos ille astutiis suis decipiet. quomodo autem deciperet Christianum quenquam, qui ex ipso nomine nosceretur esse Antichristus? Extolletur tanquā Deus. at hoc frustra fieret, si omnes eum Antichristum esse intelligerent. nullus Apostolorum aut prophetarum hoc dicendum putauit. non ergo verisimile est, hoc omnibus notum fore.

At inquit Bellar. *nomen Christi, ante eius aduentum Iudæis ignotum erat, & postea notissimum: & similiter Antichristi.* At absurde Antichristus Christo comparatur. Præterea, licèt comparari possent illi duo; longè tamen dissimilis est eorū ratio. nam Christus ad saluandum

dum genus humanum venit, & propterea nomẽ suum notum esse voluit. at Antichristus ad perniciem & interitum multorum venit, & propterea magni interfuit eius nomen celari. Falsum est deniq; aut nomen Christi ante aduentum eius ignotum fuisse, aut post aduentũ eius, Iudæis eum ex nomine notũ fuisse. Primum probatur, quia omnes norant eum Messiam vocandum, & multa de eius nomine prophetæ prædixerant. Secundum verissimũ est, nam etsi norant Iudæi eum Iesum esse; ex nomine tamen eum non noscebant esse Messiam, nec eum recipiebant. cur non ergo similis sit ratio in Antichristo, & multi nomen eius noscãt esse Papam, aut Latinorum pontificem, & tamen ex hoc nomine non intelligant eum Antichristum esse? Dicit secundò *commune esse omnibus vaticiniis, vt ambigua & obscura sint, donec impleantur.* At de proprio nomine Antichristi, vnde omnes intelligant eum talem esse, nihil vaticinatus est Ioannes. nihil ergo hoc ad propositum. Meminit ille quidem nominis bestiæ; at non dicit quid illud futurum esset; nec ex numero *666.* hoc cognitum iri significat.

Verùm vt Deus hoc nomẽ suis filiis notum esse voluerit; nulla tamen tanta est in eo obscuritas, vt non omnes pii pontificem Rom. esse Antichristum intelligant. nam siue nomen Antichristi sit λατεῖνος, siue τειτὰν, vt existimauit Irenæus; siue *Romiith* Hebraicè, siue quod aliud sit Antichristi proprium vocabulum; illud proculdubio ipsi aptissimè conuenit. apud omnes pios Papa Romanus Antichristus nominatur. quod nos & ex nomine, & ex multis argumentis probauimus.

Nec obstat, quod aliter *Hippolytus*, aliter *Arethas*, aliter *Primasius* nomen hoc *Antichristi* interpretatur. ipsi enim velut longè distantes parum viderunt, & de rebus futuris diuinantes incerta pro certis pronuntiarunt. Beda, Anselmus, Rupertus, Haymo fumo è puteo abyssi ascẽdẽte præpediti, falsa pro veris amplexi sunt. *Lindanus* & *Genebrardus* oculos aduersus veritatẽ eiusque lucem claudentes, studiose mendacia propugnarunt. Nostri autem de Antichristo vnanimiter cõsen-

tient, quod istos malè habet, & nomen eius non ignorant. vtinam tam bene ipsius insidias cauere, & aduersus eius violentiam resistere possent.

Argumentum quintum à charactere Antichristi petitum dissoluitur, Cap. XXX.

QVintum argumentum Bellarmini, à charactere Antichristi sumitur. nouit enim ille bestiæ characterem, qui illū altè impressum & in capitis vertice, & in tota viuēdi forma habet, & est fidele domini mācipium. Sed hoc argumentum ille timidè proponit, & vix audet characterē hunc ad viuum resecare. Quātum verò ego colligere potui, dicere [1] voluit *characterem Antichristi certū fore, & omnes Antichristo adhærentes illum habituros vel in dextris, vel in frontibus, nec cuiquā potestatem fore vel emendi, vel vendendi, nisi qui illum habet characterē:* pontificem verò negat *cuiquā characterem huiusmodi, aut notas aliquas imprimere, quæ non sint antiquissima: & propterea non esse illū Antichristum.* Quo in loco nō possum non mirari hominis stultitiā, seu potiùs amentiam. quid enim stultius, quàm ex eo loco præsidiū petere, vbi nihil nō sibi inimicum, & infestum reperit? ostendimus enim pōtificem Rom. certos characteres sui gregis hominibus, certamq; viuēdi formam præscribere solere, vnde omnes illos pōtificis esse aut seruos aut discipulos, & gregales agnoscant. Præterea, nulli vel in ecclesiæ ministerio locum, vel in scholis gradum, vel in repub. dignitatem concedit, nisi veram & apostolicam fidem, quā nos profitemur, abneget. & se omnia dogmata ecclesiæ Rom. suscipere profiteatur. Siue ergo *certus modus viuendi secūdum legem Antichristi* sit ille character, de quo Joannes, vt [2] Lyra; siue fidei abnegatio, & ἀρνῦμαι, vt [3] Hippolytus existimat: exploratum & certū est pontificem Rom. ipsum esse Antichristum, & Papatum esse regnum Antichristi. nusquā enim plures sunt cæremoniales characteres; nusquam apertior orthodoxæ fidei abnegatio; nusquam aliâs homines metu mortis & cruciatuum ad abneg[...] fidei compelluntur.

[1] *Lib. 3. de pont. Rom. c. 11.*

[2] *In Apoc. 13.*

[3] *In orat. de Antichristo, seu consum. seculi.*

At

At inquit [4] Bellarm. *facile est has nugas refellere.* Sed videat ille, ne multò maiores nugas egerit. & ne ex nugis istis ipse & sodales ipsius materiam seriò lugendi habeant. *Primò* dicit *characterem hunc vnum futurum, & non multos.* At Ioannes non tantùm characterem ponit, sed nomen bestiæ, & numerum nominis eius: vnde videre licet plura hoc nomine significari. quis autem non videt nomen bestiæ Papistis omnibus inscriptum? Præterea, vt omnem illi cauillandi ansam præscinderemus, nos vnum esse ostendimus bestiæ characterem omnibus Papistis communem; nempe communem modum agendi, & viuendi secundùm leges Papæ, quem stigmatiæ illi & vncti Baalis sacrifici pro suo legifero, & summo iudice agnoscunt. 4 *Col.* 874.

Dicit *secundò hunc characterem omnibus communem fore in Antichristi regno.* Sed Ioannes dicit non aliter fore communem, quàm vt non liceat cuiquam emere & vendere in regno Antichristi, nisi habeat illum characterem: quod nos in regno papali impletum videmus. nam illi tantùm vendunt merces pontificias; exempli gratia, indulgentias, beneficia, & bullas. imò & peccata, & sacramenta, & animas hominum, qui rasi & vncti & in vertice stigmatizati sunt, licèt laici etiam ad eius regnum pertineant. Præterea, vt vnus esse debeat & laicis & clericis tonsis character, nos formam viuendi papalem omnibus communem esse characterem ostendimus.

Dicit tertiò *characterem huiusmodi fore notam, quæ geri possit vel in manu, vel in fronte.* Sed malè ille frontem & manum carnaliter, & crassè intelligit. Glossæ ordinariæ [5] author characterem spiritualiter intelligendum significat. & constare debere dicit, *in operatione*, quæ est manus propria; *& confessione*, cuius frons index est. At in factis, & dictis omnes Papistæ papatus characterem ostendunt. promptè enim exequuntur pontificis Rom. iniquissima mandata, & ita faciunt, & loquuntur, vt illis ipse legem præscripsit. Illud verò absurdum est, putare reges, & homines nobilissimos in Antichristi regno notas sibi in fronte, aut manu 5 *In Apoc.* 13.

materialiter imprimi passuros; quod nec vilissima mancipia sine summa indignatione patiuntur.

Dicit quartò, *neminem in regno Antichristi permittendum emere vel vendere, nisi qui habet characterem, at pontificem Rom. hoc permittere Iudaeis.* Egregium sanè, & planè Iebusiticum argumentum. neque enim hoc fit ex lege pontificis, quod Iudæi Romæ emunt & vendunt; sed ex dispensatione, & speciali indulgentia & gratia, quam illi miseri magna pecunia mercantur. Præterea, notam quandam illi à pontifice Rom. accipiunt, vt omnes intelligant illos esse Iudæos ex pontificis Rom. grege, quos ille pecuniis emunxit. Est denique hoc summæ crudelitatis Antichristi signũ, quod ille potestatem dat emendi & vendendi Iudæis, qui Christum apertè abnegant, & illam negat orthodoxis Christianis, nisi fidem abiicere velint, aut saltem apertam eius professionem.

Dicit quintò *chrisma, & formam viuendi secundùm leges papales, & formam iuramenti, quod nunc pontificibus Romanis præstari solet, & vnctionem sacerdotalem, & sacrificium pro defunctis, & adorationem imaginum & Eucharistiæ, & huiusmodi cæremonias & formulas antiquiores esse, quàm vt ab Antichristo profectæ videri possint.* Sed non meminit homo amens synagogam pontificis hæc omnia non ex moribus antiquis, sed ex legibus papalibus habere, quarum pleræque recentiores sunt. Nullæ Gregorio septimo, in quo eminuit potissimum Antichristi potentia, sunt antiquiores. Habuêre quidem vnctionem quandam primi Christiani; sed ea ad donum spectabat sanationis, quod tunc temporis in ecclesia vigebat. Episcopi, presbyteri, clerici & reliqui Christiani more sacrificorum pontificiorum sanè tunc non vngebantur. Præterea, ita communicabant olim cum episcopis Rom. alii Christiani, vt episcopi Rom. cum aliis episcopis & Christianis: at nunc omnes Papistæ leges, & omnem suam viuendi & credendi formam à pontifice Rom. accipiunt; quod primi Christiani à primis episcopis Rom. non fecerunt. Gratias etiam egerunt pro defunctis antiqui Christiani; sed isti hostias pro eis immolant,

lant, & defunctos, quod illi non fecerunt, inuocant. Cultum verò imaginum, & crucis, primùm introduxit synodus Nicena secunda idololatrica. antea verò, licèt aliqui in aliquo pretio habuissent imagines, non tamen eas cultu eodem quo originalia, vt nunc, adorabant. *Paula ante crucem Domini*, vt inquit [1] Hieronymus, *Dominum adorabat:* at isti crucem latriâ colũt. Antiquitus denique *in mysteriis carnem Domini adorabant*, vt ait [2] Augustinus; sed non dicit *præsentem*, nec *modò carnali*. At isti frustum panis adorant, & illud in substantiam carnis carnali modo conuersum esse credunt: & propterea cum hæc omnia non ab Apostolis aut veteribus Christianis, sed à pontifice Romano habeant; ea ad characterem bestiæ proculdubio pertinent.

[1] *In vita Paulæ.*

[2] *In Psal. 98.*

Dicit sextò, *quosdam existimasse characterẽ Antichristi esse literas, quibus scribetur nomen Antichristi.* Sed hãc sententiam nec nos probamus, nec ipse aduersarius probandam censet. quorsum ergo nugas hic agit, & quæ nihil attinent?

Dicit postremò, *characterẽ bestiæ fore, non vti signo crucis, sed illud potiùs execrari: nam hoc asserere Hippolytum in oratione de consummatione mundi.* Sed manifestè se falsarium ostendit, vt aliquid in nos acutiùs diceret. nam Hippolytus iste, licèt non magnæ fidei author, ista tamen non dicit. imò contra; *Dicimus*, inquit, *scripturam illius sigilli esse, ἀρνοῦμαι, id est, nego. nam antea quoque hostis ille nobis aduersarius operâ ministrorum suorum, hoc est, idololatrarum, Christi martyres hortantium; negato, aiebat, Deum tuum crucifixum*, &c. Dicit etiam Antichristi seruulos *negaturos creatorem cœli & terræ, negaturos baptisma, & adorationem à se Deo præstari solitam, & dicturos Antichristo, Tibi adhæresco, in te credo.* Quæ omnia aduersus Papistas faciunt. ipsi enim idololatrarum ministerio inducti negarunt Deum crucifixum, & mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Ipsi præterea non tam Deum adorant, quam homines & idola; & pontifici dicunt, Tibi adhærescimus, in tuas decretales credimus, at nos in vnũ Chri-

stum credimus, & crucem eius nobis gloriæ fore putamus. Non sunt ergo quæ nos attulimus tam infirma, vt Bellarm. putauit; nec cuiquam iam dubium esse potest, quin forma religionis pontificiæ, & modus viuendi secundùm leges papales sit character Antichristi. Videte ergo quibus hoc integrum est, ne illum recipiatis. vos autem qui recepistis characterem, cauete, ne vnà cum bestia, & vniuerso stigmatiarum eius grege, mittamini in stagnum ignis ardentis, quod [1] Ioannes vidit; & quod pœnæ genus Antichristi mancipiis & comitibus prædixit.

[1] *Apoc. 19.*

At Bellarmini pro pontifice Romano argumentum iam nutat & vacillat. nam nec verum est, formam pontificiæ religionis non esse characterem Antichristi; nec hanc notam à se amoliri potest pontifex Romanus.

Ad argumentum sextum à generatione Antichristi, respondetur, CAP. XXXI.

SExtum argumentum [1] Bellarmini à generatione Antichristi sumptum est. inde enim *euidēter demonstrari dicit, papam non esse Antichristum, quia nullus pontifex Rom. ab anno Domini 606. vel gente, vel religione Iudæus fuit. Antichristus autem ex Iudæis nasci & circumcidi, & sabbâtum obseruare, & ad Iudæos mitti, & ab eis, vt Messias, recipi debet*, vt ille existimat. Sed si hæc omnia aut falsa sint, aut incerta; tum demonstrationem hanc, quam ille *euidentissimam* esse [2] iactat, incertam & planè nullam esse necesse est. At illud nos argumentis euidentissimis euincemus. Et primò quidem falsum est, Antichristum illum, de quo Scripturæ loquuntur, Iudæum fore. nusquam enim hoc vel prophetæ, vel apostoli docuerunt. Geneseos quidem cap. 49. legimus, *quod Dan fiet coluber in via, cerastes in semita.* & apud [3] Hieremiam scriptum est, *ex Dan audiuimus fremitum equorum:* quæ nonnullos induxerunt, vt Antichristum ex tribu Dan oriturum existimarint. Sed in priore loco Iacob de tribu Dan, & fortasse de Samsone, & non de Antichristo vaticinatur. Secundus autem locus omnino non pertinet ad Antichristum,

[1] *Lib. 3. de pont. Rom. c. 12.*

[2] *Col. 881.*

[3] *Hierem. c. 8.*

christũ, sed ibi propheta prædicit Nabuchodonosoris aduentum per viam Dan: quod & Bellarmin. non negat. & præterea nullus est Scripturæ locus, qui huc detorqueri potest. quod autem non habet in scripturis fundamentum, rectiùs reiicitur, quàm recipitur.

Præterea, ad Antichristi regnum pertinet quicquid Christo aduersatur. at non soli Iudæi Christo aduersati sunt, vt ex eis solis hic filius perditionis nasceretur. Irenæus eius nomen *Latinum* fore putauit, aut *Teitan.* Illud, quia *Latini* rerum tum potiebantur: hoc, quia nomen istud vltionem præ se ferebat. vnde sequitur eum ex gente clara & potente Antichristum nasciturum existimasse. [1] Sibylla autem vaticinatur, Antichristum iuxta Tyberim regnaturum. nam postquam nomẽ & mores hominis descripsisset; αἶ αἶ, inquit, θρηνήσουσι λυγραῖς παρὰ Θύβριδος ὄχθαις. quid autẽ Iudæo iuxta Tyberim?

[1] *Carm. Sibyll. lib.* 8.

Postremò, dicit Ioannes Antichristum similem fore bestiæ ascendenti è terra. vnde probabiliter colligitur, gentem & generationem eius obscuram fore. tales enim terræ filii existere solent. At inquit [2] Bellar. *Iudæi nunquam reciperent hominem non Iudæum, aut incircumcisum pro suo Messia.* Quasi verò non receperint nonnulli ex Iudæis Herodem pro suo Messia, qui inde Herodiani dicti sunt. *Herodem*, inquit [3] Epiphanius, *putabant hi Christum dominum, qui in omnibus Scripturis, legeq; ac prophetis expectatur.* Præterea, non magis hunc necesse est à Iudæis recipiendum esse, quàm ab aliis fictis Christianis, quos non est verisimile hominem circumcisum recepturos.

[2] *Col.* 880.

[3] *De hæres. Iudæor.* 7.

Dicit præterea *omnes veteres clarissimè docere Antichristum fore Iudæum: & plurimos putare oriturum ex tribu Dan: & ipsum circumcisionem, & alias cæremonias Iudæorum obseruaturum.* At primò mendacium est, omnes veteres clarissimè docere Antichristum fore Iudæum. neq; enim vel Ignatius, vel Iustinus, vel Tertullianus, vel Cyprianus, vel Origenes, vel Chrysostomus, vel reliqui quos ille tacet, istud docent. Præterea, quod aliqui docent ex Dan oriturum Antichri-

stum, consistere non potest. quomodo enim verisimile est, Iudæos pro Messia recepturos hominem ex tribu Dan genus ducentem, cum omnes intelligant ex tribu Dauid Messiam esse oriundum? Neque valet commentum Bellarmini, quòd finget se ex tribu Dauidis. nam nihil eius habent patres, nec quicquam tale fingi, aut celari potest. Deinde, ipse [4] Bellarm. fatetur, *patres qui asserunt Antichristum ex tribu Dan nasciturum, nihil certi afferre, & scripturis niti quæ nihil efficiunt*. cur ergò credamus nos Iudæum futurum magis, quàm ille credit ex tribu Dan oriturum, cum idem sit vtriusque sententiæ fundamentum? Postremò, debiles sunt vt plurimùm patrum de Antichristo coniecturæ. multa enim nonnulli habent de origine Antichristi absurda: vt opusculi author de antichristo, qui Augustino ascribitur, & Hippolytus, & Cyrillus, qui existimāt Antichristum personaliter fore diabolum. & patres ipsi fatentur, se nihil habere de istis rebus certi.

[4] Col. 879

Secundò, falsum est ad Iudæos tantū missum iri Antichristum, vt significat Bellarm. missus est enim ad omnes, *qui Christum nō receperunt*, vt inquit [1] Ioannes; & ad omnes, *qui veritati fidem non habuerunt*, vt inquit [2] Paulus, & caput erit, vt dictum est, omnium improborum. At non soli Iudæi Christum & eius euangelium reiecerunt; nec soli aures veritati occluserunt; nec ex Iudæis solis homines improbi & facinorosi extiterunt. Præterea, ex scripturis non constat, Antichristū ad Iudæos vel solos, vel præcipuè mittendum fuisse. nam quod dicit Christus, *si alius venerit in nomine suo, eum recipietis*; neque ad Antichristum pertinet, quia loquitur indefinitè; neque ad Iudæos sub finem seculi futuros, quia alloquitur Christus Iudæos præsentes. Verba autem Pauli 2. Thess. 2. docent Antichristum non ad Iudæos tantùm, sed ad omnes, *qui caritatem veritatis recipere noluerunt mittendum esse*. At inquit Bellarmin. *annotandum est apostolum non dixisse, Quia veritatem non recipient, sed, Quia non receperunt.* vnde infert, *apostolum de iis loqui, qui prædicante Christo & apostolis credere noluerunt*. Egregiè sanè, & acutè.

[1] Ioan. 5.
[2] 2. Thess. 2.

nam

nam si ad eos tantùm mittendus erat Antichristus, qui tunc verbum Christi audiuerunt, & credere noluerunt; tunc apostolorum temporibus missus est Antichristus. neque enim ad mortuos credibile est missum iri.

Dicit ergò vlteriùs, *se à sua parte habere omnes interpretes.* At nos quantum in hoc argumēto tribuendum sit interpretibus, iam diximus. ne ipse quidem Bellarmin. in hac causa eis multum tribuit. Præterea, patres, licèt ad Iudæos mittendum Antichristum nonnulli eorum existimarent; non tamen dicunt eum ad solos Iudæos esse mittendum.[1] Dicit deniq; *Antichristum ad eos se potissimum adiuncturum, qui parati sunt eum recipere.* Sed quî scit Iudæos magis propensos fore ad eum recipiendum, quàm gentes, cum efficacia erroris æquè omnibus illudet? certè Iudæi hominem ex tribu Dan oriturum nunquam recipient pro Messia, quem ex genere Dauidis oriundum esse nouerunt.

[1] *Col.* 880.

Falsum est etiam quod dicit Antichristum à Iudæis pro Messia receptum iri nihil enim eius habetur in Scripturis. Patres verò aliquot, qui à Iudæis dicunt recipiendum, quorsum sit recipiendus, tacent. absurdum est deniq; exspectari Messiam à Iudæis, quē Paulus dicit in ecclesia Dei sessurum, & regnum suum ibi inchoaturum.

Vtrùm verò Antichristus se circumcidi patietur, & vtrum religione futurus sit Iudæus, & cæremonias reuocaturus; nec ipsi norunt aduersarii, nec illud docere possunt. nos nihil istorum credibile putamus. erit enim illusor, & fallaciis suis multos ad se attrahet. At si Iudæorū amplecteretur cæremonias, omnes vel nomine tenus Christiani ab ipso tanquam à latrone, & apostata refugerent.

Postremò, vt Iudaismum quodammodo Antichristus olêre deberet; non tamen hoc impedit, quin pontifex Rom. sit Antichristus. nam multas legales in suam synagogam introduxit cæremonias, & totus fere missæ apparatus à Iudæis traductus est, inde etiam pontifex Rom. se suum transtulisse sacerdotium iactat.[2] *In-*

[2] *c. Per venerabilem. qui filii sunt legitimi.*

nocentius deniq; tertius, homo sapiens & acutus, totum Deuteronomium in nouo Testamento obseruandum censuit, *quia secunda esset lex.* At nihil est aliud Deuteronomium, quàm totius legis Mosis recapitulatio. tales ergo demõstrationes, quæ ex mendaciis & somniis, & opinionibus hominum inter se dissentientium consarcinantur, talem decuerunt causam, & patronum, magistraliter mentientem & somniantem.

Ad argumentum septimum à sede Antichristi petitum respondetur, CAP. XXXII.

SEptimi argumenti hæc vis est, hæc summa; *Antichristum Hierosolymis sessurum in templo Salomonis, & non Romæ, nec in ecclesia Dei: & propterea pontificem Roman. non esse Antichristum, quia Romæ sedet, & non Hierosolymis.* & hoc [1] Bellarm. insigne putat esse argumentum. Sed nihil aliud arguit, quàm insignem ipsius stultitiam, & inscitiam. nam Christus, vbi discipuli ei ostenderunt templi structuram, [2] prædixit fore, *vt non relinqueretur lapis super lapidem.* si autem de nouo ab antichristo ædificaretur templum, illud non Dei, nec Salomonis diceretur, sed eius, qui illud ædificaret, nempe Antichristi.

[1] *Lib. 3. de pont. Rom. c. 13.*
[2] *Matth. 24.*

Præterea, prædixit [3] Spiritus sanctus vastitatem & desolationem templi in finẽ duraturam: quod & euẽtus docuit. nam cum Iudæi tẽpore Iuliani apostatæ illud instaurare conati essent; igne è terra erumpente, & variis prodigiis ab opere [4] deterriti sunt.

[3] *Daniel. 9.*
[4] *Theodor. lib. 3. hist. c. 20. & Sozomen. lib. 5. hist. c. 21.*

Hieronymus in epistola ad *Marcellam* dicit *eos fabulis Iudaicis acquiescere*, qui propter hanc sessionem Antichristi in templo Dei *rursus ædificanda Hierosolyma, & in templo hostias offerendas putant.* Ratio etiã docet, in alio loco quàm Hierosolymis sessurũ Antichristum. sedere enim debet in templo Dei. at ibi nullum est nunc templũ Dei; nec si aliquod ab Antichristo ædificaretur, esset illud templum Dei, sed Diaboli. Nec videtur verisimile, cum Antichristus tres tantum annos & sex mẽses, vt isti aiunt, regnaturus sit; ipsum & ciuitatem iam euersam, & templũ quod nonnisi multis

tis annis ædificari potuit, iterum à fundamentis ædificaturum esse.

Patres verò non Hierosolymis existimarunt, sed alibi Antichristum regnaturum. [3] Hieronymus dicit *eos veriùs existimare, qui nō Hierosolymis. sed in ecclesia regnaturum Antichristum putant.* *Sedebit*, inquit [6] Ambrosius, *in interiore templo Iudæorum.* 7 Augustinus in ecclesia Dei sessurum putat, *tanquam ipse sit templum Dei, quod est ecclesia.* hanc autem fabulam de templi instauratione [8] Hieronymus dicit Dionysium Alexandrinum irrisisse. Cyrillus dicit sessurum in templo, vbi cherubin erat; *Catech.* 11. hoc autem nisi spiritualiter intelligi non potest. Idem quo tempore templi ædificationem moliebantur Iudæi, 9 prædixit *illud nunquam ædificandum fore. Ecclesias Christianorum*, inquit [1] Chrysostomus verba hæc exponens, sedebit in templo Dei, *intelligit quas sibi seruire faciet. Non dicit*, inquit etiam [2] Oecumenius, *templum Hierosolymæ, sed ecclesias Christi.*

[3] *In epist. ad Algas. q.* 11. [6] *in c. Luc.* 21. 7 *De ciuit. Dei. lib.* 20. *c.*19. [8] *Lib.*18. *in Isai. & Ludouicus Viues in Augustin de ciuit. Dei.* 9 *Socrat. hist. lib.* 3. *c.* 17. [1] *In* 2. *Thessal.* 2. [2] *Ibidem.*

Nos denique ostendimus, Romæ, & non Hierosolymis regnaturum Antichristum: quod & Ioannes prædicit, Apocal. 17. & patres quasi per nebulam viderunt, & Sibylla cecinit, & rationes multæ probant. Ioannes ostendit meretricem Apocalypticam esse illam vrbē, quæ imperium habuit super reges terræ: & dicit *septem capita esse septē mōtes.* vnde facilè intelligimus Romam figurari. ea *enim in septē montibus est sita*, vt inquit [1] Varro. & vt ait Virgilius: *Septem arces vno muro circumdedit.* Et Propertius: *Septem*, inquit, *vrbs alta iugis.* neq; præterea vlla alia talis est. [2] Patres per Babylonem & bestiam etiam viderunt Romam describi. & Sibyllæ verba iuxta Tyberim Antichristum regnaturum docent. Atq; hæc omnia nos pluribus argumentis ostendimus ad Romam sub pontifice Romano, & synagogam Rom. & non ad Romam ethnicam pertinere.

[1] *Lib.* 5. *de lingua Lat.* [2] *Tertul. lib. cōtr. Iudæos. & lib.* 3. *cōtr. Marcion. & Hieron. epist.* 17. *ad Marcellam.*

Quod etiam ex futilissima Bellar. disputatione valde confirmatur. Primùm argumento pugnat, deinde scripturis, & authoritate patrum. Argumētum ab absurdo petitur. [3] Asserit enim, *si Antichristus in ecclesia*

[3] *Col.* 882.

Dei sessurus sit, & pontifex Rom. Antichristus sit; tum pontificis ecclesiam, veram fore ecclesiam. Sed idem etiam incommodum sequetur ex Bellarmini interpretatione. nam si in templo Hierosolymitano sessurus sit Antichristus, & illud sit templum Dei; tum sequitur Antichristi templum esse templum Dei. Dico ergo apostolum loqui de ecclesia illa, quæ antequam ab Antichristo oppressa esset, vera erat Dei ecclesia, & postea vera esse desiit. Sic *ciuitas fidelis* [4] *dicitur facta meretrix:* nō quòd simul esse posset fidelis, & meretrix; sed quod fidelis esse desiit. Postea verò quàm ecclesia Antichristo adhæsit, mansère tamē aliqui viri fideles inter Antichristi gregales, in quibus reliquiæ ecclesiæ seruatæ sunt. Caluinus autem nō [5] dicit *ruisse ecclesiam vniuersalem*, vt Bellarm. impudenter affirmat: nec concedit fundamenta integra apud Papistas manere. imò si qui sunt viri inter eos pii, illi à corruptelis synagogę Rom. longissimè abhorrent, vt ille putauit. Sed vt hæretici non in omnibus errant; sic fatetur Caluinus in quibusdam Papistas verè credere. sed hoc quod rectè creditur, non est ex fæce papismi, sed ex reliquiis religionis Christianæ. Malè ergo concludit Bellar. vel Papistas fundamentum fidei tenere, vel ædificium ecclesiæ nostræ nouum esse.

[4] *Isai.* 1.

[5] *Lib. inst.* 4. *c.* 2 §. 11. & 12.

Postea Scripturas & patres ad suam causam detorquere conatur: & [6] dicit, primò *Henoch & Heliam pugnaturos cum Antichristo in Hierusalem, & ibi ab eodem occidendos esse, & hoc Ioannem dicere: & propterea Antichristi sedem Hierusalem futuram.* Sed neque loquitur Ioannes de Henoch & Helia, vt iam dictum est: nec pugna hæc cum Antichristo futura est, sed cum Diabolo, qui designatur per bestiam ascendentem ex abysso, vel cum tyrannis & imperio Rom. quod designatur per pardum, Apocal. 13. neque enim meminit Ioannes Antichristi ante caput huius prophetiæ decimum tertium. & hoc in loco diserte [8] dicit, *ciuitatem sanctam calcandam esse à gentibus*: quod ostendit omnem hanc persequutionem à gentibus esse inferendam.

[6] *Col.* 883.

[8] *Apoc. c.* 11.

Verùm vt Bellarm. gratificemur, & concedamus & *Henoch*

Henoch & Heliam, Apocalyp. 11. designari, & hanc persequutionem esse illam Antichristi vltimam, quod non est verisimile: nihil tamen hæc ad propositum faciunt. locus enim iste spiritualiter intelligendus est, vt docet [9] Hieronymus, & ex verbis Ioannis colligitur. Ioquitur enim de templo, & altari, & atrio, quasi illa iam starent. At ista ante tempora Antichristi, & prophetiam Henoch & Heliæ euertenda erant. Dicit etiam ignem *exiturum ex ore prophetarum duorum, & deuoraturum inimicos illorum*: quæ necessariò sunt spiritualiter, & mysticè intelligenda. [1] Arethas ex hoc loco colligit *Antichristum in Hierusalem regnaturum*: sed multis in locis ille à vero aberrat. Non sequitur deniq; etsi in Hierusalem occidendi essent Dei prophetæ; propterea ipsum Antichristum in Hierusalem regnaturum. nam ex imperatorũ Rom. mandato Christi martyres & in Iudæa, & Babylonia interfecti sunt, licèt illi Romæ degerent.

[9] *In epist. ad Marcellam.* 17.

[1] *In Apoc.* 11.

Profert *secundò* locum Apolcalyp. 17. vbi dicit Ioannes, *decem reges meretricẽ crematuros*. inde colligit Bellar. non posse *vrbem Romam esse sedem Antichristi, quia eam decem reges, qui diuident inter se imperium Roman. comburent*. Sed malè ille locum hunc intelligit. nam si per meretricem purpuratam nouam Romam intelligas; tum prophetia hæc de Romæ excidio tunc cõplenda erit, quando Deus reges istos excitabit, qui opes regni pontificii inter se diuident, & Antichristi sedem exscindent: quod iam in parte aliqua completum videmus. Si autem, quod nonnullis videtur verisimilius, Romam & veterem & nouam intelligas; tum nihil impedit, quò minùs eadẽ & comburatur, & postea restituatur, & ita tandem sit sedes Antichristi. nam dicit Ioannes, quod reges terræ *regnum suum dabunt bestiæ*: bestia autem cum 7 capitibus Romam designauit. Quod autem hæc ad nouam Romam, seu statum reipubl. Rom. sub pontificibus Rom. pertineant, nos multis argumentis ostendimus. Nullo ergo modo cõtra nos facit locus iste; at multum contra pontificẽ facit, vt iam antè ostensum est. nugas etiam aduersarii, qui Antichristum Iudæum fore existimat, iam antea refutauimus.

Profert *tertiò* verba Pauli 2. Thess. 2. vbi dicit, *quod Antichristus in templo Dei sedebit.* Sed hoc pro nobis militat. nam nunc nullum est Dei templum Hierosolymis: nec si aliquod de nouo construeret Antichristus, mereretur illud nomen templi Dei. Pro ipso sanè non facit. nam etsi interpretes nonnulli templum intelligant Hierosolymitanum; hoc tamen ex Cerinthi fabulis sumptum videtur. ille enim sub finem seculi iterum reædificandum templum, & cæremonias legales restituendas [2] existimauit. interpretes autem meliores nobiscum facere ostendimus.

At inquit Bellar. *Nusquam vel in scripturis, vel in patribus antiquis per templum Dei intelligitur ecclesia Christianorum; & huius rei duas rationes affert:* homo sanè acutus, qui rationes rerum non existentium inuenire potuit. Sed in illo impudentiam cum ignorantia coniunctam ostendit. quod enim ille nusquam factum dicit, nos sæpius factũ ostendimus *Quæ consensio,* inquit [3] Paulus, *templo Dei cum idolis?* Idẽ etiam Christianos appellat templum Dei. *Vos,* inquit, *estis templum Dei.* [4] Irenæus sæpe vocat corpora nostra *Templum Dei;* quod nõ faceret, nisi ecclesia Dei posset dici templum Dei, vbi Deus habitat. [5] Augustinus dicit Antichristũ sessurum in templum Dei, hoc est, *venditaturum se & suos, esse ecclesiam Dei. Dei autem templũ,* inquit [6] Theodoretus, *appellauit ecclesias.* Plura præterea nos aliâs huius rei exempla attulimus. In hoc templo ergo Antichristus sedet, dum arrogat sibi potestatem pœnas peccatorum & post hanc vitam, & hîc etiam mitigandi, aut tollendi; & dum conscientias & animas hominum se legum suarum vinculis astringere posse dicit.

Profert postremò testimonia patrum. Sed vbi patrum variant sententiæ, illud sequendum est, quod & verbis sacræ Scripturæ, & rerum euentui magis consentaneum est. Patres in hac causa leuissimis, vt plurimùm, cõiecturis ducti, longè à vero aberrarunt, quod nec aduersarius negare potest. Cum ergo ea dicunt futura, quæ nec verisimilia sunt, nec fieri possunt; quid opus est templum Hierosolymitanum ad eorum interpre-

[2] *Hieron. in Isai. lib.* 18. *& Ludouic. Viues in Augustin. de ciuit. Dei. lib.* 20. *c.* 7.

[3] 2. *Cor.* 6.

[4] *Lib.* 5. *aduers. hæres.*

[5] *Lib.* 20. *de ciuit. Dei. c.* 19.

[6] *In* 2. *Thessal.* 7.

terpretationem defendendam instaurare, cum præstò sit ecclesia Dei, quam occupauit Antichristus, & ex ea speluncam latronum efficere tentarit?

Sic itaq; retorqueri potest argumentum hoc cōtra Bellarminum; Antichristum in ecclesia Dei & Romæ sessurum, & non Hierosolymis; & propterea pontificem Rom. Antichristum esse, cum in nullum aliū prophetiæ sacræ Scripturæ quadrare possint.

Ad octauum argumentum à doctrina Antichristi respondetur, CAP XXXIII.

OCtauum[1] Bellarmini argumētum à doctrina Antichristi sumptum est. nam *quia pontifex Rom. non negat Iesum esse Christum, nec introducit circumcisionem, aut Sabbatum loco baptismi & diei Dominicæ, nec se dicit Christum aut Deum, aut saltem non se solum facit Deum; idcirco eum Antichristum esse negat: nam Antichristum illa omnia facturum.* Sed multa hîc peccat, & mentitur aduersarius. Primò, argumentum ipsius malè formatur. nam Antichristus non tantùm in his quatuor doctrinæ capitibus, quæ ab ipso recensentur, sed in multis etiam aliis peccabit, vnde non minùs, quàm ex istis Antichristus esse dignoscetur. Antichristus enim est quicunq; aliquid contra Christum docet; sed is maximè, qui plurima dogmata à fide Christi aliena defendit. Quare non in his tantùm, sed in multis etiam aliis pontifex Rom. se Antichristum esse ostendit, & in eis maximè; quod ipsa fidei fundamēta mutat & conuellit, & Christi officia cum aliis communicat, & Christi sacramētis aut abrogatis, aut mutatis, noua instituit; & operibus nostris salutis meritum tribuit, & nouas leges conscientiis imponit, & fidem & doctrinam apostolicam aut mutat, aut additionibus nouis conspurcat.

[1] *Lib. 3. de pont. Rom. c. 14.*

Secundò, asserit *maximam esse inter papistas & nos,* quos ille trihæreticus & fons hæreseôn hæreticos vocat, *de doctrina Antichristi controuersiam.* At hoc mendacium esse nullus non videt. nam omnem doctrinam cum Christi Euangelio & doctrina pugnātem, ad Antichristi statum & doctrinam, & nos & aduersarii no-

stri communiter fatemur. Quod & Bellar. ipse paulò pòst agnoscit. postquam enim summa capita doctrinę
[2] Col. 889. Antichristi complexus esset; *hæc omnia*, [2] inquit, *aliquo modo esse vera, & ad Antichristum pertinere nobiscum consentiunt aduersarii.* Et sanè cum considero, non de Antichristi doctrina, sed an pontifex Rom. hanc doctrinam profiteatur, certamen omne institui video. non modò ergo mentitur Bellar, sed etiam pugnantia loquitur.

[3] Ibidem. Tertiò, [3] significat *quatuor tantùm futura esse doctrinæ Antichristi capita; & hoc nostro testimonio confirmare conatur.* Sed & falsum hoc esse, & nos longè aliter sentire & iam antea diximus, & hæc disputatio satis ostendet.

[4] Vbi supra. Dicit [4] *quartò Antichristum confirmationis sacramẽtum oppugnaturum.* Sed bonus ille vir nec confirmationem vnquam docebit esse sacramentum, nec eam ab Antichristo oppugnatam iri docet. Imò, vt omnia Christi instituta oppugnet; confirmationem tamen, quam synagoga pontificia sacramẽtum esse vult, nunquam oppugnabit. hæc enim recentiorem habet originem, & ab eius prima origine Papistæ multum deflexerunt.

[5] Ibidem. [5] Asserit quintò, *nos affirmare Antichristum non verbo negaturum vel Christum, vel sacramenta, sed opere tantùm* Sed si nostra legisset, vel intellexisset; vidisset nos asserere, Antichristũ nonnunquam verbo etiã Christum & sacramenta negare. ea enim docet, ex quibus sequitur Christum non esse vnicum nostrum redemptorem; & calicem in cœnæ administratione populo necessarium esse negat & verbo plurima contra Christum & eius sacramenta impiè docet. sunt deniq; nonnulli pontifices, qui vel Christum negarunt, vel de eo valde dubitarunt.

Sextò, asserit *nos dicere Antichristum non verbo seipsum facturum Christum vel Deum, sed opere.* Sed debuit ille homines, qui ita sentiunt, nominare, vel saltẽ verba eorum dicere. [1] Magdeburgenses certè ita nec sentiunt, nec loquuntur. Nos autem eam esse pontificis Rom. insolentiam scimus, vt se à suis Deum dici, & supremum

[1] Cent. 1. lib. 2. c. 4. col. 435.

premum numen salutari sustineat. locaq; nos multa in argumentis nostris annotauimus.

Septimò,[2] dicit *nostram de Antichristo doctrinam solis niti Scripturis per nouas glossas perperam explicatis.* Sed valde confidimus omnes, qui nostra legent, aliter opinaturos, nam præter Scripturas habemus & patrũ cõsensum, & historiarũ, & virorũ doctorum in plurimis testimonium, pro nobis etiam facit euentus & veritas. Verùm vt solis niteremur scripturis; multò tamen melior esset causa nostra quàm aduersariorũ, qui scripturas & rerum euentũ habent aduersus se, & nihil afferunt præter leues cõiecturas patrũ, & somnia & fabulas delirãtium monachorũ, quo Antichristi nomen & inuidiam à pontifice Rom. eiusq; regno amoliantur. — 2 *Col.* 890.

Futiliter deniq; & ineptè somnia sua de Antichristi doctrina probat. Primò affirmat, *quod Antichristus ex professo negaturus sit Iesum esse Christum, & quod omnia eius sacramenta, tanquam seductoris cuiusdam inuenta sit conculcaturus.* At hoc absurdissimè fingitur. nam Antichristus habebit cornua agno similia: hoc est, vt inquit [3] Arethas *fingit se agno & Christo similimũ*; & vt ait [4] author glossæ ordinariæ, *duo testamẽta vsurpabit.* At si Christo apertè & ex ꝓfesso aduersarius futurus esset, quid illi opus erat forma agni, aut Christi humilitate, aut testamẽtorũ Dei disciplina? Secũdò, cunctas suas iniquitates & impietates, quãtum poterit, occultabit. quod ex eo discimus, quia progressio eius, & opus *mysteriũ* [5] appellatur *iniquitatis*, & quia in frõte meretricis [6] scriptũ est, *Mysteriũ.* At mysteria nõ omnes intelligunt, sed tantùm initiati. Tertiò, in ecclesiã Dei latẽter ingredietur, & ibi sedebit. Imò se & suos pro ecclesia vẽditabit, vt significat [7] Augustinus. At si palàm & apertè Christũ negaret, nequicquam istud faceret. Quartò, [1] prædicit Christus pseudochristos *in nomine suo vẽturos, & miracula operaturos, vt si fieri posset, ẽt electi in errorẽ inducerentur.* Apostolus verò [2] dicit, quod *in omni seductione vẽturus esset Antichristus.* At qui apertè Christũ negat, ex Christianis neminẽ põt fallere, aut latẽre. nec ille in nomine Christi, sed poti⁹ cõtra Christum venit. Quintò, non ille tantùm Iudæos, sed et- — 3 *In cap. Apoc.* 13. 4 *Ibidem.* 5 2. *Thess.* 2. 6 *Apoc.* 17. 7 *De ciuit. Dei. lib.* 20. *c.* 19. 1 *Matth.* 24. 2 2. *Thess.* 2.

iam Christianos fallet. Christus enim, si fieri posset, electos deceptos iri dicit. At Christianos nemo decipere potest, qui Christum apertè negabit. Patres denique ostendunt eius abnegationem occultam fore. Di-
3 Cõment. in Daniel. c. 11. cit 3 Hieronymus *eum simulaturum se ducem esse fœderis.* 4 Augustinus dicit, quod *sedebit in templum Dei, hoc est, quasi ipse cum suus esset templum Dei. Inducet*, inquit 5 Cyrillus, *quendam magnum hominem veneficiis & incantationibus, & malis artibus instructissimum, vsurpantem sibi potestatem Romani imperii, falsò autem Christum seipsum vocantẽ.* Dicit etiam 6 Irenæus, quod *conabitur ostendere se Christum esse. Duo testamenta*, inquit Primasius, *agno competentia more agni vsurpabit.* Idem affirmat *Antichristum decepturum mundum hypocrysi simulatæ veritatis.* at hæc de eo dici non possunt, qui Christum apertè negabit. Bellarmini verò rationes in contrarium adductæ, plenæ sunt nugarum & ineptiarum. 7 Dicit primò, *eum Iudæum fore, & à Iudæis pro Messia recipiendum esse.* Sed nos hoc somnium esse incertum iam antea ostendimus. Atq; vt aliquid contineret veritatis; tamen cum nõ tantùm à Iudæis, sed à Christianis etiam recipiendus sit; non videtur verisimile eum Christum palàm abnegaturum. Patres dicunt ipsum simulaturum se Christum esse, saltem potestate, vt eius nomine plus sibi authoritatis vendicaret.

4 De ciuit. Dei lib. 20. c. 19.
5 Catech 15.
6 Lib. 5. aduers. hæres.
7 Col. 890.

8 1. Ioan. 2. Profert secundò, verba Ioannis qui 8 dicit, *Antichristum negaturũ Iesum esse Christum:* quod nos etiam verum esse agnoscimus. dicimus tamen ipsum factis potiùs quàm verbis, & occultè, & clam Christum abnegaturum. At inquit 9 Bellar. *hæretici aliquo modo negabunt Iesum esse Christum. ergo Antichristus simpliciter & omnibus modis negabit Iesum esse Christum.* Sed nec antecedens verum est; multi enim hæretici Christum apertè negarunt: nec consequens necessarium; quia maior erit Antichristi, quam reliquorum hæreticorum astutia. Quod autem dicit, *diabolum operari mysterium iniquitatis in hæreticis*, verum non est, si tantùm in hæreticis ipsum operari intelligat. maximè enim operatur mysterium iniquitatis in ipso Antichristo. Ipse etiam

9 Col. 891.

etiam Antichristus mysterium hoc vnà operatur, & in eo operando præcipuum se architectum ostendit. Antichristi autem aduētus dicitur eiusdem *reuelatio*, non quia palam negabit Christum; sed quia quod occultè fecit, postea palam fiet, & omnes ea re ipsum Antichristum esse agnoscent.

Confugit postremò ad patres tanquam ad asylum. Sed nullum illi sceleratum & mendacem Iebusitam ad se recipiunt. [1] Hilarius *eos in Antichristi spiritum & nomen proficere* dicit, *qui creaturæ adoptiuum nomen, potius quàm verum Dei filium Iesum Christum confitentur*. Vnde colligitur, Antichristum Christum verbo confessurum esse, potiùs quàm negaturum. Christum enim fatebitur esse filium Dei adoptiuum secundùm Hilarii sententiam. Vbi autem Hilarius dixerit, *Antichristum nomen Christi funditus extincturum*, quod Bellar. affirmat, nullus (credo) facilè reperiet.

[1] *Lib. 6. de Trinit.*

Augustinus lib. de ciuitate Dei 20. c. 8. non loquitur de Antichristo, sed de diabolo. Atque vt intelligamus diabolum eo modo per Antichristum sæuiturum; ostēdit tamen eum à piis vincendū esse, quamuis non esset ligatus. de Antichristi publica abnegatione Christi nullum extat apud Augustinum vestigium.

[2] Hieronymus dicit Antichristum exoriturum ex gente Iudæorum. sed multa etiam alia de Antichristo dicit parum probabilia. Verùm vt ex Iudæis oriturus esset; non tamen omnes qui gente sunt Iudæi, Christum abnegant. Non sensisse Hieronymum Antichristum palàm Christum abnegaturum, rectiùs ex hoc loco colligitur. dicit enim eum fraudibus regnum acquisiturum, & *simulaturum se ducem esse fœderis, & testamenti Dei.* At si palàm, & omnibus modis Christum abnegaret, parum illius fraudes apud Christianos proficerent.

[2] *In c. 11. Daniel.*

[3] Gregorius etiam & [4] Sedulius ostendunt *Antichristum instauraturum Iudæorum cæremonias.* Sed probare debuit Bellarm. Antichristum Christum abnegaturum esse palàm, & omnibus modis. illud autem ex Gregorii & Sedulii dictis non probatur. nam pseudoapostoli, de quibus loquitur Paulus in epistola ad

[3] *Lib. 11. epist. 3.*
[4] *In 2. Thes. 2.*

Galatas, & Nazaræi, & Cerinthiani, & aliquot alii hæretici cum fide Christi seruãdas censuêre cæremonias legis Mosis. Nostri etiam aduersarii, ipsiq; pontifices Rom. multas legis Mosaicæ & Iudæorum cæremonias in templa, & sacra sua transtulerunt, multas in sacerdotibus & ecclesiastica disciplina instaurarunt: quos tamen Christum planè & prorsus abnegasse non dicet Bellarminus.

Hippolyti oratio de consummatione mundi adulterina est. Præterea nihil ille certò affirmat. *Dicimus fortasse*, inquit ille, *figuram sigilli eius esse ἀρνοῦμαι, nego.* Postremò, non loquitur de publica Antichristi abnegatione; sed de eorum tantùm abnegatione, qui ipsi adhærebunt.

Postremò, vt aliquid haberent patres in rem Bellar. tamen, vt sæpe admonuimus, non erant illi prophetæ, vt de rebus futuris certò diuinare possent: & nonnunquam ingenuè fatentur ignorantiã suam. Atq; vt non faterentur; omnes tamen vident multùm eorum plerosq; in hoc argumento allucinatos esse: quod & aduersarii verum esse agnoscunt.

At inquit Bellarm. *ob vehemẽtiam persequutionis cessabunt publica officia & sacrificia diuina; ex quibus euidens est Antichristum non deprauaturum doctrinam Christi sub nomine Christianismi.* Sed neque illud verum esse potest. interiret enim ecclesia absq; verbi, & sacramentorum nutrimento. Neque vt publica officia cessarẽt, propterea necesse est Antichristum abnegare Christum. nullæ enim sæuiores esse solent persequutiones, quàm quæ fiunt ab hæreticis sub Christi nomine: vt nos tẽpestates & nuper à Papistis, & olim ab Arrianis & Eutychianis excitatæ docent. Cessabunt itaq; quodammodo publica religionis exercitia, sed tamen in locis desertis, vbi Christus ecclesiam afflictam alet, & Deus ritè inuocabitur, & sacramenta sincerè administrabuntur: nec hoc pontifex Rom. in ecclesię tenebris vnquam impedire potuit.

Quod autem dixi, non cessaturum omnem religionis Christianæ vsum, omnesq; cultus Diuini cæremonias, etiam tempore persequutionis Antichristi, constat

stat primò; quia Christus se cum ecclesia vsq; ad mundi consummationem futurum dicit. quomodo autem Christus pręsens esse potest, vbi nec verbi habetur prędicatio, nec sacramentorum administratio? Secundò, Christus discipulis in mandatis dedit, vt prædicarent, & baptizarent: atque hæc mandata eorum successores ligant vsque ad finem sęculi. Tertiò, Christus præcepit commemorationem suæ mortis in sacra eucharistia celebrari, *vsq; ad* [1] *aduentum suum*. Quartò, ostendit [2] Ioannes quosdam futuros tam fortes; *vt bestiam non sint adoraturi*. Quintò, fugiet ecclesia [3] in solitudinem, & ibi filium pariet. At sine verbo & sacramentis nemo in ecclesia Deo gignitur filius. Sextò, portæ inferorum non præualebunt aduersus ecclesiam. At si omnis Dei cultus, & sacramentorum vsus cessaret, maximè aduersus ecclesiam prǽualerēt. Postremò, ostendit [4] Augustinus adeo fortes futuros in persequutione Christianos, vt nullo periculo à baptizandis liberis deterreri possint.

[1] *1. Cor. 11.*
[2] *Apoc. 20.*
[3] *Apoc. 12.*
[4] *De ciuit. Dei. lib. 20. c. 8.*

Affirmat præterea [5] Bellar. *Antichristum se palàm & nominatim Christum dicturum.* Sed hoc repugnat menti apostoli, qui propter occultas Antichristi fraudes eius iniquitatem vocat *mysterium.* Repugnat etiam ipsius Antichristi hypocrisi & simulationi, qui omnia tectè & occultò acturus est. Repugnat præterea ipsius Bellar. verbis, *qui ante* [6] dixit *nomen Antichristi futurum occultum.* At si Christum se nominatim diceret, & hoc notum esset, vt ipse hoc loco contendit; tum esset eius nomen notissimum. Repugnat denique communi patrum sententiæ. neque enim quisquam eorum dicit Antichristum palam se Christum dicturum, sed contrarium potiùs. *Certè*, inquit [7] Augustinus, *inuenimus plures Antichristos, qui ore confitebuntur Christum.* omnes dicunt illum insignem futurum hypocritam & præstigiatorem. At si Christum se diceret, planè & apertè, omnes, Christiani saltem, hominem esse illum plane impium agnoscerent.

[5] *Col. 992.*
[6] *Lib. 3. de pont. Rom. c. 10.*
[7] *Tract. 3. in epist. Ioan.*

At inquit [8] Bellar. *veniet suo nomine.* Quasi verò omnes qui suo nomine veniūt, palàm & apertè se Christos esse dicerent: aut non hoc omnibus pseudopro-

[8] *Col. 992.*

phetis, qui currunt antequam mittantur, commune esset, vt suo nomine venirēt: aut denique Antichristus non etiam & suo nomine, quia missus non est; & alieno, quia se vt Christi vicarium, Christique nomine iactabit, venturus sit.

Dicit etiam patres *hoc passim docere.* Sed tantum abest, vt passim; vt nusquam hoc doceant. Dicit quidem [1] Irenæus *Antichristum tentaturum se Christum ostendere,* sed hoc, quia miracula faciet, & Dei sibi arrogabit potentiam, non autem, quia se Christum palàm nominabit.

[1] *Lib. 5. aduers. hæres.*

Ex scripturis etiam disputabit se Christum esse, inquit [2] Ambrosius. Sed multi cupiunt id videri, quod nominari nō sustinent. cupit quidem pontifex Rom. se Deū videri in terris: At palàm tamē non appellat se Deum. Præterea, ex scripturis disputat, se esse Christi vicariū, & omnem Christi habere in terris potestatem, licèt non apertè se Christum dicat.

[2] *In c. 21. Luc.*

[3] *Theodoretus non Antichristum, sed diabolum dicit se Christum & Deum nominaturum.* atque vt hæc verba de Antichristo intelligamus; nòn tamen sequitur eum palàm, & nullis ambagibus vtentem, se Christum nominaturum. nam si ita faceret, Christianos fallere, eisq; obrepere non posset.

[3] *In 2. Thes. 2.*

Cyrillus quidem existimat Antichristum *se Christū appellaturum*: sed multa ille malè existimat. Præterea, non dicit eum hoc palàm & publicè facturum: nam aliâs, plures ex gentibus alienaret, quàm ex Iudæis sibi conciliaret. Quare etsi nonnulli ex patrib. putarint Antichristum nomen Messiæ sibi sumpturum; nullo tamen argumento illud faciunt: nec ex eo sequitur, eum palàm & publicè hoc nomen sumpturum.

Asserit deinde [4] Bellar. *Antichristum palàm & communiter se Deum nominaturum, & omni ratione postulaturum, vt pro Deo colatur,* & inde declinare conatur nostrorum argumentorum impetum; quia licèt pōtifex Rom. clam & timidè se Deum appellet, & diuinos sibi honores exhiberi postulet, non tamen palàm & communiter se Deum appellat, nec coli vult pro Deo. Sed falsum est, Antichristum palàm & communiter hæc factu-

[4] *Col. 992.*

facturum. *Ostendet se*, inquit apostolus, *tanquam sit Deus.* Nec obstat, quod in Græco sit, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν, ὅτι ἐστὶ Θεός: nam qui ostendit se quod sit Deus, non ideo palàm se ita nominat, sed ita se haberi postulat. & ita exponunt veteres. *Existens apostata & latro*, inquit [1] Irenæus, *quasi Deus adorari vult. Non dixit*, inquit [2] Chrysostomus, *seipsum esse Deum, sed ostentare tẽtans, magnifica quidem signa faciet, & opera patrabit admiranda.* Similiter [3] Theophylactus: *Non dixit, dicens se Deum*, inquit, *sed ostendens, id est, tentaturus se Deum asserere.* & sanè absurdè admodũ se Deum esse prædicaret, quem omnes non esse Deum viderent. si autem aliqui existimarunt eum se Deum esse asserturum, hoc ideo fecerunt, quia clam & indirectè diuinam authoritatem, protestatem, & honores vẽdicabit. Præterea, de rebus futuris nihil habuerunt patres, quod pro certo pronuntiare potuerunt.

[1] *Lib. 5. aduers. hæres.*
[2] *In 2. Thes. 2.*
[3] *In 2. Thes. 2.*

Postea dicit [4] Bellar. *Antichristum non esse passurum vllum Deum, nec verum nec falsum, nec vlla idola.* Sed hoc absurdum est, vt idem se dicat Messiam, & tamen nullum Deum patiatur. nam ipse Messias à Deo vnctus & missus dicitur. Secundò, nunquam Iudæi admitterent eum, si negaret Deum cæli & terræ creatorem. Tertiò, nihil minus conuenit, quàm vt qui Christi & Dei cultum abrogabit, idem omnes Deos alienos tollat, & prorsus nouam religionem instituat. Lumine enim naturæ & Iudæi & gentes intelligunt, nouos Deos & nouas rationes Dei colendi non esse recipiendas. *Quartò*, [5] dicit apostolus Antichristum *se exaltaturum supra omne quod colitur.* quod satis ostendit alia fore idola colenda, sed Antichristum super ea se exaltaturum. *Quintò*, dicit Christus pseudochristos in nomine Christi venturos. quod plane docet Antichristum Christum planè non esse negaturum. *Sextò*, meretrix purpurata Apoc. 17. quæ figura est Antichristi, poculum habet in manu *plenum abominatione & immunditia fornicationis eius*, & dicitur illa *magna mater fornicationum, & abominationum terræ*, & cum ea *fornicabuntur reges terræ.* quæ omnia ostendunt Antichristum idololatriæ & spiritualium fornicationum fore

[4] *Col. 992.*
[5] *2. Thess. 2.*

[2] *Daniel.* 11. authorem & fontem. *Postremò*, dicit [2] Daniel *Antichristum honoraturum Deum Maozim auro, & argento, & lapidibus pretiosis:* quod ostēdit ipsum idololatram futurum, & Deum *Maozim* culturum. Respondet [3] Bellar. *per Maozim intelligi posse ipsum Antichristum.* Sed illud consistere non potest. nam loquitur Spiritus sanctus de alio Deo: & valde durum est, vt idem sit cultor, & Deus ille *Maozim* auro & argento colendus. Nec ad rem facit, quod in Hebræo sit *Iicabid*: glorificabit non enim propterea sequitur hoc de ipso Antichristo esse intelligendum. Cōminiscitur ergo secundam responsionē, *& dicit Antichristum diabolum adoraturum.* Sed illud magis mirum est. quomodo. n. potest Antichristus diabolum colere auro, argento, & lapidibus pretiosis? præterea nullo modo probari aut ferri potest, vt diabolus dicatur Deus Maozim. euertit etiam Bellar. causam. nam qui diabolum adorant, eum pro Deo habēt.

[3] *Col.* 993.

Argumenta verò Bellar. ad contrariam sententiam stabiliendam allata, inualida sunt. Dicit quidem *Paulus* futurum, vt Antichristus *se extolleret aduersus omne numen, aut omne quod colitur.* Non tamen propterea sequitur eum sublaturum esse omnes alios Deos, & omnia idola, & falsas Dei colendi rationes. nam nec Iupiter, quem ethnici pro summo Deo colebant, aliis diis honores abrogabat, sed se supra omnes extulit, vt est apud Homerum. Similiter euentus docet pontificem Rom. etsi supra omnes sanctos se efferat, eis tamen suos honores relinquere.

Patres etiam nonnulli existimarunt Antichristum idola demoliturum. Ita [4] Irenæus, ita [5] Hippolytus, [6] Cyrillus, [7] Chrysostomus, & alii. sed gentiem illi idola intellexerūt. Præterea, res futuras illi lōgè distātes aspexerunt, & multa opinati sunt, & multū à scopo aberrarunt. nihil sanè minùs cohæret, quàm quod Antichristum Iudæis & Christianis fictis missum dicant; & tamen fingant eum idola demoliturum, cùm nec Iudæi nec Christiani gentium idola colant, vt necesse sit ipsum ea demoliri.

[4] *Lib.* 5. *aduers. hæres.*
[5] *In orat. de consummat. mundi.*
[6] *Catech.* 15.
[7] *In* 2. *Thes.* 2.

Postea Bellarm. ab Antichristo ad suum pontificem orationem conuertens, asserit ipsum [8] *nec Christū negare*

[8] *Col.* 891.

gare esse Iesum, nec sacramenta Christi oppugnare, nec Iudaicas cæremonias introducere, nec palàm se Deum dicere, nec extollere se supra omne quod dicitur Deus. colere enim ipsum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & sanctos & sanctorum imagines. Sed nos hæc ipsius [1] mẽdacia multis argumentis, & testimoniis refutauimus. cultus autem imaginum & sanctorum ipsum esse idololatram & Antichristum ostendit. Negat etiam Bellar. pontificem dixisse; *se posse dispensare contra euangelistam & apostolum.* sed iuris [2] canonici interpretes ostendunt eum & fecisse hoc, & dixisse; qui meliùs norunt mentem pontificis, quàm Bellarminus.

[1] *Col.* 993.

[2] *Distinct.* 38. *c. lector.* & *dist.* 87. *presbyter.* & *summa angel. dict. Papa.*

Plus ergo valet hoc argumentum contra põtificem Rom quam pro pontifice. Nam cum pontifices multi Christum verbis negent, & omnes recentiores factis; & sacramenta à Christo instituta mutarint, & interpolarint, & legales multas introduxerint cæremonias; & cum Bernardi illud probent ad Eugenium, *vnctione Christus eis,* & Dei nomen sibi sumant, & officium; & omnem religionẽ floccifaciant, & *Iudæos* & [3] *Maranos* & *Turcas* foueant & amplectantur, oues Christi occidant, & disperdant: cui dubiũ esse potest, pontificẽ Rõ. Antichristum esse, qui se supra omne numen extollit, & Christum & Deum quodammodo negitat?

[3] *Onuph. in vita Alexandri sexti.*

Ad nonum argumẽtum à miraculis Antichristi, respondetur, CAP. XXXIV.

NOnum argumentum [4] Bellarminus à miraculis sumit. Sed nihil magis mirandum, quàm istos in tanta luce nihil videre Ideo ille [5] concludit *pontificem Rom. non esse Antichristum, quia nunquam se finxit mori & resurgere, nec ignem de cælo fecit descendere, nec imaginem loqui.* Sed si literaliter hæc miracula accipiamus, nulla est huius argumenti consequentia. neque enim miraculum est fingere se mori & resurgere, cum quiuis impostor illud facere possit. nec quod [6] dicit Ioannes *plagã mortalem primæ bestiæ sanatam esse,* potest ita exponi, vt Antichristus existimetur moriturus & resurrecturus. Antichristus .n. nõ in prima bestia Apoc. 13. sed ibidem in secunda figuratur. Nullus deniq; non

[4] *Lib.* 3. *de pontif. Rom. c.* 15.

[5] *Col.* 997.

[6] *Apoc.* 13.

videt, cum per primam bestiam Apoc. 13. intelligatur imperium Rom. hæc esse figuratè de interitu aut vulnere imperii, & non de morte hominis naturali accipienda.

Præterea, nihil magis absurdum, quàm existimare Antichristū verè efficere posse, vt ignis de cælo descendat. debemus ergo necessariò intelligere hæc figuratè, & per ignem exponere effectum ignis, id est, vindictam, seu illusionem Antichristi, qui faciet, vt homines mendaciis suis credant, qui finget se ignem de cælo deuocare posse.

Per imaginem denique bestiæ stultum est cogitare, statuam vel imaginem lapideam, aut materialem à Ioanne designari. loquitur enim ille de Romano imperio, quod per nationes barbaras euersum, in Papatu quodammodo reuiuiscere cœpit. pontifex ergo Rom. hoc est, secunda bestia, dedit spiritum vitæ papatui, id est, imagini primæ bestiæ, seu Romani imperii. At figura imperii verè loqui non potest. nec quicquam amentius cogitari potest, quàm istas figuras & imagines & repræsentationes carnaliter, & materialiter accipere. [1] Hieronymus spiritualiter plura hîc accipienda docet. Illi autem qui aliter hanc reuelationem interpretati sunt, in multas ineptias & incommoda inciderunt.

[1] *Ad Marcellam epist.* 17.

Si autem spiritualiter & figuratè ista intelligere velimus, & secundum mentem Spiritus sancti; omnia in pontificem Rom. aptè quadrant. ipse enim confictis miraculis transubstantiationem, & purgatorium, & sanctorum & imaginum cultum probauit. Plenæ sunt legendæ huiusmodi miraculorum mēdacium; & nunc vulgo eduntur idoli *Lauretani*, *Loiolæ*, & *Xauerii*, & aliorum monachorum commentitia miracula. Pontifex etiam Rom vulnus primæ bestiæ curauit, vbi post occasum imperii Rom. Romam restituit, & regni pontificii sedem ibi constituit. Fulminibus idem excommunicationum suarum, & incendiis bellorum totum orbem in admirationem sui rapuit. Idem deniq; dedit spiritum imagini primæ bestiæ, & fecit vt imago bestiæ loqueretur; hoc est, vrbi Romæ imperii imaginem

nem restituit, & fecit vt ex illa vrbe rescripta & mandata sua in vniuersum orbem exirent; & omnes nunc vident eum effecisse, vt vox pontificũ in vrbe Roma prę-sidentium vbique audiretur.

Respondet [1] Bellar. non *esse hæc miracula, quæ facturus est Antichristus.* intelligit autem loquutionem, & motum statuarum, & sanitatem ex dono sanctorum & imaginum. Sed Apostolus in genere [2] dicit, *aduentum Antichristi futurum in signis, & prodigiis.* & Christus dicit pseudochristos *daturos signa & prodigia magna. In Antichristo,* inquit [3] Hieronymus, *omnes erunt fortitudines, & signa, & prodigia, sed vniuersa mendacia.* Non tantum ergo tria illa miracula mendacia faciet Antichristus, sed plurima alia, quæ nos diximus, & quæ reperiuntur passim in legendis sanctorum.

[1] Col. 997.
[2] 2. Thess. 2.
[3] Ad Algasiam. quæst. 11.

At, inquit ille, *de miraculis sanitatum propter venerationem imaginum extat exemplum apud Eusebium, lib. 7. c. 14.* At ex illo exemplo constat imagines non fuisse cultas. nam licèt herba, quæ nata est sub illa imagine Christi, quam mulier à fluxu sanguinis sanata ipsi erexit, morbos curaret: imaginem tamen illam Christiani veteres non osculabantur; non procidebant, aut orabant coram ea; viri denique pii eam non colebant. isti verò in suis legendis multas alias mirabiles narrãt sanationes, & nugas.

Dicit postremò *apud* [4] *Theodoretum extare insigne testimonium de votis Christianorum, quæ sanctis reddiderunt ob sanitatem acceptam.* Sed multum interest inter vota illorum temporum, & nostræ ætatis; inter superstitionem Papistarum, & Christianorum priscorum religionem, vt nos alibi, Deo volente, docebimus. Præterea, legib. viuimus, & nõ exemplis. Postremò, vt illa non essent mẽdacia, quæ dicit Theodoretus; non tamen quicquã afferre potest Bellar. quin miracula quæ legẽdæ narrant, sint ipsius Antichristi miracula mendacia. Ex istis ergo miraculis nos pontificem Rom. potiùs Antichristum esse, quàm non esse; omnemq; Bellarmini disputationem vacillare & ruere, quæ ducta est ex miraculis, facilè intelligimus.

[4] De curãd. Græc. aff. lib. 8.

Ad vltimum argumentum à regno & præliis Antichristi, respondetur, CAP. XXXV.

VLtimum Bellarmini argumentū sumitur à regno, & præliis Antichristi. Nam quia Daniel dicit quēdam regem, qui figura erat Antichristi [1] *clam venturum, & obtenturum regnum per fraudulentiam, &* [2] *pugnaturum cum regibus Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ, & septem alios reges subacturum, & fideles Dei seruos persequuturum*; hinc concludit *pontificem Rom. non esse Antichristum: nihil enim horum in eum conuenire.*

[1] *Daniel.* 11.
[2] *c.* 7. *&* 11.

Sed prophetia hæc Danielis propriè in Antiocho Epiphane impleta est: quod & res ipsa docet (hæc enim ille omnia fecit, nec præter ipsum quisquam) & [3] Hieronymus, & alii interpretes testantur. Et sanè absurdum est literaliter hæc de Antichristo intelligere. nam tum regna iterum restituenda essent regibus *Libyæ* & Æthiopiæ, & omnia ad idem punctum redire deberēt, vt locus & via Antichristo pararetur. quod sanè planè nouum est, & absurdum.

[3] *In c.* 7. *&* 11. *Daniel.*

Nec obstat, quod [4] *Irenæus*, & [5] *Lactantius*, & alii Antichristum cum tribus regibus pugnaturum putāt. nam vt hęc omnia ad Antichristum typicè referuntur; sic de tribus his regibus sententiam patrum typicè & figuratè intelligere debemus. Similiter accipienda sunt quæ de decem regibus, & eorum interitu habent. neque enim putandum est imperium Rom. inter decem tantùm reges diuidēdum esse. nec si monarchiam totius orbis adepturus est Antichristus, verisimile est eum tantùm decem reges debellaturum. Ipse denique [6] Bellar. vbi loquitur de Gog & Magog, fatetur Ezechielem 38. loqui typicè; nec sanè vel ipse, vel eius socii aliquid habent, quod pro certo pronuntiare audeant, nisi ad typos confugere velint.

[4] *Lib.* 5. *aduers. hæres.*
[5] *Lib.* 7. *inst. c.* 16.
[6] *Col.* 906.

Si autem hæc omnia exponantur typicè, & figuratè, & vt Spiritus sanctus loquutus esse videtur; omnia in pontificem Rom. aptissimè conueniunt. Ipse enim clam prodiit, & non tam armis, quàm fraudulentia regnum obtinuit. excluso enim primo *Græcorum* imperatore, & deinde debellatis imperatoribus *Francorum*,

Romam

Romam & nō minimam partem *Italiæ* intercepit. Præterea cum multis ille regibus pugnauit, & tandem omnes subegit, ita vt nuper nullus contra ipsum mutire auderet. Idem denique grauissimam contra sanctos persequutionem excitauit, & vaticinium de Gog & Magog in tumultibus per totam Europam contra fideles excitatis impleuit.

At inquit Bellar. *hoc primū nullo modo conuenit pontifici Rom.* nam in *Romana ecclesia semper apostolicæ cathedræ viguit principatus*, vt inquit [1] Augustinus; & [2] *Prosper* dicit, *quod Roma per sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis*. Quo in loco aduersarius aut nostrā sententiam non est assequutus, aut certè valde dissimulauit; aut deniq; quia nihil habuit quod diceret, deliramēta loquutus est. Nos enim temporibus Augustini & Prosperi, negamus Antichristum sedem Rom. occupasse: quod & ex verbis eorum intelligitur. Ipsi enim ostendunt omnem gloriam episcoporum Rom. tunc temporis ex religione, & apostolica doctrina manasse: & certum est eo tempore nec oppressam fuisse ecclesiam, nec regnum occupatum. At postquam & vniuersæ ecclesiæ præesse, & abiecto verbi prædicandi officio gladium temporalem tractare cœpissent; tum palàm se in eis ostendit Antichristus. hanc autem potestatem latenter & fraudulenter adepti sunt: regnique pontificii obscuram esse originem, adeo vt nec aduersarii eam rectè teneant, ostenderunt.

[1] *Epist.* 162.
[2] *Lib.* 2. *de vocat. gentium.*

Asserit præterea *Antichristum, subactis decem regibus, omnium principem, & totius mundi monarcham euasurum*. atq; hoc testimoniis *Irenæi, Lactantii, Hieronymi*, & *Chrysostomi* confirmat. Sed neq; verum est eum modo regis temporalis toti mundo præfuturum; neque vt quoddam monarchiæ genus spirituale intelligamus, non illud commodè in pontificem Rom. conuenit. Primum probatur, quia imperium Rom. decem reges inter se partiētur, & [3] illi regnum dabunt bestiæ. pontifex autem Rom. tantùm vitam [4] dedit imagini bestiæ, & similitudinem quandam imperii Rom. introduxit. Deinde, patres asserunt eum tantùm tres

[3] *Apocal.* 17.
[4] *Apocal.* 13.

annos & dimidium regnaturum. tantillo autem tempore totius orbis imperium acquiri non potest. neq; quisquam patrum aliud dicit, quàm Antichristum reges subacturum. [1] Chrysostomus non dicit Antichristum monarcham futurum, & successurum Romanis sicut Romani Græcis, vt impudenter affirmat [2] Bellarm. *sed tantùm imperium Rom. ab Antichristo destruendū esse*: quod in pontifice Rom. impletum videmus. ipse.n. & imperium, & orbem Christianum destruxit.

[1] In 2. Thess. 2.
[2] Col. 900.


Secundum probatur, quia se dicit pontifex Rom. episcopum vniuersalem, & totius ecclesię monarcham; & quia Canonistę eum vocant totius orbis dominum; & denique quia Bellarminus fatetur eum indirectè in toto orbe habere principatum.

Cum ergo tam multa signa, & ostensiones, & argumenta, & doctissimorum hominum testimonia pontificem Rom. illum Antichristum esse demonstrent, de quo apostolus 2. Theſſ. 2. nec quicquam contrà attulerit Bellar. licèt omni labore, ingenio, & studio inuestigarit, quod non leuissimis & ineptissimis nitatur argutiis & coniecturis, quas nos iam satis euidenter abstersimus, discussimus, & refutauimus; non est ille vel totius ecclesiæ monarcha, vel Petri successor, vel episcopus ecclesiæ vniuersalis; sed homo peccati, fidei aduersarius, &, vt apertè mysterium hoc eloquamur, ipse Antichristus.

Tu ergo, Christe Iesu, qui hunc tuum & tuorum omnium communem hostem [3] *spiritu oris tui* interfecturus, & cum illustri aduentu tuo abolitúrus & destructurus es, hunc iam reuela tuis omnibus, & spiritu tuo tolle, & citò nobis, & vniuersæ tuæ ecclesiæ sub Antichristi tyrannide laboranti, auxilium laturus veni.

[3] 2. Theſſ. 2.

FINIS.



CVM



CVM VERBORVM, TVM RERVM IN HOC DE PONTIFICE ROMAN. TRACTATV cum primis notabilium, INDEX.

Autho-

Caro

Corpora

Home

Z z

M.

Negotium

Præce-

Q.

Regnum

Succes-

FINIS.

